Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Elias Veiel

Eliae Veielii SS. Theol. D. Prof. & Ecclesiastae Ulmensis Defensio Exercitationis Historico-Theologicae De Ecclesia Graecanica Hodierna, Adversus Refutationem Eiusdem a Sene Chio Romae adornatam

Francofurti: Hummius, 1666

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747224897

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747224897/phys_0001
DFG

72.

Fa – 1092 (72.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747224897/phys_0002
DFG

Continentur in hoc Volumine:

I. Pauli Heigelii diss. de veritate unicæ religionis christianæ, et aliarum, quæ præter hanc in mundo sunt, falsitate. Resp. Bernh. Kenckel. Helmstad. 1681.

II. Metrophanis Critopuli confessio catholicæ et Apostolicæ in Oriente Ecclesiæ, Græcè conscripta, sed Latinitate donata et edita à Ioh. Horneio. Ibid. 1661.

III. Eliæ Veielii defensio exercitationis histor. Theolog. de Ecclesia Græcanica hodierna. Francof. 1666.

IV. Mich. Siricii Religio Moscovitica. Giessæ 1661.

V. Ioh. Ern. Gerhardi diss. de Religione ritibusq; Ecclesiasticis Moscovitarum. Resp. Ioh. Schwabe. Ienæ 1665.

VI. Ejusd. de statu Armeniæ Ecclesiastico et Politico tam pristino, quam hodierno. Resp. Mart. Kempio. Ienæ 1665.

VII. Abtruck eines schreibens an Hn Henrich Mühlen aus Germanton, in der Americanischen provintz Pensilvania, sonst Nova Suecia, de 1. Aug. 1701. den Zustand der Kirchen in America betreffend. 1702.

VIII. Ioh. Mich. Langii diss. de Alcorani versionibus variis, tam Orientalibus, quam Occidentalibus, impressis et hactenus anecdotis. Resp. Ioh. Cons. Lobserr. Altdorfi 1704.

IX. Ejusd. diss. de speciminibus, conatibus variis atq; novissimis successibus Doctorum quorundam Virorum in edendo Alcorano Arabico. Resp. Georg. Mich. Schnützlein. Altdorfi 1704.

X. Ejusd. de Alcorani prima inter Europæos editione Arabica, ante sesquiseculum, et quod excurrit, in Italia per Paganinum Brixiensem facta, sed jussu Pontificis Romani penitus abolita. Resp. Mich. Cons. Ludwig. Altdorfi 1703.

XI. Math. Frid. Beckii specimen Arabicum, h.e. bina capitula Alcorani, XXX. de Roma, et XLVIII. de victoria, è IV. codicibus MSS. Arabicè descripta, Latinè versa et notis locupletata. Aug. Vindel. 1688.

XII. Ioh. And. Schmidt historia Cœlicolarum, ad tit. C. de Iudæis et Coelicol. Resp. Ioh. Christian. Busmann. Helmstad. 1704.

XIII. Frid. Ulr. Calixti diss. de Religione Iudaica et Iudæorum conversione. Resp. Valent. Henr. Voglerô. Ibid. 1686.

XIV. Christoph. Sonntagii diss. de Synagoga cum honore sepulta. Resp. Ioh. Gottlob Carpzov. Altdorfi 1702.

XV. Dav. Clodii diss. ex Hos. III. 4. s. an speranda sit insignis quædam judæorum conversio? Respond. Eberh. Hamel. Giessæ 1683.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747224897/phys_0003

DFG

XVI. Ad. Tribecchovii historia Naturalismi, à prima sua origine ad nostra usq; tempora. studiô Ioh. Tribechovii filii. Ienæ 1700.

XVII. Ioh. Diecmanni diss. inaug. de Naturalismo tum aliorum, tum maximè Bodini, ex opere ejus MS. anecdoto de abditis rerum sublimium arcanis. Ienæ 1700.

XVIII. Ioh. Pet. Grünenbergs diss. de Atheorum religione Prudentum. Resp. Ioh. Henr. Schwartz. Rostoch. 1701.

XIX. Henr. Rixneri diss. de quæstione, an Aristoteles cognoverit creationem? Resp. Ioh. Conr. Schneider. Helmst. 1658.

XX. Ioh. Nic. Hartschmidt diss. de Theologia Ciceronis, in quantum constat ex libris ejus de Divinat. et de natura Deorum. Resp. Ioh. Dan. Groß. Argentor. 1696.

XXI. Ioh. Andr. Schmidts Theologia Hippocratis naturalis. Resp. Ioh. Henr. Schmidt. Ienæ 1691.

XXII. Ejusd. Seneca ejusq; Theologia. Resp. Mich. Frid. Lersse. Ibid. 1686.

XXIII. Ioh. Nic. Hartschmidts Senecæ notitia Dei naturalis. Resp. Ioh. Georg. Resch. Argentor. 1696.

XXIV. Gerh. Titii diss. de insufficientia religionis merè naturalis ad consequendam vitam post hanc meliorem, et necessitate revelationum Divinarum supernaturalium. Opposita libro Bar. Herbert de religione gentilium. Resp. Bernh. Hageman. Helmst. 1667.

XXV. Ioh. Bartholdi Nimeieri diss. de Gentilium statu et conditione post hanc vitam. Resp. Ern. Henr. Tübbesing. Helmst. 1694.

XXVI. Ejusd. diss. posterior de eodem argumento. Resp. Eôdem. Ibid. eod.

XXVII. Ioh. Fechtii diss. de statu infantium à Gentilibus progenitorum, cum in infantia decedunt. Resp. Iac. Henr. Zerneke. Rostoch. 1697.

XXVIII. Henr. Wideburgii fundamentum Theologiæ Fanaticæ de tribus partibus hominis, corpore, anima et spiritu. Resp. pro lic. Christoph. Tob. Wideburgiô. Helmstad. 1695.

[illegible]
Aº 1706.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747224897/phys_0004
DFG

Eliæ Veielii SS. Theol. D. Prof.
& Eccleſiaſtæ Ulmenſis

DEFENSIO EXERCITATIONIS HISTORICO-THEOLOGICÆ

DE

ECCLESIA GRÆCANICA HODIERNA,

ADVERSUS REFUTATIONEM EIUSDEM

à

Sene Chio Romæ adornatam.

Præfixa eſt epiſtola Cl. V. CHRISTOPHORI ARNOLDI ad Auctorem.



FRANCOFURTI,
Apud JOANNEM NICOLAUM HUMMIUM.
Anno M DC LXVI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747224897/phys_0005
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747224897/phys_0006
DFG

DEDICATIO.

VIRIS IN INCLUTA ET LIBERA S. R. I.
REPUBLICA

ULMENSI

Generosis, Magnificis, Maxime Strenuis, Nobilissimis,
Prudentissimis, Dominis Duum-Viris, Consulibus, &
Concilii Secretioris Assessoribus Amplissimis,

Dominis & Patronis suis demissè colendis.

SOlent *nonnunquam illi, qui ingenii sui fœtus luci publicæ exponere volunt, anxie circumspicere, quos sibi deligant Patronos, quorum vel splendore aliquid sibi lucis circumdare, vel auctoritate, malevolorum spicula & insultus repellere, vel merita deprædicare, vel favorem deniq; promereri possint. Mihi vero, non tam genium sæculi exploraturo vel propitiaturo, quam veritatem defensuro, non diu dispiciendum fuit, vel quo lumine libellus noster collucere, vel quo clypeo contra ictus hostium muniri; vel quorum adversus me benevolentia parari & celebrari posset: omni enim tergi-*

versatione procul sepositа, illustre statim & beneficum mihi affulsit, Viri Amplissimi, Nomen vestrum. Et quid nî primo se illud obtutui ingessisset? cum post DEUM T. O. M. nullis mortalium tot debeam, nec debere velim beneficia, quam Vobis. Quid ergo agerem tot ac tantis divinctus nominibus, ut ne, quod ait ille, capitis quidem auctione facta, sim ulli portioni solvendæ par futurus? Faciam quod debitores nonnulli, qui, cùm nomen suum expungere nequeant, exigua quadam argenti portiuncula molles creditorum animos placare studeant, innuentes, haud sua culpa malum esse nomen, vel fraudulentos reliquatores, quos injuria temporum concussisset. Est vero & alia gratiæ hoc quidem modo persolvendæ ratio, si quis data syngrapha se debitorem esse palam profiteatur, apud eos scilicet, qui beneficio se mactatos esse benigne judicant, si quem beneficiis suis obstrictum, æs alienum agnoscere viderint. Neq; opinor aliud reposcit mutuum, Vestra, DOMINI, æmula Divinæ Bonitatis animi magnitudo. quæ, cùm insuper malit laude digna patrare, quam in os laudari, sine dubio silentium mihi imperaret, nisi obsequii, cujus gloria civibus aliàs unice relicta est, hac in parte detrectatio, in censum obsequiorum referri mereretur. Illud vero unicum, quo minus expedite in hoc decurram stadio, me moratur, quod anceps adhuc hæreo, quid primo, quid secundo laudare & deprædicare debeam? nisi forsitan primum locum jamjam occupavit incredibilis Vestræ Benignitatis debita dilaudatio. Hanc quam in me ab adolescentia mea, Amplissimus Ordo, cujus Vos Principes estis, & Membra Præcipua, plenis effudit cadis, nemo civium vel subditorum unquam desiderare potuit.

immo

immo hæc propria videtur esse laus Civitatis ULMENSIS, omnibus benefacere, civibus, subditis, peregrinis, exulibus, amicis, hostibus. Præfiscini dixerim, plures liberalitatis & eleemosynarum fontes ex sola Urbe Vestra in Pontificios undique accurrentes, exundare, quam ex ulla, etsi amplissima religioni Papali addicta ditione in homines, nostræ adscriptos fidei. Non est hoc beneficii exprobratio, sed justæ apologiæ commemoratio. Quis enim nescit, vulgo nos Evangelicos proclamari, quasi opera charitatis vetaremus; à quo crimine absolvere nos poterunt tot egeni inter Pontificios homines, qui stipe in Vestra Urbe corrogata victitant. Amor civium & subditorum, quo Amplissimum Magistratum prosequuntur, & illa mutua omnium ordinum, quam DEUS perennare jubeat! concordia, argumento sunt, nullum vobis ex bonis artibus, quibus parentes reguntur, deesse, sed benignitate & clementia imperium temperari vestrum, et quod divinus Psaltes regno Israëlitico unicè exorare voluit, pacem et justitiam suavissimo complexu se mutuo exosculari. Quis vero civium τὸ πολυόμματον τῆς ψυχῆς, h.e oculatissimam Prudentiam, quæ in dexteritate de rebus præsentibus judicandi, & in futurorum solerti provisione collocata est, non admiretur? quæ tam in Vobis, quam in Meritiss. et in Domino jam defunctis Antecessoribus Vestris, sæva præsertim annorum præteritorum tempestate, eluxit; et adhuc plurimos nobis promittit in Publicum Egregium, in Ecclesiam et Scholam, redundaturos fructus. Sed profecto hæc omnia, quæ in laudem Vestram, Prudentissimi ac Magnifici Proceres, suo accumulantur merito, infra tamen dignitatem Vestram longe subsidunt. Quamvis non ignorem, Vestram, totiusque ORDINIS SENATORII Pietatem,

Divinæ hæc omnia Clementiæ transscribere, & à sese amovere. Neque sane vellem supremæ Majestati aliquid de Gloria sua decerpere, eamq; cum hominibus dividere: hoc enim tantummodo sibi vult nostra oratio, quemlibet civem bonum grata mente mecum agniturum, rebus & creperis, & ad vota fluentibus, consiliorum Vestrorum Præstitem Deum fuisse, qui operam Senatus Incluti, *paternamque curam & sollicitudinem, suo honori & gloriæ, fideliter famulari, & Patriæ commodo feliciter invigilare jusserit. Non postrema, licet postremo loco posita, laus est, veræ Religionis, quam merito crepidinem & fundamentum, præsidium & firmamentum Rerumpublicarum maximum appellamus, amor & studium; quo nomine & rectum de DEO sensum, & legitimum ejus cultum intelligimus: cujus Boni obtinendi gratia nullos detrectatis labores, nullis parcitur impensis. Ipsi parietes templorum, Gymnasii, & Scholarum, intra & extra urbem hic loquuntur: omnium vero maxime id, non tamen citra deprædicationem eloqui potest negotium Visitationis, per difficultatem temporum diu intermissum, nuper vero postliminio feliciter restitutum. Quantum ex ea re bonorum fructuum proventum, quantam itidem lætitiam capere licuerit, nemo Vestrûm,* Domini Prudentissimi, *ignorat:* Tibi *præsertim* Magnifice BALDINGERE, *cor præ gaudio sæpe exiluit, cum oculis & auribus illa omnia, quæ horsum pertinet, usurpares, et animadverteres, qua ratione Servator noster etiam apud nos ex ore infantum & lactentium laudem sibi præparaverit. Et quis pius non tacitè secum gauderet, quando videt, pueros & puellas teneræ admodum ætatis, ex gente rusticana, capita*

fidei

fidei Christianæ, dicta Sacræ Scripturæ potiora, psalmos pœnitentiales, aliosq;, & responsiones ad quæsita de sacra Synaxi, memoria tam ex promta recitare, legere, scribere, fidei & spei rationem pro captu cujusq; & ætate, reddere posse? Adeo vigilantissima Patrum Patriæ sollicitudo nihil unquam intermisit, quod ad promovendam veram fidem, & pietatem quicquam conferre videbatur. Accedit hisce beneficium inter præcipua numerandum, quod Dominus noster JESUS CHRISTUS votis vestris, perinde atq; desideriis laudatissimorum Majorum, indulserit Ecclesiæ Antistites, & Gregis Dominici Pastores, Doctoresq;, pietate & eruditione præstantes, formæ sanorum verborum retinentissimos, atq; ab omnibus falsarum opinionum portentis, hodierna inprimis syncreticæ confusionis colluvie, & monstrosa membrorum heterogeneorum conjunctura, ad hunc usque diem alienos. Quæ decora & felicitatis publicæ instrumenta, fulgorem suum ita undiquaque diffuderunt, ut celebris usque in Regio Borussorum monte Theologus, Cœlestinus Mislenta, Ecclesias etiam in tractu Ulmano per singularem DEI gratiam florere & coruscare, & ad statum Exaltationis quasi reduci, ante plusculos annos, publicè descripserit. Hæc & complura alia, quæ ad laudes alicujus civitatis, vel potius ad σωτηρίας, seu virtutes Rerumpublicarum conservatrices & firmatrices referuntur, prolixa serie recensere possem, si id quidem nunc agendum foret. Verum nolo vos, Amplissimi & Magnifici Proceres, diutius morari, ne in Publica commoda peccare videar. Quod superest, intuemini hoc qualecunque animi grati monumentum ea fronte, qua me huc usque perbenigne exhilaratis:

Gratio-

Gratiosum affectum, qui omni jam dudum major videtur esse incremento, eodem mihi perpetuoq; tenore conservate; studiis et conatibus meis lucem & patrocinium commodate, totamq; Rempublicam, cui Ecclesiæ Salus innexa est, sub Divino auspicio & Præsidio feliciter gubernate. Vires tanto haud impares oneri sufficiat ex Alto ὁ ἐπὶ πᾶσι θεὸς! Ita votis omnibus expetit, qui & Virtutis, & Gloriæ, & Emolumentorum, quà publicè, quà privatim, amplissimam messem, à Divino Numine VOBIS *deprecatur*

VV. Magniff. Nobb. & Ampp.

Ad obsequia & preces
devotissimus

Scr. Ulmæ A. O. R. 1666.
d. 23. Martij.

ELIAS VEIEL D.

L. B.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747224897/phys_0012
DFG

L. B. S.

INtercedit mihi Lector benevole, cum Leone Allatio, Viro sane doctissimo, contentio acris, de Ecclesia Græcanica hodierna, ejusque cum Romana consensu vel dissidio. Cùm enim ex more academico vires periclitari deberem, consiliumque rogarem Venerandum Ecclesiæ Argentoratensis Antistitem illiusque Universitatis magnum decus & ornamentum, quid faciendum, vel quodnam argumentum ipse judicaret à me deligendum esse, suasit Præceptor fidelissimus, uti nobilem de Ecclesia Græca Controversiam, cujus primæ lineæ in Christeidos actu III. fuerant præformatæ, paulo studiosius examinarem. Parui equidem Viro, quem filiali obsequio mihi semper honorandum duxi. accinxi me tractationi animo promto & lubenti; Ad omnem quippe delegati muneris obsequelam efficaciores vires habet, qui præceptis amore jubentium, quam qui fiducia sui paret. verba sunt, nî fallor, Marcelli in ep. ad acta Coll. Carthag. Hæc postmodum dissertatio vel exercitatio Academica, nescio qua εὐτυχία, Romam usque, & ad manus etiam L. Allatii pervenit: reperit in illa Vir Celeberrimus, quæ consensum à se obtrusum si non penitus diruere, tamen concutere videri poterant. Arrepto igitur stilo scriptorio, cum alioquin Viros quosdam clarissimos, musteoque commento adversantes ferire cuperet, in me quoque quem honoris ergo juvenem Ulmensem vocat, mucronem convertit, factumque adeo est, ut se Principibus permistum agnosceret Achivis Juvenis Vejelius. Cumque non diffitear, omnia scripta Allatii, quorum hactenus compos factus sum, propter variam eruditionem avido à me perlustrari oculo; hujusce tamen refutationis potiundæ & pervidendæ longe omnium eram cupidissimus: Verum per tempus benè longum ardentissima vota nostra elusit inhumanitas Romanensiũ, qui non tantum suæ credulitatis homines à Lectione librorũ nostrorũ arcent, sed etiã sua nobilis invident scripta; forsan, ne technæ & malæ artes à nobis in apricũ producantur, & detegantur. Hoc ulcus dum tango, comode in mentẽ venit ejus quærelę, qua dolorem nõvulgarem Henricus Wagnereckius, (in libello contra Litichium,) Jesuita & Cancellarius Dillingensis contestatur, eò quod Evangelicis & Reformatis per Theologos via intercludatur, veritatẽ Religionis Pontificiæ ex scriptoribus Pontificiis addiscere; cum tamen quilibet qui causam suam bona cum conscientia agere velit, & naturali

 & divino

& divino obligatus sit jure, partis adversæ responsa & fundamenta percipere, audire ponderare; Theologi insuper esse, hæc omnia suis auditoribus bona fide declarare, & sicubi causa fuerit injusta, candide id patefacere, ne cœcus cœcum in barathrum æternæ damnationis præcipitet. Æquitati autem huic vim facere Theologos Lutheranos, dum suppressis responsis Theologorum Pontificiorum, perinde scribant, prædicent, agant, ac si nihil unquam fuisset responsum. Vix credidi oculis meis, cum hæc legerem. Quis enim per Deum immortalem scripta partis adversæ supprimit, nisi Roma, & cœtus Romanus? percense quæso tabernas librarias nostrorum bibliopolarum, ubique tanquam oculiferia prostant scripta Pontificiorum: & si quando oculis non statim in fontispicio sunt exposita, jube modo, ut promantur illa, festinus accurret bibliopola, omnemque tibi addicet operam; neque unquam audieris Theologorum interdicto opera Jesuitarum exterminari. Percunctare, annon studiosi Theologiæ apud nos longe melius versati sint in scriptis vestris, quam plurimi ex veteranis Sacerdotibus & Pastoribus Papisticis. Quid? quod ne laicis quidem vetitum est, libros vestros perlegere. Monstra simile quid in tenebricoso Papatus Carcere. plerique alienis oculis vident, plerique vel potius omnes, aurem utramque accusatoribus nostris commodant. Produc sodes indices ex purgatorios & prohibitorios à Lutheranis editos? Ecce igitur strumam suo corpori adhærentem, in alieno curare satagit. Suffusione inveterata laborat, & videntibus vitiosam particulam acu detrahere cupit. sed bene se res habet. Quicunque Christianus partis adversæ responsa & exceptiones non considerat & legit, sed præterit, ille est ἀναπολόγητος, uti citato loco habet Wagnereckius; porro, quicunque Theologus suis auditorib. fundamenta causæ adversariorum non sincere declarat, quod quidem tum boni Christiani cujuscunque, tum maxime boni Doctoris est officium, is cœcum cœcus in barathrum æternæ condemnationis præcipitem dat. Jam quærendum est, utrum Laicis in Papatu permissum sit scripta Lutheranorum legere & studiose evolvere? non puto. manent itaque inexcusabiles, ipso hoc in calamum dictante Wagnerckio. Forsan vero Doctores Pontificii suis clientibus fundamenta & dogmata Lutheranorum citra omnem fucum declarant? fidem facere potest negativæ vel hoc unicum quod ipse Cancellarius Dillinganus, doctrinam nostram de Fide sola justificante, appellat **einen Solen-Glauben.** Scurras hæc decent, non canos viri in tanta dignitate constituti. Idem Wagnereckius stellionatum nostris Theologis obiicit, cujus criminis nemo magis reus est quã ipse Jesuita. cur enim dissimulat, jam anno 1655. à dignissimo & celeberrimo inclutæ Universitatis Tubingensis Cancellario D.D. Wagnero, editas esse disputationes, adversarium suum stellionatus convincentes. sed redeamus nunc eò, unde occasione Exercitationis nostræ in catalogum prohibitorum librorum, relatæ digressi sumus. Utprimũ copia facta est liberi Allatiani, statim devoravi integrũ, e a præsertim paulo pressius considerans, quæ capite decimo quarto ex professo contra me disputantur. Quæsivi retia, quibus adversa-

rius

rius Allatii, certissime teneretur & constringeretur, sed aranearum cassiculos inveni, quos facile est cuilibet evadere & perrumpere. Decretum igitur mihi erat respondere, & mea defendere, accedentibus præsertim suasoribus variis, qui calcar addebant. In refutatione temperavi mihi à conviciis & scommatibus, quibus alias Allatius satis est assuetus. Cum viro docto & sene, quamvis sit ἀλλόφυλος, modeste agendum esse ratus. alicubi sua ipsi reddidi verba, non animo conviciandi, sed monendi, ne præcipitanter nimis in moderatos & eruditos homines dicteria jactet, quæ in ipsum retorqueri possint. Sed alios quoque ex castris adversis, quos laus doctrinæ & eruditionis claros reddidit, honorifice appellavi, nisi quod nonnullos nimis adversus nos furentes aliquanto acerbius castigare fuerim coactus: tenerior alias est mea frons, quam ut querelas hominum doctrinam cum affectûs moderatione conjungentium sustinere possit. Utinam res cum re, nõ dicteria cum scommatibus semper & ubique certarent. Verum paucis hoc in Papatu datum est. Interim animadvertet studiosus lector, me ex sedula operum Allatianorum Lectione, adversarium in singulis fere paginis manifestissimarum contradictionum, alius fortassis diceret, technarum, fraudum, impostarum, reviciisse. Omnia certe, quæ in variis operibus congessit, cum hypothesi de perpetuo consensu mirifice pugnant; sicut nec ipse consensus cohæret; sed scipsum identidem miserrime conficit & interimit. Huic conflictui comitem dedi perpetuam σύξυξιν Allatii Goaris, & Arcudii, Trium virorum satis celebrium, quos mutuo se perimentes & consensum pessundantes, spectare haud fuerit injucundum. Quæ omnia, si diligenter perpendas, difficulter reperias locum, ubi dici possit, adversarium veritati litasse. Hujus enim indoles est, perpetuo tenore sibi constare: falsitatis contra, nunquam non secum confligere. Respondi interdum aliquid pro viris eruditis, qui sæculum scriptis suis adhuc illustrant, non quod arbitrarer, eos sub umbone meo tuto latitare posse, sed quoniam tela in ipsos intorta meum quoque latus ferire poterant; ideoque & illa obtusa reddere debui. Ipsam refutationem integram ad calcem libelli nostri adjicere placuit, tum, quod pauciss imis liber Allatii sit visus; tum, ne quispiam suspicaretur, me fraudulenter agere, verba decurtare, immutare, detorquere, qua suspicione me liberare potest ipsa ocularis inspectio. Irrepserunt sine dubio errata typographica; verum quoniam ipse operis non adesse, nedum præesse potui, veniam merebor, ubi sphalma extantius occurrerit, de quo me tamen securum esse jubet diligentia ab aliis adhibita. quod necessario rogandum esse duxi, ne Allatius aucto rivitio vertat, lapsus typothetarum; qua in parte linguam acerbam coërcere non quitus est, cum D. Hottingerum exagitandum sibi proposuisset. Animo profecto minime bono, moreque valde illaudabili, ipsique Aristarcho non parum incommodante. Nam dum Hottingero propter mendum typographicum insultat, multo se magis exagitandum præbet adversario, propter nævos istiusmodi innumeros, quibus totus liber undique est obsitus. De cætero induxi scriptores suo ubique ore testimonium dicentes. Tædiosa aliàs non-

nonnunquam est illa scriptio, quæ mole citationum, quibus prolixi autorum sermones præter necessitatem recensentur, laborat; sed vero in hoc genere totidem cujusque autoris verba transscribere, ad certiorem veritatis testificationem haud fuerit supervacuum. Cum enim præcipui scriptores, qui hac in controversia utramque faciunt paginam plurimis non sint visi, operæ pretium fore duximus, nõ sensum, sed ipsa verba exhibere; ne aliquis vel criminari vel suspicari possit, nos pro lubitu animi, linguam cujusque nostro adaptasse palato. Hinc Lector de fide testimoniorum nullatenus dubitare debebit; omnia enim hisce meis oculis lustravi & expendi, mutuatitiis nihil credidi, nisi quod scriptores Allatio, Goari & Arcudio lectos & allatos, non minori auctoritatis pondere contra adversarios ex propriis ipsorum met libris producere potuerim, quam si ex mea eosdem in aciem eduxissem libraria. Dicat aliquis: Allatium interim in tuas nunquam petracturus es partes, λίθον ἕψεις, lapidem coquis, ut Græci παραμιακῶς dicunt, sed vero me parum solicitum habet; non quod nolim Allatium saniorem mentem induere, sed quod fine tamen meo non prorsus excidi. Citra dubium enim animadvertent alii, quam φορτικὰ sint ἀνδράποδα Allatii diasyrticæ strophæ; alii, ubi conspecturi sunt Pontifices Romanos suis bullis armatos, Cardinales, Episcopos, Jesuitas, Doctores alios, ex Cœtu Romanensi, veteres & recentiores, & cum his, animis licet alienatissimis, Imperatores, Patriarchas, Metropolitas, Præsules & Didascalos Græcorum, in hoc tamen concordes, communem hostem Allatium profligatum cupere, dicent: Hic ne solus tot armatorum impetus sustinebit? soluſne veritatem dicere potest, totque innumeris aliis dicam mendacii tam audacter impingere? Huic ne soli τῷ σοφωτάτῳ κρανίῳ licet de cunctis, Græcis & Latinis sententiam ferre, alios tribu movere, aliorum testimonia repellere, vel elevare, alios recipere & in cœlum extollere? Qua fronte dissensum, quem per aliquam multa secula eundo, nullo negotio demonstrare licet, hic primus in consensum vertere audet? tantane huic homini est fiducia victoriæ, ut de victoribus suis triumphare non vereatur? alius forsan cogitabit, quis scit, an Græcis quidpiam de Allatio, ipsiusque consensu decantato constet? & sane Græcos juxta cum ignorantissimis scire, quid moliatur & cõminiscatur Allatius, documento esse poterit doctissimi monachi ex monte Atho nuperum colloquium; hic enim quid hominis esset Allatius, quidve ageret, prorsus nescivit. Sed quid multis cum Adversario contendimus, qui nobis ostendere nequit, sua commenta Patriarchis, monachis, Doctoribus & Clericis Græcorum esse approbata. De mente Atho Petrus Bellonius: (L. 1. Observ. c. 38.) *Iam ab eo tempore, quo Græci scriptores celebres esse cœperunt, fuit hic mons magnopere commendatus: quod etiam ipsum nomen quod obtinet, indicat. nunc apud Græcos in ea est sanctimoniæ æstimatione qua Roma apud Latinos. Græcis Vernaculo sermone* ἅγιον ὄρος *appellatur.* Degunt in hoc monte multa monachorum millia, sed hi omnes sunt à Romana sede alieni ipsis Allatio & Goari testibus. (p. 290.) Quinimo, si Thomam à Jesu audimus, naturali quadam alienatione &

antipa-

antipathia Græci à Romanis dissident: id quod nec inficias ire potest Arcudius, quem suo loco produximus. Illustris Busbequius Epist. 4. p. m. 246. prope miraculi instar commemorat, quod in notitiam pervenerit Metrophanis Metropolitæ, viri humani & non indocti, atque concordiæ inter Latinam & Græcam Ecclesiam percupidi, idque præter consuetudinem reliquæ gentis, quæ ferè, ait, nostræ religionis homines ut impuros & profanos aversatur. Hos tamen homines pingit Refutator Romanensibus esse addictissimos. Quem præter hæc admonitum volo, ut in nova, si quam adornaturus est, refutatione, nihil transiliat, neve unam vel alteram tantum particulam excerpat, sed ut ad omnia & singula capita candide & exacte, si potis est, respondeat. Si quis objiciat: at vero tu ipse omisisti duo refutationis membra, quæ inter præcipua collocari merentur, quorum alterum est, de lapsu Liberii; alterum, de hæresi Honorii? sciat itaque Lector benevolus, nos defensionem nostram diutius noluisse prodere, ne mora in argumentum diffidentiæ traheretur: præcipue, cum examen ejus rei ad præsentem quidem controversiam nihil vel parum attineat. Nihilo tamen secius illa ipsa & alia, quæ in Allatii scripto occurrunt, persequemur, εἰ δὲ παράχοι καὶ ζωῆς χρόνον ὁ τῆς ζωῆς πλῶν ταμείας θεὸς, καὶ εἰρηνικὴν εὐκαιρίαν. Sumemus autem consilium pertexendæ & examinandæ illius historiæ à benevolentia Lectoris; nam per hujus stabit auctoritatem, vel hæc & alia discutere, & ad amussim veritis & antiquitatis Ecclesiasticæ evocare, vel in posterum silere. Ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων τοσαῦτα. Alia die aliam quercum excutiemus.

Sequitur Epistola Cl. V. Chr. Arnoldi.

MIrum Tibi puto videri, quod provocatus à Te officiosissimè scriptis literis, quas ad me jam pridem dedisti, tamdiu nihil ad eas scripserim: Spero tamen, Te facilè ignoscere occupationibus meis, neq; propterea dubitare de observantia erga Te mea; quæ, mihi crede, tanta est, ut accedere nihil possit. Idem in nos Romani Jovis fulmen jactum fuisse, brutum licet, haud perplexè dudum indicavi: *Decretum* nempe sacerrimæ *Congregationis Eminent. Cardinalium ab Alexandro Papa VII. ad Indicem librorum, eorundemq; permissionem, prohibitionem & expurgationem, specialiter Deputatorum, Romæ in Palatio Apostolico Quirinali die 20. Junÿ 1662. manu & sigillo M. Cardinalis Ginetti, supra dictæ Congregationis Præfecti, signatum & munitum*; *anno* item *Alexandri VII. octavo.* (die 23. mensis Junij) *affixum & publicatum ad valvas Basilicæ Lateranen. ac Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis*, in Expurgatorium, velut in Insulam Planasiam, vel Seriphon, aut Sardiniam amovit, projecit, sepositq; unà cum aliis, *Exercitationem Historico-Theologicam de Ecclesia Græcanica hodierna; quam delineavit M. Elias Veielius Ulmensis, Argentorati 1661.* Hanc ipsam vim fulminis passus est *Liber, cui titulus: Triginta Epistolæ Philologicæ & Historicæ de Flavii Iosephi testimonio &c. Christophorus Arnoldus fideliter illas recensuit &c. Norimbergæ 1661.* Eadem Purpuratorum Congregatio gravitate Decreti sui, anno eodem, die 13. Nov. ultra mortalium (ne dicam mortuorum) conditionem me simul relegavit, ob *Christophori Adami Ruperti Observationes ad Historiæ universalis Synopsin Besoldianam*, cum Supplemento scilicet meo editas. Parem igitur fortunam duplicis Decreti, ab amico quodam Roma ad me missi, expertus, stimulos doloris contemnere Te hunc temporis jusseram:

De

De cætero quantum mihi grata exſtiterit epiſtola Tua, utpotè quæ adverſus Græculi iſtius (quî dicam?) Latini vindicias reſponſum Te daturum nunciavit, nulla oratione explicare queo. Quapropter ad negotium quoque Tuum pertinere arbitratus ſum, de *Calogero* ſtudioſè diligenterque perſcribere, qui ex Italia per Hiſpanias, Gallias, magnamque Britanniam, tandem in Germaniam, atque huc Noribergam venerat. Nomen ei eſt *Ioaſaphus Logotheta*, germana Patria *Peloponneſus*, μοναχικῆς πολιτείας ordo *S. Baſilii* (quem ubique in templis Græci facie pingunt macilenta, & barba longa) vir forma conſpicuus, ingenio clarus, nobilis vultu, & placidus ingenio, ætate florens, nec major annis quadraginta, ſingularis eloquentiæ, nitidæ literaturæ, ad proferendas S. Scripturæ θεωρίας paratiſſimus, facilis, humanus, aſtutus & occultus; & omnia hæc (Capitolini verbis utar) cum menſura, imò (quod in homine Græco mireris) ſine jactantia. *Elias Thesbites* ipſi religioſè colitur; quem & Monaſterii illius ſigillum nigrum exhibet, *bijugi* ad cœlos *curru* evectum, ſupervolante cominus columba: *Sol* ſuprà emicabat, inferius *Luna*. Præter linguam Græcobarbaram, ſive Latinogræcam, Turcicam, Walachicam, Italicam, Hiſpanicam, & aliqua ex parte, Gallicam, Anglicanamque, nativum illum ſermonem veterum Græcorum, qui commercio aliarum gentium in ipſa Græcia exolevit, nitidè & eleganter in colloquiis expreſſit. In mentem tunc erat, quod *Mart. Cruſius* (cujus laus major eſt, quàm ut manu mea attentari debeat) ex Gerlachio cognovit: *Ab Ioan. Zygomala complures Patriarchatus officiales antiquam linguam mediocriter doctos eſſe. Etiam à doctioribus Græciæ diſcipulos ad illam ali. Propter eam diſcendam Italiæ quoque Academias à PELOPONNESIIS, Cretenſibus, Chiis adiri.* Et quod idem ad eundem ſcripſit: *Puram linguam à quibusdam Græcorum in Italia diſci; qui domum reverſi, alios doceant: Quosdam à Parentibus, per manus quaſi traditam, accipere: Alios, principiis Grammaticæ Conſtantini Laſcaris in ſcholis trivialibus imbutos, aſſidua lectione eò pervenire (Metropolitas & CALOGEROS quosdam) ut pleraque in Patrum ſcriptis intelligant.* Linguæ volubilitas fecit, ut mihi etiam in mentem veniret, quæ Gerlachius ille de Monacho quodam non indocto, Matthæo nomine, lingua puriore Græca vulgò ignota, Galatæ concionante tradit: *voce eſt promtiſſima, verbis ſelectis, ſed NIMIUM CELER.*

Diph-

Diphthongörum pronuntiatio vulgaris fuit, quam magnus ille *Voſsius lib. II. de Arte Grammat. cap. 4.* tùm apud Græcos, tùm apud Latinos vitioſam eſſe cenſet. Solam diphthongum *ει* quaſi diviſim, levi quadam diæreſi, ſubtilius tamen, ac ſemihiantibus labiis enunciavit. Neq; aliter *Cruſius in Annot. in Hiſtoriam Politicam Conſtantinop. fol.* 44. ex ipſis etiam Græcis accepit, linguam Barbaro-græcam etiam illo tempore, cum ſtaret adhuc imperium Græcum fuiſſe; velut ex hiſtoria Germanici Schiltebergeri patet: Qui ab anno 1394. uſque ad 1427. Chriſti, variis regnis Orientis peragratis, interim etiam Conſtantinopoli fuit; ubi moris eſſe ſcribit, ut laicus, in publico ſacerdotem obvium habens, reverenter capite nudato, & corpore inflexo, ab eo petat: *Eſlogi mena, Deſpota* (*Εὐλόγει μῆνα, δέσποτα*) *Benedic mihi Domine!* Sacerdos autem, manu capiti impoſita, dicat: O theos, eſlogito ſenan (*ὁ θεὸς εὐλογείτω σέναν*) *Deus tibi benedicat!* Unde & hoc apparet, tunc quoq; diphthongum *ευ* per *ef* pronunciatum fuiſſe. Ergò etiam *αυ* per *af*. Sed & *hodiè* (pergit vir celeberrimus) *ſic Græci pronunciant; contemnentes, quando aliquis noſtrûm. per Eu & Au profert. Sic & reliquas diphthongos ac vocales pronunciant, ſicut vulgò in ſcholis noſtris proferuntur.* Literam θ. ita ſibilò efflabat, ut perhibet *Critopulus* ille *Metrophanes*, qui ex Macedonia olim ad Altdorffium adventavit, in ſingulari epiſtola ad *Dan. Schuventerum*, ſub finem *Orat. de pronunciatione literæ Tau raphatæ*: Τὸ θ σὺν τῷ τὴν γλῶτταν ὑπὸ τῶν ἀνωτέρων ὀδόντων θεὶ τὸ μέσον πιέζεσθαι, καὶ τὸν θώρακα ἅμα τῷ λάρυγγι τὸ μέγιστον συμβάλλειν τῇ ἴσῃ συνεκφωνήσει, & quæ inibi porrò ſequuntur. *Simon Portius in Grammatica linguæ Græcæ vulgaris* literam iſtanc ſibilantem à ſolis ferè Græcis proferendam ſtatuit, his verbis: *Characteribus aliarum linguarum vel vocibus exprimi ſcriptis minimè nequit; videtur tamen accedere ad prolationem* S. *balbutientium.* Quid, quod Adolphus *Mekerchus* de veterum Græcorum Theta ſimillima his habet? *Idem valet*, ait, *quod Ebræorum* Tau *ſine dages, id eſt*, th; *ita ut referat anſeris ſtrepitum, addito aëre ſine flatu. Ad quem modum etiam efferri potuit* Th. *à Latinis, non exiliter, quaſi* T. *ſolum, ut nunc vulgus profert. Ideoq; ſtudioſi obſervare debent, ne* θ. *cum tenui* T. *confundant.* Characteribus autem aliarum quoq; linguarum exprimi poſſe, Portius ab Angloſaxonibus,

nibus, velim, Islandis, Cambrobritannis, Anglis hodiernis discat. De patrio idiomate suo, testis est *Alex. Gil, in Longonomia* Anglica: D. & T. antiquam sonum *obtinento: sed quia illis aspiratis non rarò utimur, ubi th. densum, Saxonum majorum nostrorum characterem substituemus. ubi tenue ipsum* th. *pro Theta scribemus.* Hæc ille cap. 4. Hodieq; idipsum *Io. Wallis*, Geometriæ Prof. Savilianus in celeberrima Oxoniensi affirmat: *Literam* T. *pronunciaturo* si spiritus pinguius exeat, & quasi per *foramen*; *formatur Græcorum* θ. *Hebræorum* Tau *raphatum*, *Arabum* Tse, *hoc est*, ⌣*Anglorum* Th. *Anglosaxones olim scribebant nota, quam spinam vocabant. Cambrobritanni per* Th. *semper scribunt.* In Gramm. Anglic. *sect. III. pag. 23.* unum atq; idem sentit *Buxtorffius lib. I. Thesaur. cap. I.* de literis, eamq; pronunciatione monens, Tau esse θ. Græcorum. De Cambrobritannis non malè adjecit Wallis, literam istanc Anglosaxonicam per Th. semper scribi: quod cœptum esse ab illis circa A. C. 1400. & deinceps dicta Saxonum figura, notat *D. Io. Davies in Rudiment. Ling. Cambrobritannicæ*, aliàs Wallicæ, *pag. 4.* Quæ verò potestas, apud Anglosaxones, Cambrobritannos, & Anglos usque adhuc fuit, eadem usitata est in hodierna Islandorum lingua, ac vetere Danorum Runica; de quibus ita *Olaus Wormius*, Daniæ eruditissimæ Varro: Th. *peculiare etiam quippiam obtinuit, quod commodè aliis exprimi non potest; non solùm quod aspirationem simul includat, verùm quod eximium quid habeat in pronunciatione; quod non ritè à quovis efferri potest. Hinc factum, quod in Islandia adhuc inter vulgatas retineatur: Intermedium enim sonum habet inter* D. *&* T. *cum aspiratione* ⌣. Egregiè, ut omnia *in Literat. Run. cap. 13.* quidni fidem habeamus Wormio, quam *Runolphus Ionas*, Islandus, *in Rudiment. Ling. Island. cap. I.* confirmat, ac suggerit: *Literarum XVII. enunciatio Islandis eadem est, quæ cæteris Europæ populis; excepta ultima, quam è Runico Alphabeto in hodiernum transtulerunt. Sonat non prorsus* Th, *sed quiddam crassius, cum sibilo quodam, quasi* Tsh. *Quæ pronunciandi ratio Britannis & Gallis hodieq; non infrequens est. Nomen olim habuit* thus / *nunc* Thorn *appellatur.* Omne tulit punctum *Arngrimus Ionas*, in sua *Crymogæa*, sive *lib. I. Rer. Islandic. cap. 3.* de lingua gentis: *Circa annum*, ait, *Domini 1216 scripsit quidam nostratium de literis, linguæ vernaculæ sermone patrio; ut veteres*

***

teres istos characteres huic linguæ proprios affirmat:--- Inq; literarum valore & pronunciatione tradenda, omnia vocis formandæ instrumenta, tàm pulmonẽ & guttur, quam oris & linguæ auxiliares partes, ad cujusq; definitionem artificiosè assumit, literam p. etiam the appellat: forsan ad imitationem, Theta Græcorum (quam propemodum, licet non omninò, exprimit.) vel Tau Hebræorum: Quam Hebræam si th. vel t Latinorum ritè exprimunt, ut traditum à quibusdam est; nihilo proprius Tau quam Theta, ad nostruum p. accesserit. Quapropter Theta non à solis (ut Portius quidem autumat.) Græcis proferiur; quia & aliarum linguarum characteribus, imò vocibus etiam scripris, benè exprimitur, sed incidamus, oportet, media; ne nimis serò ad extrema veniamus. Quærenti de ordinis pariter ac gentis suæ nominibus καλογήρες vulgo quidem dici, respondit, quasi καλόἐργες. Crusius quidem *Lib. III. Turco græcia fol. 273.* è Belonia hæc adducit: *Calogeri monachi sunt cucullati, cœlibis vitæ; qui sanctitate & doctrina alios præcedere existimantur.* Καλόγηροι, καλοὶ (*ut arbitror*) γέροντες, *aut* καλοὶ κὰγὰ ἱερόι. Præ cæteris autem mihi probari ostendebam, quod *Meursius in Glossario* sentit: Ita nimirum vocari monochos & monachas *ætatis provectioris, quasi à pulchra senectute*: & mox extendi nomen ad quosvis cœpisse, *nulla habita ætatis ratione.* Nimirum ut γέροντες constituunt γὴν γερσίαν; atque *senatui*, auctore Isidoro nomen ætas dedit, quod *seniores* essent. ostenso Calogeri habitu; & cucullo, ταφῆς, sive sepulchri nomine appellato, ex abundanti de sepultura id me docuit; hac veste Calageros terræ reddi, super imposita & capiti & pectori & pedibus lignea cruce triplici; cui inscriptæ sint hæ voces de mortis victoria: χριστὸς νικᾶ. Appellari se λογοθέτην ajebat. (aliàs enim Græci sacrificuli, perhibente in epistola ad Crusium D. Joh. Scheurlino, indigni sua origine, ac potius Barbari, cognomina ferè nulla profitentur; sed Barbarorum more, κύριοι Gabrieles κύριοι Joannes Domini Stephani appellantur) ob majores suos, à Christianis Impp. hac velut Augustæ domus dignitate atque officio præ cæteris in aula Constantinopolitana, olim donatos; quorum munus in eo positum fuit, (cumprimis verò ejus, qui inter omnes excellebat, ὁ μεγας) circa mandata & bullas Imperatoris occupari; prætereà jusjurandum à novo Imp. in templo Blachernarum accipere. Subiit tunc recor-

recordatio, *Janum Rutgersium lib. II. Var. Lect. cap. 2.* accuratè tres Græculos, Lugdunum Bataviæ venientes descripsisse, quorum unus, & quidem longa cum veste sacerdos, sese cingens, altero supercilio ad verticem sublato, altero ad mentem depresso, sic farier infit: *Se intuerer; sese mortales esse ὀ τῶν τυχόντων, neq; protritæ apud suos dignitatis. Episcopos videre me, & Metropolitas, & Archiepiscopos, & ut verbo dicam,* Primores Argivorum. *Nec tàm prolixam honorum paginam citra genus esse. Quippè* Eumolpidas *se ajebant; quæ familia diu Athenis, religione sacrata, floruisset: nun fatali vicinitate omnia premente, ad duos, aut summum tres, ejus gloriam recidisse. Hic arridens ego cúm dixissem,* αἵματος εἰ ἀγαθοῖο φίλον τέκος, *ille elatior factus; Certè, inquit. Tales tamen ac tanti viri,* τοιαύτης γενεῆς τε καὶ αἵματος, Quales nos patriæ custodes Dii genuerunt, *ad pudendam inopiam delapsi sunt. --- Cùm ingemuissem non solum ob infelix communis Græciæ fatum, sed & III. virûm istorum, quos, si Fortuna non invidisset, imperio nasci oportuit, dolere vetabant: Neq; enim se Fortunæ suæ pœnitere, sed ingenti animo opes spernere, & mendicantis vitæ genus, tanquam altero longè beatius, elegisse. Hîc interpellandi locus erat. Precatus ego sum diuturnam vitam, si non ob aliud, saltem ut tàm præclari nominis gaudia longè ferre possent. Neq; enim unquam tàm malevolum fuisse me, quin eos quàm diutissimè, me tanta fortuna dignos semper judicassem, Mereri hoc illustrissimæ propaginis majestatem, quam quod ab Eumolpo deducerent, eos rectè, & ordine facere. Si tamen Annalium memoriam consulere dignarentur inventuros non esse eum Eumolpum, quem ipsi putant; sed alium quendam, æquè nobilem* (ἄμφω γὰρ μακάρων ἔσαν αἵματος) *& tanti nominis virum, ut res gestas ejus Romanus Consul. scribere non dedignatus sit. Ab eo Eumolpo ad III. viros istos non interrupta serie descendisse illud heroum genus, quos* πτωχαλάτανας *indigitare Græci solent.* Hæc Janus ille. verum hac suspicione Logothetam haud asperserim, quoniam ita moderatus erat, ut præ se probitatem quandam & ingenuitatem ferret. Neque ignota vetus Bulgariæ nobilitas est, quam, teste *Busbequio Epist. I.* natalibus suis non censent Turcæ: *Cùm de puellis quibusdam, ait, quæ liberatiore erant forma, scire vellem, num quo essent genere? audiebam, eas à summis ejus gentis satrapis originem ducere; aut etiam regium esse genus, jam bubulco aut opilioni desponsas. Sic in regno Turcarum jacet nobilitas. vidi*

item postea aliis locis Cantacuzenorum& Palæologorum, *imperatorii generis reliquias, contemtiùs inter Turcas degentes, quàm vixit Dionysius Corinthi.* Imò etiam aliquantò ante expugnationem multos nobiles, quod futurum erat, prævidentes, urbe Constantinopoli excessisse, velut per traditionem manuum accepit, atque in Epist. ad Mart. Crusium, de Constantinop. obsidionibus,& Turcica expugnatione, *Theodosius Zygomala* perspicuè tradidit: *alij in PELOPONNESVM abierunt; alij in partes Ponti; alij in insulas; unusquisq; denique, ubi salutem sperabat. Is Temporibus* (καὶ πολλοὶ ἀπὸ τῶν γενεῶν τῶν ἀρχοντικῶν) *multi quoque ex familiis illustribus,& quæ honores gesserant: ut ex* Palæologina, *penes quam Imperii dignitas fuerat: ut ex* Cantacuzena, *atque* Raliorum (*de quibus etiam nunc, tum Constantinopoli, tum alijs in locis, reliquiæ dispersæ*) *recesserunt.*--- *Sanè* Cantacuzenorum *&* Raliorum *nomina audiuntur. Præterea* Marnalarum *&* Notaradarum; (οἵ εἰσιν ἐν πελοποννήσῳ οἱ πολεῖς) *quorum plerosque PELOPONNESVS habet.* sed ne pro nobilitate illius loqui videar, ad alia nunc pergam.

Veni cum Calogero in collocutionem de Græcæ Ecclesiæ Conciliis, statim recusante plures, quàm Generalia septem: quare ut digitum, ceu fieri solet, ad fontes intenderem, sine mora commonstravi *Canones Conciliorum Generalium* (*& Provincialium*) quibus præfixus est *Photij*, Constantinopolitani Patriarchæ, *Nomocanon*, id est, Canonum & Legum Imperatoriarum conciliatio : omnia *commentarijs* amplissimis *Theodori Balsamonis*, Antiocheni Patriarchæ, explicata , & de Græcis conversa *Gentiano Herveto* interprete, è bibliotheca Briocensis Episcopi, juxta editionem Parisiensem. Hanc quàm poterat maximè, admiratus, felicitatem nostram summis extulit laudibus, ob tot præclara typographiæ monumenta; quibus ipsi in Græcia destituti, omnia manu exarare coguntur. His subitò, data quasi opera, *Historiam Concilii Florentini* exactissimam subjunxi, Græcè scriptam per *Sylvestrum Sguropulum*, Magnum Ecclesiarcham, qui Concilio interfuit ; atque in sermonem Latinum à *D. Rob. Creygthon*, Caroli II. Magnæ Britanniæ Regis Sacellano, è manuscripto codice nunc primum translatam. Quid ad hæc , ais, Ἰωάσαφ tuus? Ea omnia in stomacho ridens, scriptionem hanc genuinam esse, haud negavit quidem; sed à Græcis recipi, pernegavit. Quibus hodie-

hodieque dolorem dare Palæologi istius stoliditatem atque inscitiam, seriò testatus est: Qui nulla cognitione rerum ornatus, nullis artium bonarum adminiculis fultus, ignarus legum, hæsitans in majorum institutis, rudis in fide Christiana, ceu Sulla nesciens literas, inscienter hæc fecerit, imperitissimeque omnia probârit. velut nullius usus Imperator; hac tantùm oblectatus specula, fore nimirum, ut Latini, quorum fidem imploraverat, Græcum imperium defensitarent. Certè ad *Palæologi* nomen ac facinus ita accensus indignatione est, ut Græci etiamnum fremunt, (Gerlachio teste) quando recordantur *Balduinorum* Constantinopoli imperii: Nollent alium sibi dominari, quàm Turcas; ne Christianum quidem. *Non solis S. literis* (ut *Crusius lib. VII. Turcogræc. ad Epist XVI.* annotat) *quibus resisti non potest, nituntur, sed Synodis etiam & Patribus, &c.* nec tamen Florentina isthac; de qua *Historiam Politicam*, à celeberrimo Crusio Latine factam, meritò consulimus: *Imperator de proficiscendo in Italiam consilium cepit; & constituendo, quamlibet difficili* (ἐπαναγκάση γενέσθαι ἕνωσιν μετὰ Λατίνων) *cum Latinis religionis consensu: ut hoc modo aliquibus subsidiis comparatis, Agarenum propulsaret. Qua de re tùm ad Papam Eugenium scripsisset,* (ἔστερξε μετὰ χαρᾶς συγκροτηθῆναι τοῦτο. καὶ γενέσθαι εἰρήνην. καὶ ἕνωσιν, εἰ δυνατὸν) *hinc res auditu jucunda fuit: de concilioque conflando cogitavit, in quo ex duabus concors Ecclesia efficeretur, si fieri posset. Itaque & sumtus misit, navesque necessarias; Nec Papa modò, sed etiam Cardinales, & alii consensionis custodierant:* (ὡς πολλάκις βουλευθέντων, κατορθωσάνων δὲ οὐδὲν, πολλῶν σκανδάλων ἀναφυομένων) *quippe quam sæpè tentassent, sed nihil profecissent, multarum offensionũ incursu.* Quid factum in tempore? quid non? Delati in Italiam, cùm ad Latinos venissent, post plures congressus, & integri biennii moram, sanè unionẽ, seu consensum fecere; quemadmodum Acta Florentinæ hujus, (quæ octava nominatur) Synodi perhibent: Τέλος δὲ χρηστὸν οὐδὲν. ὅλως τοῦ ἐφέσου μὴ ὑπογράψαντος, ἀλλὰ καὶ λογομαχίας καὶ αὖθις κινησάντων πολλῶν, ὅτε εἰς τὴν Κωνσταντίνου ἐπανῆλθον. ὅθεν οὐδεμία ἐγένετο βοήθεια. ἀλλὰ τὸν ὑλαν ἔκραζον καιρὸν τόσον. *Sed exitu nullo bono; eò quod subscribere recusaret Ephesius: & verborũ concertationes, postquam Constantinopolin rediissent, alias denuò multi sererent. Ea causa fuit nullius posteà submissi auxilii: sed Hylam, ut proverbio dicitur, tanto tempore clamarunt.* Postquam ex Italia domum

domum reditum fuit, qui in urbe degebant Clerici, Hieromonachi, sacerdotes, alii, οὐκ ἤδελον συλλειτουργῆσαι τοῖς ἐλθοῦσιν, ἠμνημονεῦσαι αὐτοὺς. ἀλλ' ἐχωρίζοντο αὐτῶν, ὡς ἀσεβῶν, εἰπεῖν: πολλοὶ δὲ παρητήσαντο καὶ τὴν ἱερωσύνην. καὶ γέγονεν ἡ ἕνωσις, διαίρεσις. *Nolebant liturgias & sacra cum illis, qui venerant, celebrare, aut in precibus mentionem ipsorum facere; sed ab ijs recedebant, tanquam qui pietatem (ut ita dicam) abjecissent. Multi sacerdotio etiam renunciarunt. Denique UNITATEM DIRISIO, CONCORDIAM DISCORDIA, consecuta est.* Hæc ad palatum Calogeri. Tam arcta videlicet Græcorum ac Pontificiorum ἕνωσις est, ut Græcas fœminas, sive legitimè sive illegitimè cum *Italis*, *Gallis*, aut *Hispanis*, conjungantur, aliquandiu excommunicent: Hæc ista nimirum Concordia dogmatis, ut Jo. Zygomalas, Rhetor Patriarchicus, Mart. Crusio A.C. 1575. rescribere haud dubitarit; Μαθόντες (οἱ σφᾶς αὐτοὺς παπίστας καλοῦσι) αὐτόθεν ἀπεστάλθαι τὸ ῥηθὲν ὑμεδαπὸν βιβλάριον, τὸ περιέχον τὴν θρησκείαν ὑμῶν. φεῦ, ὁπόσον ἐφρύαξαν, ἐναντιούμενοι ὑμῖν, ἐγώγε δὲ τούτοις ἀντεῖπον, δι' ἃς ἔχουσι καταχρήσεις, καὶ καινοτομίας, ἀτόπους. καθ' ὧν ὑμῖν μὲν ἐν πολλοῖς συμφωνοῦμεν, ἐκείνοις δὲ, καὶ λίαν, διαφερόμεθα. *Cùm rescivissent. (qui se Papistas nominant) isthinc missum esse libellum, continentem capita Religionis vestræ, mirificè infremuisse (scias) contra vos. Ego autē eis restiti, objiciens: vos dissentire ab ipsis propter ipsorum in Religione abusus, & novas opiniones absurdas; de quibus nos in multis vobis cum sentimus, AB ILLIS VERO VALDE DISSENTIMVS.* Fuit olim, qui *Baronium* nobis non auritum, sed oculatum testem ingessit, *VI. Annal.* suorum *Tomo* commemorantem, A.C. 1593. Gabrielem, Patriarcham Alexandrinum, duos Legatos Presbyteros, S. Macarii monasterii monachos, nomine Josephum & Abdelmessiam, Romam, unionis cum Romana Ecclesia ineundæ gratia ablegasse: idque cum literis ad Pontificem hoc modo inscriptis: PATRI PATRUM, PRINCIPI PATRIARCHARUM, TERTIO DECIMO APOSTOLO DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, QUINTO EVANGELISTÆ, SANCTI PETRI SUCCESSORI. *Tibi data est potestas solvendi & ligandi, &c.* Ac hos quidem Legatos, Romæ, Patriarchæ sui, & reliquorum subditorum nomine, Confessione Fidei, quæ ipsis proponebatur, edita, tanquam Catholicos Romanæ Ecclesiæ susceptos; omnesque adeò & Ægypti & Æthiopiæ Christianos Romanæ Ecclesiæ conciliatos. Ad hæc omnia

quid

quid *Georg. Dousa in Epist. pag. 44. & seqq. de Itinere suo Constantinopolitano?* Hic memini, ait, Meletium Patriarcham, cùm fortè schedæ illius Legationis fabulosæ Venetiis Byzantium ad eum essent transmissæ, videre suaviter renidentem & admirantem levitatem Latinorum temerè credentium, aut malitiam Jesuitarum talia comminiscentium. Equidem tùm temporis nemo Alexandriæ Patriarcha, *Gabriel* nomine, sed sacrorum Antistes erat *Meletius*, aut certè ejus antecessor *Silvester*. Cæterum in epistola Meletii, Latinæ linguæ peritia satis instructi (quam Costerus Calvinicam fabulam esse vult) adversarios urit, quod vident, magnam orbis partem, magno Romanæ Ecclesiæ, præjudicio (cum fuerit hic Meletius Papa Alexandrinus &c. Et Constantinopoleos Præses) Romanam Ecclesiam pro Catholica, & ejus Episcopum pro Ecclesiæ universalis capite non agnoscere. Verba ejus plena Christianæ veritatis, pietatis, & modestiæ, præ cæteris, hæc adducit: *Quod si in causas inquiras hujusce in nos (nescio quid aliud dicam, quàm id, quod res est) odii, in nos Græcos dico, id est, Orientalis Ecclesiæ alumnos, quod veterum Patrum dogmata, traditiones, jussa, placita, decreta sectamur; nihil invenies aliud, quam quod id ipsum, quod Patrum incontaminata dogmata, traditionesque observantes, nullis nullorum hominum novitatibus, καινοτομίαις falsis, fallacibusque doctrinis abduci patimur ab iis decretis, quæ septem tota Concilia universalia (ut provincialia præteream) sanxerunt. Symbolum quod à primo Niceno Concilio confectum secunda complevit Synodus, accuratissimè Spiritus S. explicato articulo, inviolatum conservamus. Athanasio falsò adscriptum Symbolum, cum appendice illa Romanorum Pontificum adulteratum luce lucidiùs contestamur, Romanum Pontificem, Romanum agnoscimus Pontificem, Christum unum universalis Ecclesiæ universale caput cum Paulo prædicamus. Eundem esse lapidem illum angularem Σιωνίτην, in quo construendam esse Ecclesiam ipse dixit. Ipsum ex ipsius verbis agnoscimus. καὶ ὅτι ταύτην namque ait, τὴν πέτραν (ἡ δὲ πέτρα, Paulus dicit, ἦν ὁ Χριστὸς) neque enim in te Petro, sed in me (ut vigilantissimè diligentissimus notat Augustinus) ædificabo, dixit, Ecclesiam meam. Hæc cum ita credamus, nescio quamobrem audeant nonnulli Ecclesiam Orientalem cum Diaboli Ecclesia (ô scelus infandum!) conjugare.* Hæc, aliaq; Meletius de Græcis, cum Latina Ecclesia concordantibus; quem J. Franc. Billerbeccus, Pomeranus Nobilis, A. C. 1581.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747224897/phys_0027
DFG

C. 1581. Alexandriæ tunc πεμπτοσύγγελλον, *virum doctissimum* salutavit. Cùm Metrophanes olim Cæsareæ Metropolitam agens Ecclesiam Orientalem cum Occidentali unire studeret: ejus rei gratia Romam quoque profectus: indè à Synodo Clericorum & Nobilium superiore seculo Constantinopoli habita, excommunicatus fuit. Attamen postea virtute sua ad Patriarchæ honorem (quo propter suam doctrinam & prudentiam dignus erat) ascendit. *Crusius Annot. in Hist. Eccles. & Epist. Doct. fol.* 212.

Quàm verò concordibus juncti animis essent *Græci & Armenij*, scrutatus simul, aureum de reconciliatione istius concordiæ nummum Joasapho exhibui; in cujus altera facie erectus conspicitur Pontifex Eugenius, ad pedes hujusdem Græcus atque Armenius prostrati complicatas extollunt manus, & subauscultando vocem quasi conciliantis excipiunt; sub hac marginis inscriptione: GRÆCI ARMENIQUE IN SINODO FLORENTINA CUM SEDE (circa pectus Pontificis) APLICA, hoc est, APOSTOLICA. In altera nummi facie Papa, tanquã curulem gerens magistratum, supra sellam considet, dextra silentium jubens, & verba (dicente Cypriano) expediens manu, clavem sinistra elevat. Reliqua epigraphes verba integrum sensum implent: SUB EUGENIO PAPA IV. ANNO C. M CCCCCXII. UNITI SUNT. Id Calogerus numisma statim à se removens, & tantùm non despuens, addebat: Armenios in alia omnia potius discedere, neque cum his Græcos rem habere. Tàm aversum certè ab Armeniis esse deprehendi, quàm sectarii, in Germania, vel solius nominis odio, à se invicem usque adhuc fuere. Dionysius quidem *Patavius Part. 1. Ration. Temp. lib. IX. cap. 9.* Latinorum cum Græcis, horumque cum Armeniis pacem, A.C. 1439. in conventu Florentino conglutinatam, his ostentat verbis: *Græci cum Latinis in concordiam rediere, nec non Armenii; quibus Catholicæ formulam fidei scripsit Eugenius*; sed est hoc λάπισμα; nam illicò subjungit: *verùm Græci in Orientem reversi, Marco Ephesino & scholario viris eruditis agentibus, AB ROMANA SE SOCIETATE DIVELLVNT.* Regimen Ecclesiasticum Armeniorum quod spectat; suberant quidem olim Constantinopolitano Patriarchæ; nunc autem, postquam ante tempora adhuc Photii, propter *hæresin unius naturæ* in Christo, discessionem fecêre

re diutius propriis Patriarchis (quos *Catholicos* vocant) Armeniæ nempè majoris ac minoris subsunt; ut fide veterum rem probat *Edoardus Brerevvood in Scrutinio Relig. cap. XV.* Constantinopolitanæ Ecclesiæ non tantùm jurisdictionem, sed & communionem abjecisse Armenios, recepta Eutychis hæresi cum Jacobitis in Syna; cui tamen in confessione, Patriarchæ Constantinopolitano missa, renunciarint, non obscurè subindicat *Brianus Walton in Dissert. de Ling. Orient. num. 84.* simul hæc adnectens: *In Liturgiis verò & ceremoniis* (non in dogmatibus) *præ omnibus Orientis sectis ECCLESIAE LATINAE PROPIVS ACCEDVNT, cui etiam reconciliati erant, unà cum Græcis, in Concilio Florentino; ut ex Actis Concilii patet.*

Veni cum eodem in collocutionem de S. Cœna, & *communione* hujus *sub utraque*; quam ille seriò defendit, & librum in monasterio suo, contra vicinos quosdam Jesuitas, singularem, Græco idiomate abs se scriptum, ultrò affirmavit; in quo non mediocre telum ad res gerendas autumans vocem λάβετε, de pane pariter ac poculo usurpatam, contra eosdem se venisse, & stetisse, dixit. Unum atq; idem sentire, confestim vidi, quod superiore seculo. D. Hieremias, Patriarcha Constantinopolitanus, Theologis Wirtenbergensibus prima vice respondit, ad Augustanam Confessionem de Abusibus, *fol. 129.* Φᾶτε οὖν ἀνά ὅτι μεταλαμβάνειν δεῖ καὶ ἀμφοτέρων τῶν εἰδῶν. καὶ ΚΑΛΩΣ ΕΛΕΓΕΤΕ. οὕτω γὰρ καὶ ἡμεῖς ἐκτελοῦμεν, τῶν φρικτῶν μεταλαμβάνοντες μυστηρίων, οἱ ἄξιον ὄντες. *Dicitis itaq; primùm, in S. Cœna percipiendam esse utramq; speciem: & RECTE DICITIS: sic enim & nos facimus: quando veneranda percipimus mysteria, qui quidem digni sumus.*

Commonstravi Σύνοψιν τῶν θείων καὶ ἱερῶν τῆς ἐκκησίας μυστηρίων, ἁπλῇ φράσει, παρὰ Νεοφύτου Ἱερομονάχου Ῥοδινοῦ Κυπρίου τοῦ Σιναΐτου συντιθεῖσαν, ac Romæ apud hæredem Barthol. Zannetti A.C. 1628 impressam. De stylo æquè ac auctoritate libelli interrogans, simplicem phrasin mixtam parumper esse, didici; quæ vel in sacris quandoq; concionibus, vel in scriptis sæpiùs Ecclesiasticis utuntur. Me libenter præbui credulum, à Gerlachio, ad Crusium, persuasus: *Nec ut putas*, ait, *in concionando barbara, sed antiqua lingua utuntur; quia faciliùs sibi esse dicunt, complures orationes in antiqua componere, quàm unam in vulgari. Et satis esse, si duo tresve intelligant: aut, si libeat, Patriarchæ mandent, ut alia lingua utatur. Habuit D. Joannes Zygomalas infra 2. menses, tres aut quatuor conciones Gala-*

tæ, seu Peræ: & Patriarcha, duas aut tres in sua Ecclesia; sed lingua vulgò ignota: nisi quod interdum BARBARA verba IMMISCERE solent. Idem porro ad Eundem: *Singulis Dominicis Monachus quidam non indoctus* (de quo jam ante) *Matthæus nomine, lingua PURIORE GRÆCA, vulgò ignota, concionatus est. Quod se vulgo non accommodet, non probatur.* Sic etiam lingua, quæ in Rarturi libro est, puritate sermonem vulgi superat. Velim, nolim, vestigiis semper inhæream, necesse est, Crusii, ceu viri æternitate dignissimi; & hoc quidem libentius, quod præceptorem suum *D. Gregorium Leonhardum* Ulma vestra, vetustate famaque conditorum (in quibus viros doctissimos jure annumero) inclita, olim habuit. Sic verò ille de lingua, ceu vocant, Ecclesiastica: *Lingua Græca, ut intelligimus, hodiè triplex est*: 1. vulgaris, *qua vulgus Græcorum utitur, corrupta: quæ corruptio vetus est: ut apud Suidam, &c.* 2. Antiqua & pura, *qualis apud Thucydidem, Xenophontem, Platonem, Aristotelem; quam Græcorum Docti hodiè didicerunt.* 2. Ecclesiastica, *quæ PURIS ADMIXTA BARBARA habet, qua Sacerdotes aut Docti, in SCRIBENDO utuntur. Ita Nicolaus Cali Peloponnesius Coronæus, literarum licet rudis, mihi* 1557 *dicebat de lingua.* 1 grossa, 2. Græcolatina, 3. subtili: *per primam*, vulgarem; *per alteram*, antiquam; *per tertiam* Ecclesiasticam *significans: qualis scilicet in concionibus Rarturi est, aut in Bibliorum* ἄνθει, *aut in Damasceni Monachi* θησαυρῷ. Auctoritas autem ac fides illius synopseos eundem Calogerum nonnullam in dubitationem videbatur adducere, quoniam omnia Hieromonachum scripsisse, ceu libellus Romæ editus habet, persuadere sibi ipse haud proferat: Suum illud solemne, ait, servant in Græcia Jesuitæ, ut libros nostros inibi describant, Romam dein afferant, ac inserant quævis pro lubitu, vel demant. De *Cyrillo Lucari*, Patriarcha Constantinopolitano, rumor quondam percrebuerat: ac si ob *confessionem* suam *Christianæ fidei* (cui adjuncta est *gemina* ejusdem Confessionis *censura synodalis*, unà à Cyrillo *Berrhoensi*, altera à *Parthenio*, Patriarchis itidem Constantinopolitanis promulgata) ab actu remotus foret: Non esse ita, responsum reddidit: Confessionem illam, instar Epistolæ circumlatam, à plerisque lectam fuisse, nec de fraude damnatam; ceu genuinam. De superbia *Franciscanorum* ac fastu, nec nõ injuriis, sibi in hac peregrinatione haud rarò illatis, cum gemitu apud me questus est; deq́; istorũ ingratitudine deploravit, quos Calogeri in Turcia sæpè præjuvent, quos diligenter adjutẽt; quò id fiat faciliùs, quod agunt & moliuntur.

Eram in curiositate, fateor, ὀξύπεινος: quare ex communicationis ejus arcana rimans, quam *Tympaniticam* dixerim, ex eodem acceperam, quod quater, vel quinquies, velut oculatus testis, ipse interfuerit, & præsens viderit falsi testimonii confictores; qui ab Episcopo *in publica* (quod mireris) *via, coram omni hominum cœtu*, solemni formula, ob furtum, vel aliud crimen negatum, commonefacti, post mortem τημπανιαῖοι exstiterint, & *cadavera* istorum *ad tympani morem turgentia*, atq́ue tam nigra, inquit, quàm vestis mea est. In mente tunc erat *Christophorus Angelus*, Græcus, qui in *statu & Rit. Eccl. Græc. cap.* 25. de excom̃unicatis Græcis

cis homines Græcos, in Anglia degentes, interrogare jubet; ne verbis ejus fidem detrectare habeamus necesse. Non adeò absimilis videbatur adulterii investigatio, qua uxor, suspicione aspersa, sacerdotis maledictionem, *uterus tuus intumescat.* experiri cogebatur, *Num. Ps.* 21. velut in exemplum & *in juramentum* cunctorum in populo suo à Domino data. Colloquio nostro clausulam imponebant *mons Athos*, *templum Sophiæ*, & *sepulchrum Mosis*: Τὸ ἅγιον ὄρος ampliter laudavit, quia Monachi; hujus montis, (quem & ipse, religione maxima perlustraverat) quocunque aliò venerint. majoris auctoritatis censentur; quàm alii alii, qui non ibi fuerunt. Habitationi Calogororum *S. Basilii* hactenus fuit mons sacer consecratus; quibus, ut Balon apud *Georg. Phelavium in Annot. ad Anglic. cap* 27. & 28. recenset, privilegium aliquod est concessum, ne ullus nisi Caloger Græcus in hoc monte commoretur: Id quod hodiernum servatur. De *porta* quadam in *Sophiæ templo* Itineraria perhibere memini, quod eam Christianis adventantibus Turcæ ostendant, velut Augustæ superbiæ fores; per quas Græci Impp. curru eminentes, vel nitidis ac famosis sedentes equis excelsiùs magnificentiusque in divinum illud domicilium vehebantur. Quæ quidem is se ignorare (verecundia, credo, perterritus) ajebat, fabulosè narrans, illam Imperatorum portam, hodiè semper occlusam, & prisca formidine sacram, hac vi arcana pollere, ut Turcæ vel propius accedentes, vel fortè prætereuntes, statim exanimes concidant? quare ab impuris istis metui, velut ostium Acheruntis. Aliis (qui mecum erant) persuadere voluit, quæ non sunt vehementer πιθανὰ, de magnifici illius Templi exstructione; Angelos nempè Justiniano M. gemmas, margaritas, & magnos auri thesauros aggessisse; qua re insolita motus Imp. novam à fundamentis aliam Sophiæ Ecclesiam, in motu plebis imperante Theodosio minore conflagratam, ædificare animo intenderit. Paullò aliter templum Salomonis à Dæmonibus exstructum fuisse, asserunt testes Muhammedani, apud *Cl. Hottingerum lib.* 1. *Hist. orient. cap.* 3. Requisivi, utrum aliquid ex literis monasterii sui accepisset de sepulchro Mosis; A. CIↃ. IↃC. LV. mense Octobri à Maronitis quibusdam pastoribus, in montibus Nebo & Abarim pascentibus, reperto, sed vacuo, magnaque pecunia Jesuitarum (quibus se Græci & Armenii & Franciscani, in aula apud Musslim & Visirium, muneribus opposuerant discordes) à Turcis redemto; ut corpus videlicet Mosis clàm auferrent ex sepulchro, & in Europam deportarent: De quo plura *Georg. Hornius in Hist. Eccles. num. LXXIV.* Non liquere, respondentes, id verò se nosse de Judæis dixit, quod circa urbẽ Hierosolymam aliquot Mosis sepulchra advenis commonstrent; atque pro istis vehementer pugnent.

Hæc Joasaphus ille Cologerus certè doctissimus, de quo facil existimẽ, quod Phil. Camerarius, in Epist. ad Joh. Matthesium, de viro Ratiano, Ecclesiæ Byzantinæ Diacono: *Non judicamus hominem vanum esse. Nam mores sunt honesti; & de doctrina Ecclesiæ piè loquitur.* Eundẽ pariter ad majorem Germanorum amicitiam excitavi, & cohortatus sum, exempli causa nominans hunc ipsum Camerarii amicum, itemque *Stamatium Donatum*, ex insula Cypro oriundum, in septimum usq; diem

diem Tubingæ à Cruſio retentum; nec non *Andream Argyrum*, & *Lucam*, ex inſula Santorina (non longè ab inſula Melo) in Archipelago; *Nic. Cali*, Peloponneſium Coronæum; *D. Joh. Zygomalam*, ex Nauplia, Peloponneſi, Cancellarium ſive Interpretem apud Patriarcham; qui ſi junior fuiſſet, Venetias navigaturus, inde in Germaniam ad Tubingenſes, rei faciendæ cauſa veniſſet. *Omnes docti Græci*, inquit Gerlachius) *cum Patriarcha lætantur, ſibi cum eruditis in Germania viris conjunctionem aliquam intercedere.* In nobili Altdorffina, noſtro hoc ſeculo, *Metrophanem Critopulum*, Hieromonachum, Berrhoëenſem Macedonem, Patriarchæ Conſtantinopolitani Protoſingilum, Germanorum familiaritatem penitùs intraſſe, variæ illius orationes, à me Joaſapho oſtenſæ, palàm loquuntur. De *D. Franciſco*, & *Æmilio* F. ejus *Portis*, ex inſula Creta dicere, quid opus eſt? olim inter Græcos & Germanos notitiam fuiſſe, Emanueli Comneno nupta teſtatur *Irene*, ſeu *Frideruna*, Comitis *Sultzepachii* Berengani F. & *Irene*, Iſaaci Angeli Imp. F. Philippo Germanico Imp. non valdè longè huic, in monaſterio *Lorcha* humata. Et in oppido *Conſtantia* ſepulchrum extat *Emanuelis Chryſoloræ*, in cœnobio Prædicatorum ante aram, militis Conſtantinopolitani, viri doctiſſimi, prudentiſſimi, optimique; qui tempore generalis Concilii Conſtantienſis diem obierat. A. C. 1415. *VVolf. Lazius lib. II de Migrat. fol.* 17. tradit, Græcos fuiſſe mixtos Germanis, & Gallis, Japhet poſteritati: Græcam præterea linguam eodem tempore in Illyrico, quo & in Hellade exortam. *Idem lib. II. fol.* 28. *& ſeqq.* pluribus agit de Phocenſibus in Celtas & Illyricum migratione; nec non de Gallogræcis & Barbarogræcis in Pannonias & Noricum, libro iſtoc integro. Quam bellè cum Græcis Runicæ conveniant literæ (quod nimirum in *Moëſia* maritima conſederant *Getæ*, ubi & *Græcorum* coloniæ) præter Bon. Vulcanium, præclarè innuit *Ol. VVornius in Literat. Run. cap.* 22. Abr Mylius auſus eſt affirmare, Homerum Belgicè locutum, *lib. de Ling. Belg. cap.* 29. Ut igitur me ad Græci amicitiam magis applicarem, eum poſt triduanum fermè colloquium, a. d. XXII. m. Octobr. anno ſuperiore, illum fidei amicorum Ratisbonenſium, non ſine commendatione, commiſi; rogans atque obſervans, ut pro redhoſtimento beneficiorũ in ſe collatorum (quæ ſummis in cœlum laudibus efferebat) Chriſtianos *duplices* nomine noſtro, comẽdatos ſibi aliquando, in patriam reverſus, haberet: Captivos, puta, & *Peregrinatores*. Id verò ſe facturum, recepit, in ſuis, Ratisbonę ad me exaratis, his poſtremo verbis: *ποιήσω ξενίαν καὶ φιλίαν εἰς τὸς χριστιανὸς ἰὸς πρὸς μακρὰν ὑποθημίαν ἀπερῶνίας, καὶ ποιήσω ἕως τέλ@ τῆς ζωῆς ἡμῶν.* Verùm ad magnitudinem orationis adeò excrevit epiſtola mea, ut non recuſem, ſi cum Demetrio exiſtimes: *ὐμὰ τὴν ἀλήθειαν ἐπιςολαὶ γένοιντο ἄν, ἀλλὰ συγγράμματα. Non juxta rei veritatem epiſtolæ ſunt, ſed libri.* Qui iccirco & multas Platonis, & unam Thucydidis, veras eſſe epiſtolas negabat. Benè rem porro age, vir Excellentiſſime, & Leonis Allatii confutationem Concilii Florentini, à Belgis emiſſi, ad Calendas Græcas expecta. Norimb. a. d. X. m. Mart. A. C. cIↃ. IↃc. LXVI.

CHRISTOPHORUS ARNOLD, in Æde Mariana V. D. M. atq; in Auditorio Publ. Ægid. Orat. Poëſ. & Græc Ling.. PP.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747224897/phys_0032
DFG

Ξ. Θ.

PROOEMIUM.

GRatularis tibi, Clariſſime Allati, quod dicta tua tanti fuerint æſtimata, ut in Athenis Germanicis in ſolenni congreſſu expenderentur, quot pondo ſint: Conquereris autem poſtea, æquam in illis expendendis non fuiſſe adhibitam lancem, cum tamen laudatores alii non defuerint; me vero incuſas, quod ſine rationibus, argumentis, & teſtimoniis, unica vel inficiatione, vel affirmatione, vel in aliud tempus remiſſione, bene ſanis hominibus, nova methodo, & perlevi momento ſatisfacere voluerim. At enimvero, ego mihi non minus gratulor, tanti mea dicta æſtimata fuiſſe, ut inſtructiſſimus in omni eruditione tuus Carolus Moronus, Bibliothecæ Barberinæ cuſtos, diſſertationem meam, tibi tam erudito & præclaro viro, ad examinandum obtulerit, quod cùm à te fuerit factum, non exiguam mihi id gaudendi præbuit materiam: Sic enim clarius eluceſcet, uter noſtrum meliore methodo, melioribus item rationibus & teſtimoniis utatur. Inter laudatores autem tuos me quoque velim reponas; laudavi enim non verbis modo Magni Voſſii tua in literas merita, ſed etiam rerum Græcanicarum & Eccleſiaſticarum inſignem peritiam; & præter hæc ingenium quod in argumento paradoxo ſatis plauſibiliter exercuiſti admodum verſatile: de cætero, non poſſum non vi veritatis adactus Viros in omni ſtudio Arcudio & Nihuſio tuo haud paulo verſatiores ſectari; qui, quam vis tua dictata ſumma cum cura ponderent, iſti tamen erudito tuo operi

præfigere coguntur ſententiam illam: Mene, mene, Tekel. Qui vero & quales ſunt tui in hoc negotio laudatores? Ecchellenſis, Nihuſius, & fortaſſis alii horum ſimiles. Verum; *revera quibus tantum honoris detuleras, juſtum erat, ut tua dicta laudarent. Quia vero ſolent interdum homines laudare quod non probant, & alienam ſtultitiam caſsis nutrire præconiis: non ſolum tua dicta laudaverunt, ſed laudaverunt & mirati ſunt: & ne miraculum quoq; parvum eſſet, catholicæ eſſe fidei omni populo declaraverunt,* dicere poſſem ex literis S. Hieronymi ad Joann. Hieroſol. qui ad Laudatorem ſuum S. Epiphanium provocaverat T. 2. p. m. 169. *Nunquam de amicorum judicio glorieris. Illud verum eſt teſtimonium, quod ab inimica voce profertur. alioqui ſi amicus pro te dixerit, non teſtis aut judex, ſed fautor putabitur.* Ejusdem Hieronymi eſt judicium. Sane laudem lectionis immenſæ, eruditionis amplæ, & ſtudii curiæ Romanæ addictiſſimi tibi neutiquam invidemus, non abs re tamen judicamus, tuorum te commonefieri poſſe verborum, quibus aliquando ad Jo. Aubertum uſus es, te nimirum, poſtquam aliquid, *quod arriſerit, chartis mandaveris, ſtatim aliquem tibi conquirere ex eo hominum genere, qui non levi pede, & ſuperficie tenus, ſed pleno & prudentia munito pectore ſapiunt, non ut ſcripti cauſam ſuſcipiat, & reprehenſione digna tueatur, & ſi Diis placet, laudet; ſed ut vulneribus medeatur, & quæ ſunt non à recta ratione dictata, corrigat, emendet, immutet, deleat, penitus tollat. Neque enim fieri poteſt*, ais, *ut omnia ſemper laudanda ſcribamus, reprehendenda nunquam. Homines ſumus, ex ingenio humano ſcribimus, qui nunquam non labuntur & errant. Id ſi nusquam alias, nunc mihi in negotio difficillimo peroptandum fuit: neque enim in levibus & levi manu verſamur, ſed in intima Græcorum penetrantes adyta, & eviſceratas ex eorum pectore, & ſcriptis, ſententias cenſoria virgula examinantes, & ad amuſſim judicio facto ponderantes ea, in quibus minus eſt; nec ad Eccleſiæ Catholicæ dogmata ſuſtinentur, tanquam ſpuria & adulterina pandimus, refellimus & rejicimus, recta ſanaq; comprobamus.* Sic olim de diſſ. tua in libb. Eccleſ. Tales Cenſores operi de perpetuo conſenſu, utpote longe adhuc difficiliori, & contra ſenſum fidemque omnium, quotquot ante deſcripſerunt, imo contra veritatem & ſanam rationem conſcripto, optare, advocare, & ferre deberes Neſcio etiam

an non

an non de iisdem tuis laudatoribus usurpare debeam illud Salviani ad Solon. lib.1. contr. Avar. pag.9. *Tam imbecilla* (quid si addam præoccupata) *sunt judicia hujus temporis, ac pœne tam nulla, ut ii, qui legunt, non tam considerent, quid legant, quam cujus legant, nec tam dictionis vim atque virtutem, quam dictatoris cogitent auctoritatem.* Me vero accusas quod multa de industria prætersilierim, inque aliud tempus ex defectu probationis rejecerim. quod quidem tum demum cum ratione facere potuisses, si tractatum integrum me editurum esse promisissem; sed, cùm satis clare mihi caverim, & monuerim, brevitatis studium mihi hac vice commendatum esse, nudamq; me dissertationem dare, saltem, ut Patriæ & Patronis studiorum meorum, temporis haud inutiliter collocati, & impensarum, quibus me benigne sustentarunt, rationem aliquam redderem, animique grati τεκμήριον exhiberem, idcirco speraveram, neminem ex bonis & æquis viris id mihi vitio daturum: quod instituti cùm præter meritum, salle satis & acerbe reprehenderis, alii judicent, an æqui & boni censoris nomen tueri possis. Bene Vincent. Lerin. præf. comonitor. de consimili brevitatis studio: *Sed jam in nomine Domini, quod instat, aggrediar, ut scil. à majoribus tradita, & apud nos deposita scribam, relatoris fide potius, quàm auctoris præsumptione: hac tamen scribendi lege servata, ut nequaquam omnia, sed tantum necessaria quæq; perstringam: neque id ornato & exacto, sed facili communiq; sermone: ut pleraque significata potius, quàm explicata videantur. Scribant ii laute & accurate, qui ad hoc munus vel ingenii fiducia, vel officii ratione ducuntur: me vero sublevandæ recordationis, vel potius oblivionis meæ gratia commonitorium mihi parasse suffecerit: quod tamen paulatim recolendo quæ didici, emendare & implere quotidie, Domino præstante, conabor. Atqui hoc ipsum idcirco præmonui, ut si forte elapsum nobis in manus sanctorum censorum devenerit, nihil in eo temere reprehendant, quod adhuc videant promissa emendatione limandum.* Promisi & ego talia, & stabo promissis Sic Pater ille Deus faciat, sic magnus JESUS! *Quamvis enim* (Allatius) *libraverit accusationis suæ hastas, & totis adversum nos viribus intorserit: credimus in Deo salvatore, quod scuto circumdabit nos veritas ejus: & cum Psalmista cantare poterimus: Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum;* qua animi fiducia

S. Hieron. T. 2. p. 200. Ruffinum est aggressus: eademq; nos freti Allatium aggrediemur, sensurum aliquando, non cum imbelli juvene se contendisse. Sed quia præter rem methodum & brevitatem meam tibi exagitandam sumsisti; agedum de tua methodo, & contra Adversarios tuos disputandi modo, paululum nos quoque dispiciemus, uter magis culpandus & exagitandus sit, ego an tu? Scripserat ad me Vir Clarissimus & eruditissimus, Joh. Christ. Arnoldus, Exercitationem meam inter libros prohibitos Romæ relatam, ejusque refutationem ab Allatio adornatam, apud Patres Congregationis de propaganda fide, excusam esse, sed eam nec prece, nec pretio, comparari posse, quamvis Amicus suus, Vir Clarissimus, Romæ id sedulo egerit; similia scripserat Vir summus, J. H. Bœclerus, cui tamen librum, ex communicatione Viri inter Pontificios magni nominis, perlegere contigit. Omnibus igitur modis id agebam, ut liber in meas perveniret manus; verùm, me & alios diu frustra delassavi; tandem vero per varias ambages eundo, ex Urbe Roma nuper protractus fuit. An non igitur contra de jure merito illis utor verbis, quibus Hieronymus T. 2. oper. adv. Ruffin. ad Pamach. & Marcell pr. stomachabundus usus est: *Scribuntur contra me libri, ingeruntur omnibus audiendi, & tamen non eduntur*, (ad nos non mittuntur) *ut simplicium corda percutiant, & mihi facultatem pro me auferant respondendi. Novum malitiæ genus, accusare, quod prodi timeas; scribere, quod occultes. Si vera sunt quæ scripsit, cur publicum timuit? si falsa, cur scripsit? olim pueri legimus, intemperantis esse arbitror, scribere quicquam, quod occultari velis.* Et interiectis nonnullis: *Sed adversus illos libros, qui per angulos garriunt, & furtiva accusatione me mordent, cum editi fuerint, & de tenebris ad lucem processerint: atque ad nos vel studio fratrum, vel temeritate æmulorum, potuerint pervenire; respondere conabor. Neque enim magnopere formidandi sunt, quos metuit auctor suus prodere, & tantum confœderatis legendos esse decrevit. Tunc aut agnoscam crimina, aut diluam, aut in accusatorem, quæ sunt obiecta retorquebo: & ostendam, quod hucusque silentium modestiæ fuerit, non malæ conscientiæ.* Non est damnum dilatio, ubi certior fit ex dilatione victoria. Refertur hoc inter artes pugnantium, alibi minari, alibi percutere: gladiator tergum vertit, ut superet: fugam simulat,

simulat, ut occidat. Faxo igitur, ut sentias, me non ex defectu argumentorum, vel testimoniorum, breviorem fuisse, sed, ut eò fortius ad prælium redire possem. Novum ne præterea est, in aliud tempus & scriptum nonnulla rejicere? Ecce Vit. Erbermannus Apostata, in titulo libelli sui, quem vocavit Animadversionem in D. Gerh. Titii ostensionem summariam, quod Pontificii nequeant sua peculiaria dogmata ex unanimi V. primorum seculorum consensu probare, totius tractatus Titiani refutationem pollicetur: & in fine proœmii minatur, *se animadversurum, quid de ostensione Titiana sentiendum videatur.* Et tamen addit: *Non attingam vero hic singula impugnata dogmata. Reliqua XV. dogmata* (ita finit,) *remitto in aliam lucubrationem.* Melch. Cornæus defensionis miraculorum contra D. Dannhawerum hoc facit exordium: *Non est equidem animus, omnia hic prosequi, quæ ad perfectam miraculorum tractationem spectare possent, sed bello quod ajunt defensivo tantum insultum hostis à mœnibus castris q; nostris repellere. Multa enim, quæ Dannhawerus insulse sæpe peccat, brevitatis & compendi amore dissimulabimus, ea tantum modo perstringentes, quibus apertius & directa magis fronte miracula nostra feriri videntur.* Merito à Dannhawero increpatus, quod magno se in hostes proruiturum animo in dedicatione scripsisset, deinde vero insultus tantum à mœnibus repulsurum esse profiteretur. Ego nihil tale scripsi. Tu ipse, ubi de insolubilitate matrimonii agere debuisses, ais, te in exercitationibus tuis adversus Creygthonum, & Syropulum, dicturum esse. Ubinam opportunius & commodius fieri poterat? quæris aliquando ex me, & ego nunc ex te. Vides, quod idem & accusator & defensor sis: cum in te probas, quod in me improbas: quasi virtus & vitium non in rebus sit, sed cum auctore mutetur. Quid igitur hic fuisset faciendum: Ex mandato Allatii, *eodem vestigio temporis verisimiliora vel credibiliora producenda fuissent, alias omnia nostra, nulla sunt.* Vide, quam tibi constes; jubes Hottingerum in nonum suos libros premere annum, & simul jubes, ut eodem temporis vestigio tibi respondeatur. Vide, quam iniquus sis, eodem vestigio nec tui libri ad nos adportantur, & si copia legendi statim fieret, eodem temporis articulo nemo posset respondere. Vide, quam injustus sis, cæco carcere claudis libros tuos,

& jubes, ut ad ea, quæ nec legi, nec videri queunt, reſponſiones paremus. Sed mittamus hæc. Qua vero methodo nos incedere jubet Allatius? *Res*, ait, *de quibus inter nos agitur non in theoria, ſed in praxi conſiſtunt: neque enim de eorum natura, ſive veritate diſputamus, quod alii peragunt, ſed tantum de conſenſu & diſſidio inter Græcam & Romanam Eccleſiam, utcunque ſe habeat iſta fides, vel veritas. Modo inter nos id tantum diſputatur: & tu diſſidium, ego conſenſum arguo. Conſenſus eſt voluntatum conjunctio, ſententiarum convenientia, & dictorum congruentia. An vero voluntates conjungantur, vel ſententiæ congruant, cum intimis præcordiis lateant, foras verbis egeruntur, quæ ſæpius: ſi ad præſentes non ejaculantur, in auras evaneſcunt, neque an unquam fuerint, dignoſcuntur. Quod aliter evenit, ſi monumentis prodantur memoriæ. Tum ſiquidem fixa remanent, & firmiter retinentur. Quare ad dicta Græcorum probanda, nulla ratio probabilior occurrit, quam eorundem inter preces effata, ex quibus indubitata eorum mens habebitur.* Bene! conſenſus eſt voluntatum conjunctio, ſententiarum convenientia, & dictorum congruentia, quæ omnia non aliunde melius dignoſcuntnr, quàm ex monumentis literarum, & indubitatò ex precibus Græcorum. Atqui in exercitatione noſtra oſtenſum eſt, nec voluntatum, nec ſententiarum, nec dictorum inter Græcos & Romanos in pluribus eſſe convenientiam, ſed maximam diſſonantiam, idq; ex ipſo Euchologio non ſemel probavim°, & amplius probaturi ſumus. Cur tamen ex ſolis Græcorum inter preces effatis, indubitata eorum mens de controverſiis noſtris habetur? An in precibus controverſias tractant? an omnes controverſiæ precationibus imiſcentur? non puto. Si ex ſolis precibus indubitata mens Græcorum habetur, cur ipſe Allatius tot ineditis & ſæpe non injuriâ ſuſpectis auctoribus ſtipatus incedit? Quod autem non ad nuda verba precantium, ſed ad ſenſum & explicationem integri alicujus corporis, & Doctorum Eccleſię, in dijudicatione controverſiarum, & quando de diſſenſu vel conſenſu contenditur, ſit reſpiciendum, infra demonſtrabimus, & quid tum Rituale Græcorum, tum Doctores ſentiant, prolixe recenſebimus: ad hos enim provocamus; quibus, non nos, ſed vos Pontificii nomen Schiſmaticorum impoſuiſtis: neque tamen eos, uti tu cavillaris, propterea quæritamus, quaſi nobis male olerent ingentia illa Eccleſiæ Græcæ culmina,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747224897/phys_0038
DFG

mina, antiquinimirum Patres, eorumq; effata in minimis ponerемus, quos omni veneratione prosequimur, deq; eorum cum nostris dogmatibus consensu serio triumphamus; sed ideo eorum, quos vocatis Schismaticos, testimonia à nobis requiruntur, quia ex his post schisma patratum solis constare potest, quot & quantæ Romanis cum Orientalibus intercedant altercationes. Hos testes advocabimus. Scribis quidem: *tu Pontificios rejicis, uti Pontificiæ dignitatis vindices, adversarios affers, & eorum testimonio tua constabilire niteris: ego vero eosdem, & merito rejicio. Qui enim Pontificatum perditum ire, & si fieri posset, memoriam illius penitus obliterare conantur, quod ad illius laudem est, confirmatq; dominium, vel silebunt vel imminuent, sæpius etiam in contrarium, & exitium convertent. Æquum itaque fuerit, vel utrisq; fidem negare, vel exhibere, dummodo verisimiliora dicant. Tum vero proxime ad verum accedent, & loquentur credibiliter, cum rejectis calumniis eorum dicta vel facta non ad vituperationem, nec ad laudem, sed ad simplicem rerum narrationem adducunt.* Ego ne omnes & simpliciter Pontificios, eo quod Pontificiæ dignitatis vindices sint, rejicio? neutiquam. quin acerrimos fidei & dominationis Pontificiæ vindices tum Latinos tum Græcos tibi oppono, qui omnes tibi contradicunt, & in Græcos vehementer detonant. Tu vero eos rejicis; Græcus est Man. Caleca, sed Romanæ religionis, hunc tu rejicis: A. Caucus Episc. est Romanensis in Insula Græca, hunc nimis inclementer flagellas. Gretserus, Bellarminus, Azorius, Casalius, Pontificii sunt, & illi quidem Pontificalis potentatus assertores acerrimi, hos produco, tu rejicis, & tibi præ illis vis fidem haberi. adducis quidem Græcos tecum sentientes, sed illi ex Ecclesia Græcanica exierunt, & pro Latina scribunt; eoque tamen ipso, dum adversus popularium errores dimicant, dissensum mutuum arguunt. Arcudii, Caryophili, & similes, extundere quidem tecum volunt consensum, sed omnes quotquot lumen sibi adimi non patiuntur, merum dissensum vident: neq; enim arbitror, omnes nostrarum partium eruditos, plurimosq; ex cohortibus Pontificiis, in re historica, & simplici narratione tam turpiter hallucinari posse, vel tam leviter velle. Cur vero tum demum proxime ad verum accedent, & credibiliter loquentur testes nostri, cùm eorum dicta vel facta, non ad vituperationem, nec ad laudem,

sed

sed ad simplicem rerum narrationem adducere solent? annon hac ratione omnis historiæ pragmaticæ vacillabit fides? An minus credibiliter loquitur. & ad veram accedet Tacitus, quia quæ vituperanda sunt vituperat, quæ laudanda laudat? Sed veniemus tandem ad rem ipsam propius, & de capitibus controversis dispiciemus; de veritate vel falsitate in præsentiarum, quando ita vis, non solliciti: Ritualia, Imperatores, Patriarchas, Episcopos, Doctores, non mercatores & advenas, & quid tum expresse, tum consequenter dicant, audiemus.

Divisa autem fuit exercitatio nostra in octo sectiones, in prima agitur de Schismate ipso. secunda de ejusdem origine. tertia de roboratione & incremento. quarta de mutua excomunicatione & desertione. quinta, de conciliationis tentatione. 6. de repulsa ejusdem & inconstantia. 7. de Nemesi divina. postrema de prætensa indivisione. Allatius ea, quæ nos hoc ordine tractavimus, methodo confusiori sibi refutanda sumsit: nos igitur ordinem vestigia nostra relegemus, & quid Allatius ad singula reposuerit, videbimus. Feliciter!

Sect. I. Art. I.

De Diversitate Rituum in genere.

Synopsis.

A Diaphora quando dissensum generent, quando non, ostenditur ex doctrina S. Pauli, & condemnatione Quartadecimanorum. Schisma Græcanicum consistit I. in diversitate Rituum, qui quidem non sunt de fide, haud raro tamen quædam habent innexa, quæ ipsam fidem propius attingunt. Apparet hæc discrepantia inprimis circa administrationem Sacramentorum, non sine gravissimis ipsam substantiam convellentibus pugnis. Ad hoc nihil respondet Allatius; ad objecta autem non respondere, cùm promiseris, te responsurum, est eadem confiteri. Quia tamen Allatius in illa parte doctrinæ, quæ de Ritibus, rebusq; Adiaphoris, & in Christiana libertate positis, homines informat, male admodum est versatus, existimans, rixas & altercationes circa easdem, unionem haudquaquam lædere, nedum divellere; agedum videamus, utrum hæc per omnia ita sese habeant. Verum aliqua-

quatenus est, *cerimoniarum diversitatem, sive quæ ex hominum arbitrio pendent, nullum inferre dissidium, neq; utentes illis alio atque alio modo in partes deduci*, uti loquitur All. p. 299. in Lib. de VIII. Syn. verum etiam est, *neq; ex usu, neq; ex usurpatione adiaphororum, Ecclesiarum & animorum distractionem colligendam esse*; Sed hîc omnino exaudienda vel subintelligenda est illa restrictio, ubi nimirum mutua & amica viget tolerantia, nec una pars alteram condemnat, neq; rem, quæ in se quidem est indifferens, vertit in necessariam. Hoc vero ubi contigerit, tum errante nimis nomenclatura istam animorum alienationem appellaturus esset aliquis consensum. Quod nunc amplius ostendo. Res & cerimonia post adscensionem Christi adhuc libera erat circumcisio, sublataq; legis illius sub V. T. obligatione, ex mero pendebat hominum Christianorum arbitrio; qua libertate usus gentium Apostolus Timotheum, ut lucrifaceret Judæos, circumcidit Act. XVI. 3. At vero cùm Pseudo-Apostoli rem adiaphoram sub opinione necessitatis exigerent, Titum in eorum gratiam circumcidere recusavit, Gal. II, 3. gravis inde, orta Apostolo cum falsis fratribus controversia, horumq; in illum calumnia & accusatio. Non itaq; dixit Apostolus: hæc res cerimoniam saltem & rem indifferentem concernit, nullum ergo inter nos & istos dissidium. Aliàs quidem ita judicaverat Paulus & apud eos, qui libertati hîc Christianæ vim non inferebant; secus tum & apud illos, qui libertatẽ, quam habebat in Christo, explorare imo evertere studebant. In celebratione festorum, novi luniorum, sabbatorum; item in delectu ciborum, eodem ævo Apostol. alio atq; alio modo sua utebantur libertate Christiani firmatiores, neq; tamen in partes & dissidia secabantur: sed profecto dissensum suum aperte testatus est idem S. Apostolus, immo aliis quoq; dissensionem suasit, cum nonnulli conscientias turbare, & res ex Christianorum arbitrio pendentes, in necessarias transformare vellent, Col. II, 16. seqq. Sic in veteri Ecclesia exorta fuit contentio, an festum Paschæ decima quarta luna sit celebrandum? Ecclesiæ Asianæ traditionem Johannis prætendentes, id affirmabant, occidentalibus contra renitentibus, moremque hunc Judaismi insimulantibus: diu duravit ista contentio, magnis utrinque viris pro & contra decertantibus, usque dum A. 198. Victor Pontifex Romanus Quartadecimanos non tantum ut Schismaticos, sed etiam tanquam hæreticos excommunicarit. De facto alibi

 dispu-

disputatur; nunc illud solummodo quæritur; an propter diversitatem ritus de die festo ipsa excommunicationis evibratione dissensum inter Asianos eorumq; assecias & Occidentales declarare debuerit Papa? ex principiis certe Allatii erravit: sed præstat audire Cardinalem Baronicum T. 2. *Annal.* ad A. C. 198. n. 16. *Etsi durum ac violentum visum est multis remedium Victoris Papæ; perneccssarium tamen ad ulcus, intrinsecusq; serpente tabo, curandum; cùm præsertim non eadem præsens esset Asianorum causa, atque fuerat antea tempore Polycarpi: quandoquidem olim illi ex permissione, isti ex necessitate se celebrare Pascha decima quarta luna dicerent, ac proinde eos qui secus facerent, errore labi jactarent: sicq; cæteros omnes toto orbe diffusos Christianos eo modo damnarent. nam,* ut ibidem dicit Baronius, & ex eo Spondanus, *hæc quidem tolerare, idem jam visum esse, ac schismati favere, ac schismaticis connivere*. His probe consideratis, dilucidissime patebit, controversias Græcorum, ritus quosdam spectantes, magnum & immensum generare discrimen: Usum enim trinæ immersionis, panis fermentati &c. non in libero Ecclesiæ Romanæ arbitrio relinquit Ecclesia Græca, adhuc hodie Schismatica; sed hæc talia omnia sub necessitatis præcepto exigit, urget, in Ritualibus præscribit, mandat, secus sentientes per os & scripta suorum Præpositorum condemnat: Judicet nunc qui judicio valet, an non schismati faveat, ac Schismaticis conniveat *Allatius*; hi enim nunquam dicent, se has consuetudines ex permissione tenere, sed ex necessitate ab omnibus observandas esse proclamabunt. Dissidium itaque hoc Ecclesias dividit, divellit, disgregat, nisi velis opiniones, quæ & temporis longitudine, & Schismaticorum pertinaciâ in hæreses abierunt, in Catholica tua Ecclesia tolerare, excusare, probare. Sed nec Bellarminus patietur propositionem istiusmodi formari & defendi: cerimoniæ sunt adiaphoræ, & exinde ex diversitate cerimoniarum nullum enascitur dissidium. Nam T. 3. l. 2. de Eff. Sacr. c. 31. de cerimoniis agens, propositione quarta scribit: *Sed in particulari, quod cerimoniæ non sint omnes liberæ observationis, probatur ex eo, quod propter cerimonias natæ sunt in Ecclesia gravissimæ dissensiones, & sub pœnis gravissimis impositæ sunt leges de cerimoniis, & tandem hæretici habiti sunt, qui non obediebant. Quæ omnia sunt argumenta manifesta, rem istam non esse liberam:*

non enim de rebus liberis nascuntur dissensiones. Prima dissensio in Ecclesia fuit ab cerimonias legales Act. 15. Secunda dissensio fuit de die Paschatis, h. e. de alia cerimonia. Et tanti fecit Ecclesia hanc cerimoniam, ut Victor Papa I. totam Asiam separare voluerit ab unitate fidelium, quod nollent Asiatici in ea re parere. Denique à PP. habiti sunt hæretici, qui eam cerimoniam diverso modo servare volebant, Aliæ fuerunt postea dissensiones de delectu ciborum, de temporibus jejuniorum, de diebus festis, peregrinationibus, vigiliis, cereis, aliisq; ceremoniis, ob quas numerati sunt inter hæreticos Encratitæ, Manichæi, Eustathiani &c. Quinta propositio: Cerimoniæ non sunt res indifferentes, sed sunt res utiles, meritoriæ & pars quædam cultus divini. Recensitis quinque utilitatibus, *Sextam facit distinctionem Catholicorum ab hæreticis. Nam Sacramenta sunt quidem symbola quædam, quibus discernimur ab infidelibus, tamen ab hæreticis vix per Sacramenta distingui possumus, sed per cerimonias optime distinguimur.* Postremo probat, quod cerimoniæ *sint meritoriæ*. Vides hinc, Bellarminum crudam tuam assertionem exserte refutasse. Immane igitur ex diversitate ceremoniarum provenit dissidium, quod etiam Ecclesias scindere, & hæreticos efficere potest. Jam vero Græci cerimonias suas non modo pertinacissime retinent & tuentur, sed insuper etiam Ecclesiæ Romanæ, ob earundem neglectum, variorum errorum immo & hæreseos notam inurunt. Inde liquet, Allatium per extenuationem harum dissensionum nihil profeciſſe, tantoq; minus, cum si Prospero Fagnano attendere debemus, *de ritibus Græcorum qui ab unione Ecclesiæ sejuncti sunt, & Latinos ritus abominantur, non sit curandum, quamdiu persistunt in statu damnabili hæresis, & schismatis.* Com. in Part. I. Lib. V. Decret. De Schismatic. c. Quod à Prædecessore n. 141. p. 245.

Artic. II.

De trina Immersione.

Synopsis.

AGitur de ritibus Baptismi ex intentione. De Rebaptizatione Pontificiorum passiva ex Cauco, Concilio Lateran. Innocentio

III. Arcudio. Græci Rom. inungunt ex Macario Ancyrano, & Epheſio. Iterum de ritibus. Firmatur diſſenſus rationibus. Sguropulus an vocet Latinos ἀβαπτίστους, ubi falſitas Allatii redarguitur.

§. 1. *Trina immerſionis in baptiſmo mandatum, damnata immerſione una, ſalis uſus in baptiſmo, chriſmatis immediata cum baptiſmo conjunctio, &c. de his & ſimilibus*, dicit Allatius: *Hæc plane adiaphora ſunt.* &c. Prolixitatem amat Allatius, putatq; ſi multos logos feciſſet, rem omnem ſe tum ſtatim confeciſſe. Reſupinanda igitur erunt illa omnia, quæ ſine ratione & neceſſitate nequicquam congerit. Quis dicit hæc ad ipſam eſſentiam baptiſmi pertinere? quis dicit, abſentiam horum rituum Sacramentum irritum reddere? Scimus hæc neque ad materiam, neq; ad formam Sacramentorum pertinere, ideoq; etiam nos in noſtris Eccleſiis prorſus omittimus. Quid opus eſt, de intentione miniſtri, ſive confuſa ſive diſtincta multa inutiliter illinere? quid de ea ſentiamus, dudum docuerunt noſtri Theologi. non indigeo tua informatione, qua me doceas, quando Baptiſmus ab hæretico adminiſtratus ſit validus: docuerunt me id ante te veteres & recentiores Theologi.

§. 2. Quid opus eſt, ut ſcribas: vides, Baptizati ab Arianis veram verborum formam retinentibus ad Eccleſiam Cathol. reverſi, non fuerunt denuo Baptizati? quid hæc ad me? Ex eo ego potius contra te colligo, Græcos nonnunquam baptiſmum Latinorum ut invalidum rejeciſſe, ideo enim rebaptizarunt Latinos ad ſe deſciſcentes: ſicut enim is, qui hominem ab hæretico baptizatum, non rebaptizat, eo ipſo fatetur, hæreticum validum & ſacroſanctum adminiſtraſſe baptiſmum, ita vi oppoſitorum, qui rebaptizat, cenſet baptiſmū non valide fuiſſe exhibitum. Quod cùm Græci aliquando fecerint, aliquando de validitate baptiſmi à Pontificiis adminiſtrati dubitarunt. non dico quod recte fecerint, ſed factum & rem nudam recito. Aſſerit id Arct. Caucus hæreſi prima, & ait: *Græcos Latinos omnes ad ſe venientes, & ritus ſuos ſequentes rebaptizare, & tantum ſibi tribuere, in hanc inſanam & dæmonum hæreſim prolapſos, ut audeant in Catholicæ fidei contemtum, ipſorumq; Latinorum, ſub quorum imperio & poteſtate hodie vigent, impune rebaptizare, ungentes eos oleo, & aſſerentes, Eccleſiæ Rom. doctrinam de baptiſmo non eſſe veram, quemadmodum neq; formam.* Excipit jam Allatius: P. C. 3, 16, 7. *Si petas ab eo, unde id habeat,*

habeat, mutus est illico. Hîc ego nunc incipiam pro Cauco aliqua dicere, dicturus plura in seqq. Habet id à Græcis: *cum Græcis vivens ex quotidianis eorum congressibus & sermonibus familiaribus ad discere potuit,* ut sane didicit. Tua sunt de Cauco verba in controversia de extrema Unctione, ad quæ aliud nihil reponis, nisi Caucum illum, Archiepisc. Corcyræum, hominem Pontificium, *ut Calumniator esset improb⁹, vincendi tantum gratia scientem & prudentem Græcos malitiosis litibus vexare.* Credere ne hæc nos jubes, de Archiepisc. Pontificio, inter Græcos familiariter vivente, contra ipsos scribente, & hinc Pontificem Maximum, omnesq; Pontificios nefariis mendaciis circumveniente? Quid ergo mirum, si Monachi & Jesuitæ, familiariter inter nostros viventes, vincendi & calumniandi gratia, malitiosis litibus, scientes & prudentes nos vexare, nostramq; religionem exosam reddere studeant? Non tamen mentitus est omnino Caucus, uti Pontificii mentiuntur de nobis: ipse enim inquis: *Concilium Lateranse ante Caucum cap. 4. in tantum,* ait, *Græci cœperunt abominari Latinos, ut à Latinis baptizatos, rebaptizarint.* Hîc ne etiam Concilium Lateranse, & in eo Pontifex Innocentius III. & tot Episcopi, calumniati sunt Græcos? respondet Allatius: *Aquibusdam id aliquando factum, ne singula vocare in controversiam videamus, licet concesserimus, modo sane Græci, quemadmodum neq; ante actis temporibus, neminem Latinorum, qui in eorum castra profugerit, rebaptizant.* Sufficit id ipsos aliquando feciisse, huncque morem alicubi usq; ad tempora Cauci retinuisse, etiam si eum hodie amplius non sequantur. Sed qualis hæc est vertiginosa locutio? licet concesserimus, id aliquando â quibusdam factum, id tamen neque modo neque anteactis temporibus factum est. Estne hic perpetuus consensus? *Græcorum quidam audaciissimi* (scribit Arcudius de concordia, sive potius discordia Ecclesiæ Orient. & Occid. pag. 17.) *non defuerunt, qui Latinos ausu temerario rebaptizarint, ut habetur in Concil. Lateran. cap. 4. cui ipsimet Græci interfuerunt. Bellarmin. lib. 1. de Baptism. cap. 3. ubi agit de forma baptismi, ex eodem Concilio colligit, propterea Græcos hoc feciisse, quod, cùm nimium adhærerent suæ formæ, Latinorum formam ut minus veram & legitimam despicerent, atque damnarent. Mihi olim non videbatur verisimile, Græcos iterasse baptismum, quod formam Latinam invalidam opinarentur. Neq; enim existimabam tam stupidos fuisse, ut non animadverterent, activum verbum par*

esse passivo, & idem valere. *Verum postquam incidi in nugas Simeonis, de forma baptismatis, minime mihi absurdum visum est, sensisse ita Bellarminum. Si ea non est causa, forte propter trinam immersionem, quam Græci falso putabant, Latinos solitos esse negligere.* Matthæus quoque Blastarius citat canonem 50. *Apostolorum: Quinquagesimus, ait, sanctorum Apostolorum Canon, ut tria baptismata unius initiationis fiant, præcipit, tres videlicet mersiones in uno baptismate. Non autem unum baptisma, scil. ut semel immergatur ille, qui baptizatur, & in unam demersionem mors Domini celebretur. sicut Eunomianorum hæresis insaniæ plena supponit. Ego præter allatas causas, cur Græci rebaptizarint Latinos, potius dicerem, odio in Latinos istud fecisse*.

§. 3. Quamvis autem Græci Romanos hodie non rebaptizent, oleo tamen eos inungunt, quod certum est documentum, eos haberi pro hæreticis. Sic enim Macarius Ancyranus l. cit. apud Allatium: *Quandoquidem eos Latinos, qui ad nostram sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam convertuntur, post proprii dogmatis anathematismum Chrismate ungi voluerunt, ab initio ipso Schismatis ad hæc usque tempora, divina sapientia instructi sanctiq; patres.* Hinc Marcus Ephesius in Epistola encyclica Latinos *propterea hæreticos esse probare conatur, quod eosdem Græci ad se conversos chrismate inungerent.* Quid adhæc Leo? rugit adversus populares: *Potuit aliquando à nonnullis audacia & temeritate projecta hominibus in ea Ecclesia, violatis divinis atque humanis legibus, dum schismatis rabies magis ac magis incalesceret, attentari; id tamen usu communi receptum non est, nec ad posteros propagatum: cùm hac ætate non nisi à furore percitis Monachis & Sacerdotibus, qui in ea Ecclesia nullo pretio vilescunt, & secreto fieri audierim: publice vero id à nullo, quod ipse sciam, præstatur.* Quam miserum hoc est κρησφύγετον! citat auctores qui hoc testantur, dicit, *hunc conciliationis modum in multis manuscriptis Ritualibus*, quorum auctoritas Allatio est Sacrosancta, *haberi:* monachos, & sacerdotes hoc facere: sed furore percitos, sed privatim, ut inaudierit, non publice, quod ipse sciat. egregiæ demonstrationes perpetui consensus. Rectius igitur & propius ad suam mentem ibidem scribit: *quare Græci sive baptizent Latinos ad se revertentes, sive inungant, iisdem subjaceant pœnis necesse est, & vix hæreseos notam effugiunt.*

Manet

Manet igitur fixum firmumque, Græcos, dum inungunt Latinos professionem fidei Græcanicæ edentes, Romanos pro hæreticis habere, receptio enim male sentientium in Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, ut loquitur Ancyranus, fit mediante ista inunctione.

§. 4. At dicit Allatius: *Cerimoniæ itaque & ritus in administratione non variant essentiam*; & hoc est, quod probe novimus, & contra vos diligenter defendimus, quando nobis semper objectatis, variare inter Lutheranos cerimonias, & Ecclesias dissonantes efficere. Nihilominus tamen id obtinui in hoc capite de trina immersione, dissidere Græcos à Latinis, non tanquam in baptismi substantia, ritu tamen notabili. Animadverto autem Allatium, non sine ratione rationibus agere nolle, quia ratiocinandi satis imperitus esse videtur, nisi id studio declinat, non ex imperitia, ne tam facile capiatur. Ait; *male dissidia hariolamur inter Græcos & Pontificios propter rituum istorum diversitatem, cùm sint liberi, substantia vero baptismi eadem utrobiq; maneat.* At, dissidium nihilominus est aliquid. Ita nos Evangelici vobiscum convenimus de essentia Baptismi, forma nimirum & materia in sacro codice præscripta, nihilominus est aliqua inter nos discordia in ritibus, quorum nonnullos superstitionis & ineptiarum accusamus. Inepta sunt reliquæ quæ Allatius disputat, in quibus casibus istæ cerimoniæ omitti possint, quando non possint omitti: quid hæc ad tres capellas? de eo disputatur an non necessitas trinæ immersionis à Græcis requisita aliquod discrimen ut sic dicam rituale arguet? Allatius negat arguere, quia alii ritus quandoq; omitti possunt in casu necessitatis: qualis hæc consequentia?

§. 5. Quia vero nos testimonia jam attulimus juxta petitum ipsius, age rationibus quoque hominem constringamus. Ita autem argumentamur: Quicunque dicunt, non recte fieri, quod Latini unam quoque immersionem probent; qui aliquando Latinos rebaptizarunt; qui tanquam hæreticos eos inungunt; qui reconciliationem & conversionem eorum ad Ecclesiam Catholicam & Apostolicam illo medio indicare volunt; qui unam immersionem tanquam Eunomianam hæresin damnant; illi utique in ritu baptismali, qui insuper ipsam substantiam

tiam proximius attingit, ut ex accusationibus Græcorum colligitur, illi inquam utique ab Ecclesia Romana dissident, & unionem prætensam lædunt, atqui hoc faciunt Græci, Patriarchæ, & Doctores, juxta testimonia allata, E.

§. 6. *Quod addis*, (alloquitur me Allatius) *ex sententia Syropuli, Latinos ἀβαπίστους esse, perridiculum plane est. Neq; enim id contendit Syropulus, sed ex disputatione Proto-Syncelli cum Petro Calabro recitat: Syropulus enim ut in calculo ferendo inconstantiam redargueret Proto-syncelli, & facto aliquo ridiculo dictum illius, & assensum imminueret, illud confinxisse existimatur.* Falso, perridicule, & audacter. Falso dicit Allatius, me ex sententia Syropuli addere Latinos esse ἀβαπίστους! Egone scripsi, hoc profectum esse ex sententia Syropuli? egone dixi, hoc Syropulum contendere? neutiquam. Primicerium s. Protosyncellum in Hist. Conc. Flor. Sylvestri Sguropuli eo deveniisse scripsi, ut contenderet (Protosyncellus sc.) Latinos esse ἀβαπίστους, non quod Syropulus hoc contenderit. Falso addit Allatius, Syropulum responsum & factum Primicerii reputasse pro ridiculo, eoque assensum ipsius imminuete voluisse: aliter loquitur historia Syropuli, qui quidem inconstantiam Proto-Syncelli redarguit, ridiculo autem aliquo facto auctoritatem ejus nequaquam imminuere cupit, sed cum obstupescentia quadam miratur lapsum hominis nuper tam rigidi, & dogmatum Græcanicorum assertoris acerrimi: non vituperat dictum Proto-syncelli, sed potius approbat. Hæc enim recitat Sguropulus p. 262. *Secundus ordine Primicerius, ejusdem Patriarchæ cum Heracleensi convicarius, & A Filio* (cum nimirum suffragium rogaretur) *confirmavit, & unionem cum Latinis: Unde quamplurimi obstupuere, quâ animi levitate nunc ad unionem cum Latinis paciscendam descenderit, qui ante triduum cum Petro quodam Calabrico in disputationem incidens de baptismi Sacramento, Latinos Christianæ relig. per lavacrum Regenerationis non rite initiatos arguebat:* καὶ ἀπέδειξεν ὅτι εἰσὶν ἀβάπτιστοι οἱ λατῖνοι, καὶ ἔδειξε τοῦτο, πρῶτον μὲν ἀπὸ τῶν ῥήσεων τῶν ἁγίων, τῶν ἀποστολικῶν, πῶς χρὴ γίνεσθαι τὸ, ἐκ ὕδατος λόγον γίνεσθαι ἁγιασμοῦ. *Non rite initiatos esse arguebat: quod multis sanctorum Patrum testimoniis comprobavit, qui baptismum delinearunt, & quibus nempe ritibus in eodem singula administrentur. Unde omnes attoniti diriguere,*

guere, cum animadverterent Primicerium, qui nudius tertius in conventu, quo prima suffragia in hanc causam colligerentur, in Processionem à Filio non consenserit, nunc non modo processionem à Filio sanciendam decernere, sed & unionem cum Latinis sacro fonte baptismi non rite ablutis. Cum igitur Sguropulus asserat, Proto-syncellum demonstrasse, & ex Patribus probasse, Latinos non recte esse baptizatos, ridicule & audacter ab Allatio existimatur, hoc est fingitur, Sguropulum hoc confinxisse. De Salis usurpatione non multum laboramus: sufficit, Michaëlem Cerularium eam reprehendere.

Artic. III.

De Immediata Chrismatis cum Baptismo conjunctione.

Synopsis.

Arcudius relinquitur ab Allatio indefensus. Jus Ecclesiæ Rom. in mutatione rituum. De ministro confirmationis sententia Conc. Tridentini, Arcudii, cujus inconstantia exagitatur. Allatii inconstantia. Pervicacia ejus retusa & Sim. Thess. Jobo monacho, Jerem. Arcudio. causæ redduntur, cur chrisma pro sacramento non habeamus.

§. 1. Immediata chrismatis cum cum baptismo conjunctio, &c. *Hoc verum est. Hinc scripserat Allatius, nullum esse qui Sacramento baptismi accepto, domum absq; Sacram. Confirmationis redire. Sed hanc administrationem falsam & hæreticam vocat Arcud. Quid dixerit Arcudius non examino* &c. Qualis evasio! Quid dixerit Arcudius non examino. Cum ego studio brevitatis alicubi scripsissem; nolle me excutere ea omnia, quæ Allatius, Goar, Arcudius protulerint, nata hinc fuit Allatio ampla me exagitandi materia; verum, antea jam notavi, Allatium in se tolerare, quod in aliis ferre nequit. Vel enim Arcudius mentitus est, vel Allatius: examinare igitur debuisses Arcudium, qui dum Græcorum opinionem falsam vocat & hæreticam, fateatur simul necesse est, dissensum intercedere inter utramque partem: quæ enim consensio inter hæreticam & orthodoxam opinionem? Sed sic placet adversario: & qui modo scripserat, jam nunc inter nos non disputandum esse de veritate & natura dogmatum, nec de theoria, sed de praxi:

hanc ſuam legem in hoc capite ipſe migrat; dumq; refellere deberet illa, quæ pro obtinendo diſſidio attuleram, ille de more Eccleſiæ Romanæ, quæ antiquam conſuetudinem poſt baptiſmum ſtatim Chriſma conferendi immutarit, obloquitur: quid hoc ad noſtram controverſiam, qui non diſputamus, quid Eccleſia Romana contra morem antiquum invexerit, ſed quid de illa innovatione Eccleſia Græcorum hodierna ſentiat: & viciſſim, quid vos Pontificii de conſuetudine Græcorum ſentiatis?

§. 2. Recitat deinde: *Per Apoſtolicæ ſedis diſpenſationem ex urgente admodum cauſa, ſimplicem Sacerdotem chriſmate per duplicem tamen ſacerdotem hoc eſt Epiſcopum confecto adminiſtraſſe.* Quid hoc iterum ad rhombum? Græci ſacerdotes ſimplices hoc pro libitu ſemper faciunt, nulla urgente cauſa vel neceſſitate. eſt igitur diſſenſus. Vide enim fulmen Tridentinum Can. 3. de confirmatione: *Si quis dixerit: Sanctæ confirmationis ordinarium miniſtrum, non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem Sacerdotem, anathema ſit.* Sic dicunt hoc Græci, ideoque fulmini Tridentino ſubjecti. Et tamen juxta Theologiam Allatii inter eos qui anathemate damnant, & qui damnantur, voluntatum eſt conjunctio. Ut autem diſſenſus oculos etiam cœcutientium feriat, ſic habendum: Ordinarius miniſter confirmationis ſolus eſt Epiſcopus, extraordinarium & Apoſtolicæ ſedis diſpenſatione poſſe Sacerdotem ſimplicem eſſe potiſſima pars Scholaſticorum affirmat, ita tamen ut inſolubiles propemodum difficultates ſibi objici poſſe diffiteri nequeant, cujus rei vel unicus teſtis eſſe poteſt maxime idoneus, P. Arcud. de concordia Occid. & Orient. Eccl. in ſeptem Sacramentorum adminiſtratione: is, inprimis c. 14. & ſeq. mirifice ſe torquet, armaque & reſponſiones identidem miſerrime mutat, quibus conficere cupit, preſbyterum apud Græcos eſſe hujus ritus miniſtrum extraordinarium, idq; fieri delegata à Pontifice poteſtate. Spectemus paululum iſtum Corcyrum pugnantem, ictus inferentẽ, declinantem, excipientem, poſtremo tamen confectum. Sic autem Petrus Arcud. Corcyr. c 15. *Confirmationis Sacramentum collatum à Presbytero eſſe validum, modo ipſi à poteſtatem habente conceſſum fuerit, patet ex conceſſione Gregorii M. qui non fuit contrarius aliis Pontificibus in hoc dogmate. Niſi forte quis velit una cum Durando*

rando in 4. d. 7. q. 4. affirmare, in hac re erraſſe Gregorium, quod hæretici libenter audiunt, ut Pontificiæ dignitati aliquid detrahant; ſed non eſt opus compellere ſe ad illas anguſtias. Nec defuerunt alii Pontifices, qui hac noſtra ætate ob penuriam Epiſcoporum eandem facultatem pauciſſimis quibusdam Viris Apoſtolicis ſpectatis P.P. ſocietatis Ieſu (in Indiis) conceſſerint. Patet etiam ex concilio Flor. & Trid. presbyterum hujus Sacramenti miniſtrum eſſe poſſe, ex delegatione Apoſtolica. Quod cùm ita ſit, deſinant Turrianus, & Ioh. Steph. Durantus, viri alioquin pii, & non vulgari doctrina præditi, Græcis hunc errorem attribuere. quaſi vero Græci presbyterum eſſe miniſtrum ordinarium exiſtiment, quod falſiſſimum eſt. Neque enim par eſt conſiderare quid Photius effutiat, quid item imperiti Græcorum reſpondeant, ſed quid pro conſuetudine Græcorum reſponderi poſſit, cum iſte mos ſit antiquiſſimus, & ante Schisma cæperit. Poſtea utcunque occurrit objectionibus, quæ dicunt, Innocentium III. & Gregorium IX. has diſpenſationes revocaſſe: cum vero animadvertat, Innocentii IV. revocationem non admittere datas expoſitiones, reſpondet: fortaſſis Legatus Pontificis agnita difficultate, decretum Pontificis hac de re publicare prætermiſit, neque executioni mandavit, quod commode fieri haud poſſet. Ob eandem difficultatem, tempore Clementis VIII. perbrevis inſtructio ſuper aliquibus ritibus Græcorum, inter quos recenſetur adminiſtratio hujus Sacramenti, facta eſt. Sed ea dirigitur ad Epiſcopos Latinos, in quorum diœceſibus Græci vel Albanenſes Græco ritu viventes degunt. Quod optime ſcirent, in Græcia valde difficile fore, ut hæc conſtitutio acceptaretur. A quo autem obtinuerint, an à Romano Pontifice, an ab aliis Epiſcopis, hoc non conſtat. Tutiſſimum eſt dicere Græcorum Presbyteros per ſuos Patriarchas, & antiſtites ejusmodi facultatem à Summo Pontifice obtinuiſſe, à quo omnis juris dictio, quaſi à capite in alios, veluti membra mediate vel immediate derivatur. Dein hæret in objectione, an Romanus Pontifex hîc diſpenſare poſſit, cum de jure divino hæc poteſtas ſolis Epiſcopis competat. reſpondet: de jure divino convenire adminiſtrationem confirmationis, non ſolum Epiſcopis ordinarie, ſed etiam presbyteris ex mandato Pontificis: hiſq; extraordinarie eandem congruere declarare concilia, & facta Rom. Pontificum, qui non potuerint decipi. Tandem præ reliquis ſolutionibus amplectitur hanc: Græcos in Florentino Concilio de hac re

interrogatos, omnem difficultatem ita diluisse, ut Eugenius acquieverit. Hæc effugia quamvis satis per se sint intuta; nihilominus omnem elabendi rationem validius adhuc intercludemus. Nonne magnum est reverentiæ Papalis inter Græcos signum, dum id, quod pauciſſimis ex tam spectato ordine Jesuitarum, iisq; pauciſſimis non nisi in penuria Episcoporum, &, ut habet Allatius, urgente tantum necessitate Pontifex concedit, Græculis non paucis, sed omnibus, in tanta Episcoporum copia, nulla eosdem urgente necessitate, concedere cogitur? Peregregium est & illud alterum, quo monet, non videndum esse quid Græci ex sua praxi de discordia respondeant, sed quid à Latinis concordiam, altera parte strenue reclamante, adstruere conantibus, responderi possit. Hoc modo suam quoque jam dum perfecit concordiam, quam subleſtam tenui fallax meditatur avena Masenius. Qua vero ratione, versatiſſime in omni studio Arcudi, coram Allatio tuo excusabis illud: Græcos spreta revocatione & bulla Innocentii IV. in administratione ritus sui perstitisse, ipsumq; legatum decretum Pontificis non potuisse executioni mandare: nam Allatius tantum non dejerat, *Græcos dicta Papæ perinde atque sacra eloquia excipere* P. C 3, 11.7. Propterea placet nobis, quod Arcudio displicet, qui pag. 97. ait: *Tandem ad superiorem difficultatem sunt qui respondeant, etiamsi Pontifex omnibus modis revocavit, Græcorum tamen consuetudo hoc non admisit. Nec prævaluit Pontificis jussio, usu non approbante.* Et hæc responsio est veriſſima, ex praxi & ingenio Græcorum petita. Sed, quam ineptus sum, qui non recordor, Græcos sub Latinis Episcopis degentes, Papæ majestatem ita revereri: ipse enim Clemens VIII. cum suis Episcopis optime scivit, in Græcia id valde fore difficile; imo impossibile. Nec minus belle fatetur, non constare quidem, à quo Græci presbyteri hanc auctoritatem obtinuerint, tutiſſimum tamen esse, si dicatur, derivatam à Papa. quia quodnam sit veriſſimum invenire nequivit, quod tutiſſimum esse ratus est, indagare voluit: quasi vero quidpiam tutum esse possit, quod à veritate est alienum: Obtinuerint tamen hoc aliunde necessum est? Ita omnino. Nam Gabriel Philad. Episc. apud Arcud. p. 88. haud ita pridem scripsit: *Ecclesiam Orientalem hanc presbyteris feciſſe potestatem.* Percipis, Ecclesiam Orientalem presbyteris concessiſſe facultatem

scribit

scribit Gabriel, non Romanam. In illo autem, an Papa possit dispensare circa ea quæ solis Episcopis jure divino conveniunt, partim nimis intelligendo facit ut nihil intelligat, partim petit principium, Postremo: in Concilio Florent. de dispensatione Eugenii vel ipsius Antecessorum nihil legitur; & quamvis aliquid ibi legeretur, quid hoc ad illos, qui ab illa Unione resilierunt, & in hunc diem ab ea sunt alieni. Quanto igitur magis ingenue Honor. Fabri, licet Jesuita pag. 356. de Indiff. discordiam indicare, quam cum Allatio & Arcudio tricari & fumos vendere maluit, dum scripsit: *Confirmationis Sacramentum à simplici sacerdote conferri posse, non diffiteor, sed ex delegatione Apostolica, quâ Græci cum careant, hoc Sacramentum recte non administrant.* De his difficultatibus expediendis sollicitus esse debuisset Allatius, cujus dictatis insuper vehementer repugnant, cap. 16. extrema in Arcudio: *Ita vero mihi placuit de hac dispensatione in gratiam Græcorum disserere, habita nimirum ratione novæ Græciæ, ut faciliorem ipsis viam sternerem, si quando divino Numine inspirati ad Romanam Ecclesiam accedere, seque cum illa consociare voluerint.* Allatius contendit, nullam inter utramq; Ecclesiam esse disjunctionem; Arcudius dubitanter sperat futuram aliquando confociationem: uter fide magis dignus?

§. 3. Immemor vero iterum sui decreti, pro Sacramento Confirmationis adducit Græcos Patres, & miratur, Lutherum, Melanchthonem, Calvinum, Magdeburgenses, Chrismatis sacramentum eliminasse, quippe quod in Occidentali Ecclesia tantum invaluerit, cum tamen de eo & recentiorum & antiquiorum Græcorum verba legantur. At nos non disputamus de eo, an cerimonia Chrismatis sit verum Sacramentum, sed tantummodo, qua ratione Græci à vobis in ejus administratione dissentiant. Postremo, hæc essentiam sacramenti non lædere concludit: neque nos de essentia voluimus disputare, sed de ritu, hoc cum obtinuerimus, in præsentiarum nobis sufficit.

§. 4. Possent hæc forsan obstinatæ etiam mentis hominibus sufficere; sed novi jam apprime mores tuos, facilius eos vinci posse, quam persuaderi. Faxo igitur in tui gratiam, ut plura in hac re edocearis. Produco igitur ex versatissimo tuo Arcudio Simeonem Archiep. Thessal. hæc tra-

dentem: *Necessario indigemus nos quoq; hujus spiritualis unguenti; ac magis in ipso baptismate neque erit quispiam perfecte baptizatus, qui unguentum non susceperit. Siquidem baptismo regeneratur, & à peccatis abluitur Spiritu. Cæterum Pignora gratiæ, ut etiam habitum vitæ, & signaculum spiritus nondum habet.* Et paulo post: *Qui baptizantur fideles, hoc unguento inungi debent, ne videlicet, ut Latinorum, seu quorundam aliorum infantes, imperfecti maneant.* tandem concludit: *Igitur nulla gratia præditus, nulloq; signaculo apud Christum est insignitus, qui unguentum non susceperit.* Job Monachus ibid. necessitatem urget: *horum*, inquit, *Sacramentorum prima quidem tria, videlicet S. Baptisma, sacrum Chrisma, & Eucharistiæ participatio, communia sunt nobis omnibus, ac omni Christiano prorsus necessario debentur.* Sequitur Jeremias pag. 63. *Mox quoque is, qui baptizatus est, sacro unguento ungendus est. Chrisma enim hoc, sigillum & signum Christi est: nosq; inde gratiam adepti in unguento Christiani appellamur, & ad Dominum Christum pertinemus. Unde rationi consentaneum est, baptismati etiam Chrisma subjungi, nec in tempus differri.* Gabriel Philadelphiensis mitior est, censendo, *confirmationem statim adhibendam post baptismum, sed ut Sacramentum utile, non necessarium.* Hoc dogma Arcudius *hæreticam & falsam opinionem* vocat lib. 1. c. 14. non absque hac sarcastica illusione: *Egregii isti novi Theologi Græciæ, dum Ecclesiam Græcam cæteris præstare contendunt; rem utcunque congruentem & aptam ex imperitia sua, falsa interpretatione, in necessariam verterunt. Unde nonnulli eorum sacratissimam Eucharistiam re ipsa percipiendam, quidam etiam Confirmationem æque necessariam esse infantibus ad consequendam salutem, atque baptismum pro certo statuere audent.* Inde Clemens VIII. in bulla sua vetat: *Ne Presbyteri Græci baptizatos Chrismate in fronte consignent, & jubet ut ab ipsis in ordine baptismi apud eorum Euchologium prætermittantur, quæ sequuntur post illa verba:* καὶ μετὰ τὴν εὐχὴν. &c. usque ibi: εἶτα ποιεῖ ὁ ἱερεὺς σχῆμα κύκλῳ, h. e. post orationem &c. (ubi habetur forma hujus consignationis) usq; ad verba: postea facit Sacerdos figuram circuli, &c. Bulla extat apud Possev. Thom. à Jesu, Bullar. M.

§. 5. Ut autem desinas mirari, cur Reformatores eliminaverint Chrisma ex numero sacramentorum, dabo rationes, quæ eos permoverunt

verunt urgentes: Obſervarunt illi perpetuam in Papatu inſtitui antitheſin inter baptiſmum & confirmationem: ita ut quicunque effectus tribuantur confirmationi, eo ipſo denegentur & detrahantur baptiſmo. *Gratiam majorem confert quam ipſe baptiſmus in ordine ad roborandam animam contra diaboli impetus, ſed minorem in ordine ad remiſſionem peccati,* ſcribit Bell. l. 2 de conf. c. 10. Falſum hoc eſſe, blaſphemum, & in baptiſmum ab ipſo Domino inſtitutum contumelioſum, obſervarunt noſtrates: nam quotquot baptizati ſumus Chriſtum induimus Gal. 3, 27. & Spiritum ſanctum πλουσίως abunde in nos effuſum, cum theſauro omnis gratiæ, accepimus Tit. 3, 6. Hinc Alexander Alenſis P. 4. q. 24. memb. 1. non veritus eſt diſputare: *Sacramentum confirmationis, nec inſtitutum, nec diſpenſatum eſſe vel à Chriſto, vel ab Apoſtolis, ſed demum in concilio Meldenſi A. 845. id factum eſſe.* Bellarminus tutius evadere neſcit, quam ut dicat, *pro mandato Chriſti ſe dare mandati executionem.* frivole & ſine ratione. Nominat quidem Allatius Magnæ Eccleſiæ nomina quos nos merito veneramur, eorumq; canos ſuſpicimus, ex ipſorum tamen monitis & factis, ſcripturam præferimus. Recte Auguſtinus l. 3. contra literas Petiliani: *Si quis de quacunq; re, quæ pertinet ad fidem, vobis annuntiaverit, præterquam quod in ſcripturis legalibus & Evangelicis accepiſtis, anathema ſit: ſive ſit Epiſcopus, ſive Apoſtolus, ſive etiam Angelus de cœlo.* Quando autem ipſe Auguſtinus, & alii Doctores Eccleſiæ mentionem faciunt Unctionis, id non alio modo fit, niſi quatenus illa in adminiſtratione baptiſmi cum aliis quibusdam ritibus, ſine præcepto divino, ex conſuetudine Eccleſiæ libere ſuit adhibita: neq; efficaciam & vim baptiſmo debitam eidem vel adimunt, vel inter illas cerimonias & baptiſmum partiuntur, ſicut Pontificii faciunt, qui non in ſignificatione aliqua ſubſiſtunt, ſed vim quandam oleo exorciſato indunt. Licebit autem nobis non tantum bona cum gratia Allatii, ſed prorſus ex juſſu ejusdem hæc dimittere, inprimis cùm nuda tantum nomina Patrum & Doctorum Græciæ recitarit, loca autem non appoſuerit, qui vero ad ſingula loca Patrum exquiſitas & contra omnes argutias & exceptiones munitas reſponſiones deſiderat, ille poſt Chemnitium noſtrum conſulat Jo. Dallæi abſolutiſſimum tractatum de confirmatione, in quo Allat. ſeſe exercere poteſt, ſi tantus eſt ἀρχαιοθεολόγος.

ART.

ARTIC. IV.

De Panis Enzymi Necessitate.

SYNOPSIS.

GRæcorum sententia repetitur ex Jeremia, Critopulo, Ephesio, Leone Bulgaro, Blastario, Balsamone, Georgio Carcyrensi, Synaxario, Michaële Cerul. Leoni Achrideno, FF. Prædicatoribus. Mirifica disputatio Allatii committitur cum Vettvoissio, Thoma à Jesu, Arcudio. Respondetur ad Auctoritatem Johan. Plusiadeni; violatæ legis suæ All. iterum arguitur. Synaxarium. Salmasiii Laus.

§. 1. De panis enzymi necessitate. Jeremias contendit, *ex institutione Dominica panem non infermentatum adhibendum esse, sed fermentatum, qui revera panis sit*; Metrophanes Critopulus c. 9. Confess. Eccles. Or. multus hîc est in adstruenda Græcorum, & destruenda Latinorum sententia; Ephesius vero *ad unionem promovendam conducibile esse* scripsit, *si Papa Sacramentum corporis sine fermento emortui abolere vellet*. Sgurop. S. 5, c. 2. Leo Bulgariæ Archiepiscopus epistola prima de Azymis scribit: *DEI magna Charitas, & bona commiserationis viscera persuaserunt nobis, ad tuam sanctitatem literas dare & per te ad omnes Phrancorum præsules, & ad Papam reverendissimum, & in memoriam revocare azyma & sabbata, quæ Mosaico ritu imprudenter conficientes, communicatis cum Iudæis.* Et ep. tertia: *non indigemus itaque tanquam perfecti divina gratia, quemadmodum neque corporali circumcisione: Spiritu enim etiam nostræ passiones inciduntur, ita neque azymis, veluti pueri & stulti Iudæi, & qui una cum illis sentiunt Itali, Armenii & Ægyptii, quod spiritu fugimus etiam in his graveolentem ac informem Ægyptiacæ malitiæ impiam massam, & vivimus secundum divini Evangelii gratiæ legem, omnem veterem legem operibus antiquantes.* Matthæus Blastarius in Nomocanone, post recensitum canonem Apostolorum LXX. subdit: *Ex hoc autem licet agnoscere, non parum violare legem eos, qui mysticum sacrificium in azymis conficiunt. Si enim simpliciter comedentibus azyma ex festo Iudaico depositionem refert & excommunicationem; horum participem fieri, veluti corporis Dominici, & per ea pascha celebrari, quam honestam*

stam habet excusationem. Quod nec displicuit Theod. Balsam. in eundem canonem: *At ex hoc quidem quod deponuntur vel segregantur ii, qui ex Iudæis festorum xenia accipiunt, azyma, & cætera, dicunt multi, eos argui, qui per azyma mysticum sacrificium faciunt. Si enim simpliciter azymum comesse Iudaici festi, depositionem & segregationem inducit; eorum tanquam dominici corporis esse participes, & similiter ac illi pascha facere, quam non habebit condemnationem seu animadversionem?* All. P. C. 3, 14. 1. Georgius Metropolita Corcyrensis, sub Imperat. Joanne Comneno, *doctrina & eruditione*, ipsius Allatii testimonio, *clarus* P. C. 2, 11, 6. reliquit cõmentarium de Sancta cõmunione, *in quo est ex ipsis sacris scripturis sincera demonstratio, Panem fermentatum Ecclesiæ traditum fuisse ab Apostolis ad oblationem, quemadmodum ad tempora S. Gregorii, cognomento dialogi, in Romana Ecclesia offerebatur.* Prosequitur postea disputationem, hac de re Byzantii habitam, & *quomodo illic contradicere noluerint Latini, sed potius sanctum panem fermentatum laudarint; & cum illius panis, quem Christus in cœna discipulis tradidit particula in magni palatii scevophylacio inventa esset, omnem contradicendi causam è medio sublata esse memorat.* Haud minus Ecclesia Græca publice ex synaxariis recitat. *Nota, panem vocare corpus suum, non item azymum. Confundatur itaq; qui in sacrificio azymum offerunt.* Hinc Mich. Constant. Episc. & Leo Achridenus, Leonem IX. Pontif. & Latinos tanquam Azymitas, circa A. D. 1053. excomunicarunt. Arcud. Concil. p. 132. b. *Hunc Michaëlem* (scribunt Fratres Prædicatores in tractatu contra Græcos Constantinopoli An. 1252. edito) *Græci usque hodie sequentes, Latinos Azymitos voce publica asserere non verentur. Vnde in tantam excæcationem, & contemptum apud eos devenit mysterium Sacramenti: ut non solum in mortis articulo ex eo sumere recusent: verum etiam incendii supplicium potius eligant sentire, quam simpliciter confiteri. Probat hoc Cypri, qui nostris temporibus, 12. monachos Græcos isto errore laborantes, novos diaboli martyres, per flammas ignis produxit: Dicebant enim prædicti monachi: Sacramentum Latinorum lutum esse, & non Sacramentum: & quod sacrificantes, vel sumentes ex eo, more gentilium, dæmoniis immolarent.* p. 570. cit. tract. Imo singulari Insignium auctorum à P. Stev. erutorum: ubi mox argumenta Græcorum cum Latinorum Resp. proponuntur.

§. 2. Quid jam ad hæc Allatius? Rejicit istos Græcos, tanquam hæreticos & Schismaticos. uter modus disputandi magis debet exagitari, meus an tuus? Si contra Patriarchas, Archiepiscopos, Doctores Ecclesiæ Græcæ, de dissensu testantes, tantum excipias, hæresin & Schisma fovent, ergo non sunt attendendi, tum utique rem confectam habes. Ais in epist. ad Bar. Boineb. §. 19. & hoc ipso quoque in loco similiter loqueris: *Quicquid sit de azymis, & quando ea in Ecclesia cœperint, & an à Christo fermentatus panis vel azymus ad conficiendum corpus suum assumtus sit, de quibus Græci & Latini differunt, & acutissimis disputationibus huc & illuc trahuntur; hoc apud illos certum firmumq; est, corpus Christi æque bene confici tam in fermentato quam in azymo.* Si hoc apud Græcos æque atque apud Latinos certum firmumq; est, cur Bernhard. Verweis l. 4. c. 5. art. 3. Græcorum de azymo doctrinam tanquam falsam refutat, & post refutationem scribit: *Ex his patet error & malitia Græcorum; nam licet Ecclesia Romana non condemnet illos fermentato utentes, in hoc tamen vere condemnati sunt & condemnandi, quod pertinaciter se ab Ecclesia Romana separarint, & eandem Ecclesiam Romanam, Matrem suam, à qua in primitiva Ecclesia Orientalis Orthodoxæ Ecclesiæ fidei doctrinam & contra hæreses auxilia petierunt, ipsi contra claram scripturam in usu azymi condemnent: immo quod horrendum est Sacramentum in azymo confectum dicunt invalidum esse & pedibus conculcandum, & altaria, in quibus Sacerdotes Latini in azymo celebrarunt, aqua calida prius abluenda, quam illorum Sacerdotes in illis missam celebrent. Plures tamen Græci sapientiores aliter senserunt, ut patet ex Concilio Florent.* Thomas à Jesu, Bratiensis Hispanus, Carmelita discalceatus, in thesauro sapientiæ divinæ, de gentium omnium salute procuranda Romæ A. 1611. approbatione Vicarii Generalis congregationis discalceatorum munito, in quo impiissimarum sectarum maxime orientalium, ritus *ad historiæ fidem*, uti habet titulus, libris XII. enarrantur, libri sexti, quo *errores Græcorum examinantur*, capite primo, errores eorum breviter recenset, & primo loco ponit eum, quo negant Spiritum S. procedere à Patre & Filio. *Secundo quod asserant Sacramentum Eucharistiæ confici non posse in azymo pane, sed præcise in fermento, adeoq; tenaciter inhærent his duobus erroribus, ut inter alia perversa dogmata, propter quæ ab Ecclesia Romana desci-*

desivere, hæc duo omnino præcipua, & veluti totius dissensionis capita fuerint; capite autem quarto ejus libri ex professo hunc errorem diluens, testatur, *tam pertinaciter Græcos suæ adhærere sententiæ, ut ipsius defensio una ex præcipuis causis semper extiterit, propter quam se à Latinorum communione separatos conservarint, & quamvis controversia hæc in Concilio Flor. fuerit absoluta, Græcos tamen semper contendere, Latinos Eucharistia carere, illicitéq; in azymo consecrare.* Arcudius hic etiam rursus Allatio erit opponendus, qui l. 3. c. 3. scribit: *Græcorum antiquos PP. nunquam ausos esse hac in re Rom. Ecclesiam reprehendere, sed recentiores à Schismate Photiano usque ad Ieremiam Patriarcham, adeo, ut nonnulli prodigiosi immo vero faces Græcorum, quos vel nominare vel commemorare indignum sit, omnem gradum stultitiæ, imperitiæ & impudentiæ superantes, ajant, Christum acceptum panem azymum virtute sua divina prius vertisse in fermentatum, deinde transmutasse in suum corpus. Atque hujusmodi solent esse refugia miserorum schismaticorum, & hæreticorum, qui plane ἰσχυρογνώμονες, dum nimis pervicaciter in opinionibus suis defixi tueri volunt, non quod divina scriptura sincere tradit, sed quod male sanum eorum caput fingit, instar serpentum jugulandorum huc illuc se vertunt, & tanquam alter Proteus in varias formas se mutant.* ib. p. 140. b. Concedo interim quosdam scriptores Græcos immoderatum affectum Zelotarum, Latinos condemnantium, non quidem approbasse: suam tamen nihilominus sententiam veriorem judicasse, quæ etiamnum obtinet. Sic multi ex Papistis Zelotas quosdam ex suis rigidissimos reprehendunt nonnunquam; verum Zelotarum opinio semper in ea Ecclesia prævalet. Hoc igitur quod dicit Allatius apud illos non est certum firmumque; audivimus enim Græcos negantes. Sed Schismatici sunt & hæretici? hoc dissensum arguit. esto, hodie nonnullos mitiores esse, ut omnino esse deberent, perpetuus tamen consensus non obtinetur. Rectius omnino sentiunt illi, uti Theorianus Philosophus, Petrus Antiochenus, qui hoc inter adiaphora reponunt, sed de illo non est quæstio, hoc enim nos concedimus, & ipsi contra Græcos defendimus. Id vero contendunt magni nominis inter Græcos Viri, rem non esse adiaphoram, sed in Latinis damnandam.

§. 3. Nec obstat quod Jo. Plusiadenum & similes producis, hi enim qui ad Latinos desciverunt, ab Ecclesia Græca pro membris sui corporis non amplius agnoscuntur. Quæro autem ex quovis intellectu prædito homine, utri de dogmatibus Ecclesiæ plus auctoritatis in controversia hac historica tribuendum, illi ne, qui in gratiam suorum, ad quos descivit ab altero cœtu, dogmatice disputat, & de veritate vel falsitate anquirit, an illi, qui simpliciter tantum rem enarrat? Patriarchæ, Episcopi, Doctores damnant azymum panem, non recte quidem: Græci qui Romanas partes sequuntur disputant à popularibus suis id non recte fieri, ostenduntq; tam in azymo, quam in enzymo pane licitam esse administrationem, ergo hi de perpetuo consensu testantur? Iterum igitur suammet legem violat Allatius. Breviter, in hac & similibus controversiis illi homini rectius creditur, qui cum capite suo Patriarcha Constantinopolitano, Episcopis & Sacerdotibus consentit, quam qui aliud caput, Pontificem Romanum, ejusq; Prælatos sequitur. Ex vestris enim hypothesibus, ubi est cum capite Ecclesiæ, summo Episcopo unio, ibi est consensus, qui igitur ex Græcis dicunt & scribunt, quod Patriarcha cum Episcopis dicit & scribit, illi cum eodem consentiunt, & à vestro Papa dissentiunt.

§. 4. Statuit autem Refutator, non aliunde melius Græcorum mentem perdisci posse, quam ex eorum inter preces effatis. Jam in Synaxario Triodii damnantur azymitæ: Sed auctoritas Triodii & Pentecostarii elevatur, asseriturq; à nebulone & impostore Niceph Callisto Xanthopulo Schismatico synaxaria vel composita, vel istiusmodi errores iisdem assutos esse. Esto composuerit, assuerit, E. non est dissensus, E. in Ecclesia non recitantur. *Non in universa Ecclesia auctoritatem obtinent.* *Gennadius*, qui Latinorum partes secutus fuit, *testatur, sua ætate non fuisse legi solita, immo prohibita in præcipuis Ecclesiis, uti relatum est Allatio* ep. ad Boin. §. 20. Gennadio, juratissimo hosti Xanthopuli credemus? vetuit id Allatius, dum non vult ut fides habeatur hostibus Pontificis Romani, qui, si fieri posset, memoriam illius penitus obliterare conarentur. Relationes Allatianæ nobis merito sunt suspectæ, cum scriptas relationes tam indigne torqueat. Tandem nihilo tamen minus illud firmum certumq; manebit, in quibusdam Ecclesiis

cleſiis Græcorum damnari Romanos azymitas publicè, nec Patriarcha Conſtantinopolitano, nec aliis Epiſcopis, illam damnationis formulam improbantibus, vel factum impedientibus. Quid ſi vero aliquis dubitaret, an verum ſit, quod dicitur, Synaxaria illa tam turpiter eſſe interpolata & conſpurcata? Probavit id Allatius firmiter eo potiſſimum argumento, *quod in Synaxario poſt diem Pentecoſtes ſermonem habens de Spiritu S. dicit: illum procedere ex Patre ſolo: in alia ejusdem Synaxarii editione omiſſa eſt vocula, ſolo. Quæ hæc infantia eſt, ſi erat in archetypo, quare in una editione omiſſum eſt, ſi non erat, quare additum? Ὦ γέρων, ἦ μάλα δή σε νέοι ἴσχουσι μαχηταί.* Quæ hæc infantia eſt, interpolationem & aſſumenta alicujus libri ex eo velle probare, & firmiter quidem, uti tibi imaginaris, qui una codicis impreſſi editione adeſt vocula ſola, in alia deeſt: funditus profecto perierunt omnes & ſacri & profani auctores: quam male te excipient *malèdes* Criticorum. nolo de varietate Manuſcriptorum & impreſſorum codicum prolixus eſſe, ne tecum ineptire velle videri poſſim. Tu, qui tot manuſcripta, tot excuſos libros vidiſti, legiſti, contuliſti, non rectius ſapis: Liturgiam ſive miſſam, quæ ſub nomine Chryſoſtomi circumfertur, pro genuino fœtu habes, *temereq; id negari aſſeris, licet*, addis, *quemadmodum in aliis antiquorum ſcriptis uſuvenit, nonnullas variantes lectiones inveniri poſſe, quod ex ſcriptorum incuria contingit, non negaverim: at illæ non tanti fuerint, ut propter eas nomen Chryſoſtomi expungamus.* diſſ. 1. de ll. Eccl. p. 19. Et revera innumerabiles in miſſa Chryſoſtomi inveniuntur variæ Lectiones, per quas tamen S. Patri hanc liturgiam eripi tu nunquam patieris. Collabetur præterea omnis Euchologio à te adſcripta auctoritas, nam & editi & MSS. codices innumeris in locis variant. Ibid. p. 282. tibi prorſus contrarius clare inquis: *veriſimile eſſe in autographo Xanthopuli, cum ipſe illius opinionis fuerit acerrimus aſſertor ſcriptum fuiſſe: à ſolo Patre.* Quod ſi hoc contra argutulum Gramatiſtam Simplicium Verinum, ſive Salmaſium ſcripſiſſes, quos non illi ludos dediſſes? Fuerit autem Salmaſius argutulus Grammaticus, quod Allatius ſuo malo non eſt, fuit tamen antiquitatis Sacræ & profanæ haud minus peritus, quàm tu es: ut adeo Cardinal. Richelius, acerrimus ingeniorum Cenſor, judicaverit, tres tantum in orbe eſſe adſtuporem eruditos Vi-

ros, Hieron. Bignonium, Ct. Salmasium, & H. Grotium, uti id legitur in epist. Sarravii pag. 146. & in orat. funebri in honorem H. Bignonii habita, ubi quidem tuum quoque nomen tuo merito inter doctissimos hujus sæculi viros collocatur, sed infra hos tres deprimitur. Verum hoc obiter.

Artic. V.

De suffocati abstinentia Judaizante, nihil est, quod dicam. Sed eam objecisti Tuis Græcis. Græcis nempe stultissimis, qui similibus deliriis in universam Ecclesiam excitant tragœdias, & inanibus tumultibus concutiunt omnia, adde similem suffocatorum abstinentiam non fuisse apud omnes Græcos in usu, ut refert Petrus Patriarcha Antiochenus. Quia ita agit Allatius, ego quoque nihil dicam, nisi illud, stultissimos Allatii populares, harum tragœdiarum in universam Ecclesiam excitatione, animos à Latinis dissonos declarare.

Artic. VI.

De Granis aquæ Calidæ.

Synopsis.

INnocentii III. & Guidonis error. explicatur ratio hujus ritus ex Euchologio. Conc. Trid. de mixtura aquæ ex Goare refutatur.

§. 1. Opponens alia omnia non dissidium tentat. &c. Non tento tantum dissidium sed revera ostendo. Non quidem istiusmodi, quale finxit Innocent. III. qui lib. 4. de off. Missæ c. 32. Græcos accusat, *ac si aquam vino non misceant*: ex quo sua fortassis exscripsit Guido Prior Carmelitarum Inquisitor fidei, & Episcopus postea Majoricensis, ejusdem criminis Græcos postulans, *fundus mendaciorum feracissimus*, quo epitheto apud Allat. P.C. 3. 18. 1. superbit. Non dico articulum fidei lædere admixtionem illam; nihilominus tamen lædit imaginarium tuum consensum. non enim de articulis jam disputamus, an falsitate dogmatis alicujus lædantur, sed quid Græci sentiant, ex his cum Balsamo vos vocet hæreticos, dissensum testatur.

§. 2.

§. 2. Quæres, ut harum rituum ignaris quoq; innotescat, ex Euchologio & Goare erit repetenda & declaranda: sic autem legitur in Euchologio p. 83. *Accepta ferventi aqua, dicit (diaconus) Sacerdoti. Benedic Domine sanctam hanc fervidam. Sacerdos vero benedicens ait: Benedictus fervor sanctorum tuorum, jugiter, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen. Diaconus vero infundit in modum crucis in sanctum calicem dicens: fervor fidei plenus Spiritu Sancto. Amen.* Ad hunc ritum annotat Goar: n. 166. *Ut sacramenta quælibet Spiritus Sancti virtute suam operationem consequi, ita & ejusdem adventu virtutem, & perfectionem nanciscì opinantur Græci: quem in sacrosancto altaris mysterio significaturi, fervidam aquam, ceu ejus symbolum, ut numero sequenti declarabitur, calici admiscere adinvenerunt.* n. 167. *Quod quæsivit à Græcis in Concilio Florentino Eugenius IV. etiamnum hodie mirantur plerique, ut peracta consecratione, cum jam communioni vicini sunt facti, aquam ferventem, τὸ ζέον, calici admisceant? Quid responderit Dorotheus Mytilinensis Episcopus, Vir, ut ex actis concilii colligitur, eruditissimus, quæstioni factæ, cui satisfeciisse narratur, ignoramus.* Rationes autem hujus rei ex Græcis tres profert Goar, *primam* ex S. Germano prodente, *id fieri propterea, quia aqua calida cum sanguine ex latere Christi profluxerit: secundam* ex Simeone Thessal. Balsam. & Blastario, *quia corpus dominicum, licet divina ejus anima fuerit separata, vivificum tamen adhuc manserit, divinitate scil. ab eodem corpore nusquam semota: Tertiam,* quæ Goari præ illis placet, ex Cabasila, *quia Spiritus S. etiam aqua dicatur, & tanquam ignis in Christi discipulos dilapsus apparuerit.* Hisce deinceps Goar hanc suam epicrisin apponit: *Cæterum cum hæreticos vocet Balsamon respons. 18. in Iuris Oriental. lib. 3. eos, qui hujusmodi aquæ calidæ mixtionem in calice respuunt, tanquam ab ejus significato mente dissonantes: videat, ne mentiatur sibi inique, qui fidem non in Christi verbis, sed in signis & figuris,* (haudquaquam absurdis, ut ex Germano, Simeone, & Cabasila audivimus, quarum etiam ipsimet Pontificii duas retinent) *nimis superstitiose astruit.* Nervus refutationis Goarianæ ita haberet: Quicunque in signis & figuris nimis superstitiose hærent, & magis in his, quam in verbis Christi fidem astruunt, eosque, qui significatum illarum figurarum respuunt, tanquam hæreticos accusant, illi sibi inique mentiuntur,

at hoc

at hoc faciunt Græci, E. inique sibi mentiuntur. Censuram hanc Goaris in Græculos superstitiosulos evibratam ego παρῳδικῶς fui imitatus, ex Chemnitio ita subsumendo; atqui etiam Pontificii in signis & figuris nimis superstitiose hærent, & magis fidem suam in his, quam in verbis Christi adstruunt, & Evangelicos, qui significatum illarum figurarum non tam respuunt, quam inter adiaphora collocant, tanquam hac quoque in parte hæreticos fulmine anathematis percutiunt, E. inique sibi mentiuntur. minorem probavi ex Chemnitio, quem legere potuisses, tum in hac controversia tum in aliis, non sine aliqua utilitate, possis enim ex eo videre, nullum pæne esse articulum fidei inter nos controversum, quem non ex scriptura & antiquitate accuratissime tractarit, & ad loca PP. à te de Sacramento Chrismatis & reliquis Sacramentis Papisticis allata responderit. Ut igitur melius capias, quid contra vos ex Goare disputarim, adscribam verba conc. Tridentini cap. 8. *Monet deinde sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent: tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia è latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur, & cum aquæ in apocalypsi beati Ioannis populi dicantur: ipsius populi fidelis cum capite Christo, Vnio repræsentatur.* Ex his conflatus est canon IX. *Si quis dixerit, aquam non miscendam vino, in calice offerendo, quod sit contra Christi institutionem, anathema sit: Vide quæso,* scribit Chemnitius, *præposteram istorum hominum religionem; Ecclesia ajunt, præcepit Sacerdotibus, aquam vino in calice offerendo, miscendam esse. Huic præcepto tantum tribuunt, ut eos, qui illud non stricte servant, non vereantur anathemate damnare. Usum vero calicis Dominici, totum & in universum adimunt, interdicunt & prohibent Laicis: cum tamen de Laicis extent Christi verba præceptiva: Bibite ex hoc omnes; hoc facite quotiescunque biberitis. Iam vero de mixtione Calicis ideo dicunt se pugnare, ut unio fidelis populi cum capite Christo repræsentetur. Nova hæc religio est, quod de unione populi cum Christo solliciti sunt. sed quomodo? Christus usum integri Sacramenti ideo instituit, ut hac accepta & hausta efficiant, ut nos in Christo, & Christus in nobis sit. De calice Paulus dicit 1.Cor.12. Omnes in unum Spiritum potati sumus. Quare prohibent, ne in unum Spiritum potentur, si de unione*

fidelis

fidelis populi cum Christo solliciti sunt? reliqua ibi legas. Hæc contra Tridentinum canonem afferre volui, ansam ex Goaris in Græcos censura desumens. Vos Pontificii enim hæreticos nos vocatis & anathemate innoxios feritis propterea, quia dicimus mixtionem aquæ non esse necessariam, neq; necessitate mandati, neque medii, neque finis, nec ex verbis institutionis demonstratam, sed adiaphoram: vosmetipsos vero justificatis, qui laicis eripitis calicem, ad substantiam cœnæ pertinentem, & in verbis Christi expresse nominatum: quasi minoris momenti res esset calix dominicus, quam significatio unionis inter Christum & populum fidelium per dilutionem vini repræsentata. Hæc mea fuit mens, clarissime in exercitatione expressa, quam quilibet facile pervidere posset, nisi vel cavillandi libidine, vel ex stupore quodam, ex εὐνοήτοις faceret δυσνοήτα. Alia igitur omnia non responsionem tentat refutator, deq; canone Trullano, Balsamone, Alexio Aristeno, & Armenis loquens, nec se, nec socium Goarem, nec Ecclesiam Romanam defendit.

ARTIC. VII.

De Jejunii Præcipue quadragesimalis non sine reprehensione Latinorum rigidiori celebratione.

SYNOPSIS.

RIgor Græcanici jejunii ex Possevino. Veterum ex Albaspinæo, Hieronymo. Dissensus Græcorum roboratur. jejunium Sabbathi ex Can. Trullano.

§. 1. *Rigidiora esse apud Græcos jejunia & majora nonnego.* &c. Dum fateris majora & rigidiora celebrari jejunia apud Græcos, quam apud Latinos, causam meam tueris, qui adhuc nihil aliud demonstrare satago, nisi illud, in ritibus & cerimoniis utramque Ecclesiam dissentire, de dogmatibus postea videbimus: demonstravi autem simul in præcedentibus, talem circa ritus esse dissensum, ex quo alterutra Ecclesia colligitur esse hæretica. Possevinus sane Bibl. sel. l. 6. c. 2. & 17. *austeritatem in observando jejunio, nec non in reliqua vita, quæ in Græcorum. Hieromonachis, Metropolitis, Archiepiscopis cernatur, septimam esse* sc

bit *mutuorum dissidiorum causam*; *hanc vero opinationem eis ita adimendam esse, ut dicatur, austeritatem quidam esse rem sanctam, in qua etiam variorum ordinum monachi apud Latinos sese exerceant, non tamen in ea tantum praesidii esse situm; quin multos in tumorem fuisse prolapsos, seq; superbo jejunio & maceratione corporis extulisse & calcitrasse, indeq; spiritum, qui super humiles requiescit, non consecutos fuisse.* Bene citas locum Pauli ex epist. ad Rom. 14. sed contra te: cur ergo vos Pontificii nos judicatis, & condemnatis, quod jejunia vestra, quæ longe absunt à jejuniis veterum Novi & antiqui fœderis, sub obligatione conscientiæ nobis obtrudi nolumus. Audi Episcopum Aurelianensem, Gabr. Albaspinæum, antiquorum rituum peritissimum hominem, Is Observ. Eccles. l. 14. hoc annotat: *Jejunium veterum non in ciborum aut eduliorum quorundam abstinentia, temperantia, diminutione, aut mutatione quadam positum erat, quemadmodum hoc tempore nos ea acceptione sumimus, sed eorum publica jejunia nihil aliud erant, quam coitio ac veluti conjuratio totius Ecclesiæ contra Deum, ut ita loquar sancte inita: Qua communi quodam conflato ac conspirante consensu, ad Ecclesiam summo mane omnes confluerent, horrido, inculto, cinereq; conspersо sacco squalidi tectiq; sese ad Christi Domini conspectum prosternebant, ac omni genere precum, orationum, jejuniorum armati, manantibus ubertim ex oculis Lachrimis, magno cum ejulatu cœlum ipsum oppugnabant, & quasi manu facta, ut ait Tertull. eo DEVM adigebant, perpellebantq; ad id quod obnixe peterent, concedendum.* Hæc nobis jejunia probantur: à quibus vestra procul abeunt; veteres de meritoria vel mercenaria carnis abstinentia, de cupediis & deliciis, piscibus & vino, quibus hodie vestrum absolvitur jejunium, nihil noverunt. S. Hieron. T. 1. p. m. 105. Paulinam ita instituit: *Sit vilis & vespertinus cibus, olera & legumina: interdumq; pisciculos pro summis ducas deliciis.* Hieronymi ætate viles pisciculi pro deliciis concessi fuerunt, hodie opipare conditi & delicatissimi pisces, cibus sunt hominis sub opinione cultus meritorii jejunantis. De Paula, in ejus epitaphio ad Eustochium filiam scribit pag. 178. *Quod exceptis diebus festis, vix oleum in cibo ceperit: ut ex hoc uno æstimetur, quid de vino & liquamine, & piscibus & melle, & ovis, & reliquis, quæ gustui suavia sunt, judicarit. In quibus sumendis quidam se abstinentissi-*

nentissi-

nentißimos putant: & si his ventrem ingurgitaverint, tutam pudicitiam suspicantur. Hisce abstinentissimis cùm Pontificii hodie similes sint, nos tamen damnant, quod carnis, ovorum, lacticiniorum abstinentiam, cum ingurgitatione fortissimi vini, & sumtione piscium & bellariorum suavissimorum conjunctam, pro vero jejunio agnoscere nolumus. sed revertamur ad Græcos.

§. 2. Recte dixisset refutator, illam in hoc ritu diversitatem non rumpere unionem fidei; nisi Græci languorem Latinorum hæreseos accusarent. Frustra adducitur Gregorius Proto-syncellus, non tantum quia Pontificius est, (de qua re supra) sed, quod tantum Latinorum morem defendit, & probat, varios jejuniorum & rituum mores non inferre differentiam fidei: Idipsum ego haud minus dico, quam Gregorius, nihilq; aliud in præsens objicio, nisi differentiam rituum, licet addam, Græcos ex hac differentia rem facere magni momenti. Non igitur videndum, quid contra Græcos recte disputetur, sed quid ipsi licet perperam doceant. *Ubi res ipsa loquitur, & historici eam claßico buccinant, morose Pontificiorum errata repudiantur: Allega tu contraria si potes, & palmarium habe*, dicit Allatius. Atqui res ipsa loquitur, & historici eam classico buccinant, allegaviq; contraria, quæ rem simpliciter narrant, habeo igitur palmarium. Loquitur pro me Ephesius itemq; tuus Protosyncellus, qui, cum contra Ephesium disputat, diversitatem fatetur loquitur etiam Manuel Caleca Græcus homo, sed vobis addictus: loquitur Pet. Stevartius Ingolstadiensis Theologus: plura & majora adhuc addam.

§. 3. Nota tibi est contentio Græcorum cum Latinis de jejunio Sabbati, quæ eo evasit, ut Græci Latinos in canonibus Trullanis, quos ipsi pro sacrosanctis agnoscunt, non fuerint reveriti de vitio admonere, & nî morem gesserint condemnare. Canon est 55. A. 707. (juxta Petav.) sancitus. ἐπειδὴ μεμαθήκαμεν, τοὺς ἐν τῇ Ῥωμαίων πόλει ἐν ταῖς ἁγίαις τῆς τεσσαρακοστῆς ἡμέραις, καὶ νηστείαις, τοῖς ταύτης σάββασι νηστεύειν, παρὰ τὴν παραδοθεῖσαν, ἐκκλησιαστικὴν ἀκολουθίαν: ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ, ὥστε κρατεῖν, καὶ ἐπὶ τῇ Ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ ἀπαρασαλεύτως, τὸν διαγορεύοντα. εἴτις κληρικὸς εὑρεθείη τῇ ἁγίᾳ κυριακῇ νηστεύων, ἢ τὸ σάββατον, πλὴν τοῦ ἑνὸς, καὶ μόνου, καθαιρέσθω. εἰ δὲ λαϊκὸς, ἀφοριζέσθω. *Quoniam intel-*

 leximus

leximus (nos Græci Patres) *in Romanorum civitate, in sanctis quadragesimæ jejuniis, in ejus Sabbatis jejunari præter Ecclesiasticam traditam consequentiam; Sanctæ Synodo visum est, ut in Romanorum quoque Ecclesia inconcusse vires habeat canon, qui dicit; si quis clericus inventus fuerit in sancta dominica, vel sabbato jejunans (præter unum & solum) deponatur; sin autem laicus segregetur.* Hoc quod semper in Ecclesia illa fuerit stricte observatum, testes esse possunt Anastasius Nicænus quæst. 77. Zonaras, qui ad Canonem Trullanum commentatus: *Latinorum hoc peccatum emendare Synodus conata est; verum in sua pertinacia hactenus permanserunt arrogantes, hodieq; permanent.* Balsamo *indignos venia pronunciat suæ privatæ constitutioni inhærentes.* Vixit vero Anastasius Nicænus paulo post Concilium Trullanum, vel ejusdem tempore: Jo. Zonaras sub initium, Theod. Balsamo autem sub finem seculi duodecimi. Scio, quid Allatius de hoc concilio sentiat, erraticam scilicet fuisse Synodum, sed id parum nostra refert in præsenti negotio: probet modo, canonem illum surrogatione alius & contrarii decreti, in ulla Synodo post ista tempora, usque in hodiernum diem, esse antiquatum.

SECTIO II.

De Dogmatibus Græcorum propriis.

ARTIC. I.

De Pannychismo sive Pervigilatione animarum.

SYNOPSIS.

DEfinitio Dissensus Allatiana. Inanis farrago auctorum. Dissensus probatur ex Bell. Gretſ. Caleca. Thoma. FF. Prædicatoribus. Ex Allatio Bell. glossa in Apoc. 14, 13. frivola. Discursus All. in ep. ad Boin. expensus.

§. 1. Mutuum de Ritibus, idque immane utriusque Ecclesiæ dissidium excipit discordia in dogmatibus quibusdam, quæ Ecclesiæ Græcanicæ sunt propria. Hîc ubi dissensionem demonstraverimus, recantare tenebitur Allatius omnia sua paradoxa, ex lege, quam ipsemet tulit.

tulit. In omnibus verò gratificabimur, homini Græco de Græcis loquenti, & acceptabimus definitionem dissensus ab ipso sæpius positam & recoctam: quæ in epist. ad Boineburg. § 6. f. talis est: *Discordia atque dissensio est, cum mutuis altercationibus eandem rem, & idem dogma, hic quidem ait, ille negat: Sed Græci & Latini idem volunt noluntque, & consociatâ mente de fidei dogmatibus, idem pronunciant, & veluti ex uno fonte natas res Ecclesiasticas, eodem modo pertractant. Male ergo, quisquis ille est, similia nugatur, & dissidia interponit.* Idem in libro de Synodo Octava Photiana c. 13. qua *Hottingeriana Disp. Apologeticæ sordes atque mendacia* ab Allatio *elui dicuntur* p. 298. sentit: *tum veram unionem, atque consensum inter duos intercedere dici, cum uno ore consentiunt, & una mente unum idemq; comprobant, improbantq;, nec inter eos voluntatum altercatio est. Temere enim uniri sententiis dicentur, qui rem eandem iisdem, vel aliis idem tamen valentibus verbis non exprimit. Quare ubi Ecclesia Orientalis atque Occidentalis eadem verba deprehendimus, eandem quoq; sententiam concinere dicemus. Rituum vero & ceremoniarum diversitatem, sive quæ ex hominum arbitrio pendent, nullum inferunt dissidium, neq; utentes illis alio, atq; alio modo, in partes deducuntur: quod aliter fit de dogmate, quod cum non innitatur institutis humanis, sed decreto divino, semper firmum atque immutabile est; ideo scindit in factiones & pietatem atque religionem in Deum dissolvit. & quæ antea unum erant, in diversa studia concisa, diversam quoq; religionem ingenerant.* ibid. p 301. *In iis, quæ ad dogmata pertinent, vel minima sententiarum variatio maximam voluntatum atque animorum dissimilitudinem infert, & unus alium uti sibi refragantem condemnat, fugat, tandemq; perdere nititur* pag 334. *Nobis est quæstio de illis discriminibus, quæ Ecclesias dis cludant, & inimicitias aliquas, & contrarias hominum sententias, & dissimilitudines studiorum, & voluntatum inducunt:* nec dissonant illa, quæ in procœmio ex Allatio citavimus. His præmissis, omnes qui aliquid vident, in progressu sine dubio clare perspicient, utrum in dogmatibus hisce Græcæ Ecclesiæ peculiaribus, cæterisq;, quæ sequuntur, disputationibus, de origine & causis schismatis, de articulis, quos nobiscum Græci habent communes, deq; erroribus quibusdam, & quæ sunt ejus generis alia, utrum, inquam, animorum, voluntatum, sermonum, inter Græcos

Latinosq; sit convenientia, an quod nos dicimus, maxima sententiarum variatio & discrepantia.

§. 2. Ad dogmata autem refero l. animarum παννυχισμὸν seu pervigilationem. *Concludatur E. ex dictis omnia usque à principio dicta nullius momenti* &c. An alicujus momenti fuerint illa, quæ & in exercitatione & in defensione disputavi, æqui lectoris est judicare. Potuisset autem Refutator sæpissime laborem legentibus minuere, quando invitissimis Musis & Græcis, totiens consensum suum extundere voluit: hic vero nunc magis exultare & triumphare incipit, nullibiq; fidentius se cupit ostentare, quam in hoc articulo de pervigilatione animarum. Centum fere auctores, veteres & recentiores, (cum tamen de antiquis Græc. Ecclesiæ Doctor. nobis nulla lis intercedat) nominat & producit secum sentientes. Quasi vero tantum mihi sit otii, ut bonas horas male collocare debeam in quærendis locis, nulla pag. notatis. Illud vero plane non intelligo, quod scribit, se alio tempore in mei gratiam alia ex Doctor. non infimis additurum. Et ubinam opportunius & comodius fieri poterat? cur dicit, se alio tempore additurum, & mox tamen nuda iterum nomina, sicut in præcedentibus fecerat, subdit? cur promittit, se in mei gratiam additurum, cum tamen refutationem istam vix obtinere potuerim? Marcus Ephesius, quando sibi ipsi contradicit, tam pro me, quàm pro te, citari potest. Stethatus non officit meæ assertioni, in qua id non continetur, quasi nemo ex Græcis sanius sentiret, sed tantum quæ communior & magis recepta sit sententia in Ecclesia Græcorum: quamvis mox Græcor. de encomiis ejusmodi responsionem tuis tibi sim redditurus verbis: illud miror, cur audeas scribere: non alia Pontificius syllabatim dictat, scil. quam Stethatus. Non alia? Ita ait Allatius, qui omnia audet. At verò Stethatus duos tantummodo ordines defunctorum constituit, quorum unus in cœlum, alter in infernum ablegatur: ubi manet tertius eorum, qui sese in abdita purgatorii illatebrare coguntur, de quibus Pontificii tam multa syllabatim & minutatim dictare norunt? Nulla est ex novitatibus Pontificiorum, quę non aliquem ex ipsis Pontif. habeat oppugnatorem, testemq; veritatis in justitia detentæ, quod egregie monstravit B. Gerhard, quem allatravit tantum, non momordit Apostata Erbermannus, neque tamen unius & alterius sanioris hominis & cordatioris judicium pro mente hodiernæ Ecclesiæ Latinæ acceptari potest.

§. 3.

§. 3. Quod si etiam illa omnia ita se haberent, quemadmodum vult Allatius, assertioni tamen meæ nihil decederet, quam probavi ex Bellar. Gretsero, ex Caleca, Græco Pontificio. Quibus nunc aggrego Thom. à Jesu l. 6. c. 6. *affirmantem, præcipuum Græcor. aliorumque Schismaticorum errorem, prout id ex Conc. Trid. & D. Thom. opusc. 6. 9. constet, fuisse illum, quod assererent, nec beatorũ animas ante extremi judicii diem beatitudine frui, nec impiorum inferni igne puniri. Cujus oppositum in Conc. Flor. & Trident. ac demum post longam inquisitionem definitum fuerit, à Benedict. XII. in Extravag. quæ incipit: Benedictus Deus.* Fratres Prædic. qui inter Græcos versati fuerunt, & cum ipsis Constantin. disputarunt, inquiunt pag. 562. edit. Stev. *Opinio eorum est, quod neq; in Paradisum bonæ, neque in infernum ante diem judicii vadant animæ reproborum. Sequentes quendam hujus hæreseos inventorem Archiepisc. quendam Cæsareæ Cappadociæ, Andream nomine; qui dicit propria corpora præstolari, ut cum eis, cum quibus bona vel mala commiserint, retributiones similiter factorum recipiant.* Refutato ex scripturis & Græcis PP. hoc errore, & veritate comprobata, scribunt: *quod* (dogma Catholicum) *similiter ita fuit olim certum Ecclesiæ Græcor. quod non solum in libris, verum etiam parietibus Ecclesiarum suarum antiqui PP. manifestis indiciis imprimere curaverunt. In quibusdam enim picturis, Angelos lucis deferentes SS. animas in cœlos conspicimus. In nonnullis verò Satanæ Angelos ex corporibus morientium reproborum, cum quadam violentia extrahentes animas, & in tartara secum ferentes reperimus. Vnde nunc quomodo ad tantam dementiam devenerunt, ut dicant defunctos nec Paradisi perfrui gaudiis, nec cruciatus infernales pro varietate meritorum sustinere, nescimus, sed solum mirari possumus. Præsertim cum de hoc populi aures repleant in Ecclesiis, in officio suo frequentato. Dicunt enim de Martyribus sic: famosissimi Martyres, apud Christum intercedite, ut detur nobis pax & magna misericordia.* Hi Fratres Prædicatores aperte innuunt, Græcos â simplici ritualis & precum suarum sententia in erroneam opinionem discessisse.

§. 4. Verùm id nunc ex Allatio amplius probaturus sum. Ipse igitur in eruditissimis notis in Eustathii Hexaem. añorat: statim post hujus vitæ terminum Sanctor. animas in sempiternę lucis claritatem delatas, gloria sibi debita perfrui, felicitateq; immensa potiri. *Hæc tamen res*, subjicit p. 35. *à pluribus controversa habuit suos defensores & propugnat. Andr. Cæsar. in A-*

in Apocalypsin serm.15. c.45. & serm.6. c.17. & serm.11. c.33. existimavit justorum animas nondum gloriæ Divinæ participes hujus mundi consummationem expectare. S. Eulogius in Paradiso terrestri eas deferri; frustra enim hortus ille deliciarum creatus esset, nisi jam SS. animarum esset receptaculum. Paucis interpositis: sed horum magis accuratam explicationem in tractatu quem de differentiis Græcorum & Latinorum scribimus, trademus. Non puto lucem vidisse istum tractatum, nisi is ipse sit qui mira metamorphosi in consensum temporis tractu mutatus fuit. Dissert. vero 11. de libb. Eccles. Græcor. pag.136. hæc calamo suo consignavit: *Secundus Errore, de visione DEI beatorum, & damnatorum punitione in eodem Synaxario. Auctor enim Græcorum & aliorum hæreticorum errorem secutus affirmat, justorum animas in certo loco detineri, â peccatoribus separatur, ibiq; diem judicii expectare. Similiter damnatos, ut mercedem pro ratione operum accipiant.* Ἰσέον ὴ ὡς νυνὶ ἔνθισιν ἀφοσιωμένοις τόποις αἱ ψυχαὶ τῶν δικαίων ἀπάγεσι, καὶ τῶν ἁμαρτωλῶν αὖθις ἀνὰ μέρος. οἱ μὲν τῇ ἐλπίδι χαίροντες, οἱ ὴ τῶν δεινῶν προσδοκία λυπέμενοι. ὁ γὰρ ἔλαβον οἱ ἅγιοι τὴν ἐπαγγελίαν τῶν ἀγαθῶν ἔλι, ὡς φησι ὁ θεῖος. Απόστολος, τοῦ θεοῦ κρεῖττον τι περὶ ἡμῶν προβλεψαμένου, ἵνα μὴ χωρὶς ἡμῶν τελειωθῶσιν. *Sciendum est, nunc in quibusdam locis determinatis justorum animas degere, & peccatorum similiter separatim. Illi spe gaudent, hi tormentorum expectatione mœrent. Neque enim adhuc Sancti bonorum promissionem acceperunt, uti divinus inquit Apostolus, DEO pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur. Eandem sententiam secutus est Iosephus Bryennius or.2. de futuro judicio, & sempiterna beatitudine: defunctorum* (inquit) *animæ duo ad degendum loca sortitæ sunt: Sanctorum cœlum, peccatorum terræ centrum, infernum nempe. Sed Sanctorum libertate gaudent, quod & orbem universum & Eden voluptatis locum sedem habent: quæ verò ad infernum condemnatæ sunt animæ, eo egrediendi ad diem judicii & luminis, & refectionis alicujus participes fieri prohibentur. Etenim neque Sancti sempiternis illis bonis antejudicium perfruuntur, neque peccatores tormentorum, quæ nullum finem habent, participes fiunt: veruntamen carcere tenebroso mancipatæ, difficiles, inhumanos atque immisericordes custodes dæmones experiuntur, qui nulli extra carcerem caput efferre permittunt, ignem spirantes, ignem intuentes,*

facie

facie nocti similes propter tristitiam atque inhumanitatem. Huncq; errorem in concilio Flor. sess. ult. *in decreto unionis Græcorum & Latinorum damnatum esse* scribit ibidem Allatius. E. Papa Eugenius & cum ipso Concilium judicarunt, Græcos antea hoc errore fuisse imbutos. Audet tamen Allatius pronunciare, *communem hîc in asserenda opinione Catholica Græcorum consensum esse, ut vere præter paucos schismati addictissimos, neminem invenias adversantem.* Contrarium enunciant Græci communi consensu in conc. Ferrar. sess. prima. T. 4. ed. Bin. p. 413. a. nam cum suam de purgatorio sententiam protulissent, adjiciunt: *Sed in alio quoque differre videmur: ipsi namque tenemus obnoxias animas, & gravioribus ac mortalibus peccatis affectas non satis perfecte in præsentia mulctari. Sed posteaquam cum suis corporibus resurrexerint, fore, ut perfectissimas pœnas pro suis delictis luant, quemadmodum etiam justorum & SS. accidit animabus: quippe quæ bono quodam imperfecte fruantur: post vero suam resurrectionem felicitatem sibi debitam consequentur, ut Paulus inquit: & hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem.* Tandem vero post multa dicuntur Græci in Latinorum iviſse ſententiam. Nunc, vel Græci isti Ecclesiam suam repræsentarunt, ejusque dogmata exposuerunt, vel non: si non repræsentarunt, & pauci tantum fuerunt schismatici, quid de unione illa tam magnifice sibi gratulati fuerunt Papa & Papæi? si repræsentarunt, tum etiam edissertarunt, quid comuni consensu Ecclesiæ Græcæ ante unionem crederent: nunc autem unione rescissa errorem in pristinum eos fuisse relapsos novitii scriptores apud Allatium testantur: ad quem nunc iterum revertemur. Post hæc Græcos antiquiores contrarium docentes lib. cit. adducit, itemque Glycam & Philadelphiensem ex Schismate, hac subjuncta censurâ: *Rideres, mi Auberte, aliquorum ex Græcis qui nunc vivunt vesaniam; namq; cum hisce vel similibus authoritatibus illis mutire necesse sit, quid enim clarius aut apertius dici potuit? ne videantur palam obnoxii, respondent dicta Patrum encomia esse sic prolata ad extollendam, magnificandamque Sanctorum vitam & mortem, re tamen vera eos, quod ipsi sentiunt sensisse.* Alii, illud nunc (νῦν οὐκ ἐν εἰ κόνι ξῆν ὀρᾷ, ἀλλ' αὐτὸν ὁπλαίεται καὶ πρόσωπον,

nunc non in imagine illum intuetur, sed ipsum â facie ad faciem conspicit &c.) quod in auctoritatibus habetur, non præsens tempus, sed futurum indicare; sicq. non quam nunc Sancti gloriam possident, sed quam post judicium possessuri sunt, nobis verbis illis significare. O castos, ô divinos Sanctorum interpretes! qui, quod in corde Sanctorum somniant, asserunt, quod ex ore effluit & scripto confirmatur, abjiciunt. Deinde, si Nunc *futurum tempus designat, ideoque gloriam non quæ nunc est, sed quæ futura est, eaq. post judicium significare, sequetur etiam reliqua omnia, quæ Patres dictæ gloriæ adnectunt, non nunc præparari, sed explenda ea quoque post judicium. Ergo post judicium Deum pro nobis orabunt, nobis succurrent, venient ad nos vocati, miseris opem ferent, indigentibus præsto erunt, & sexcenta alia. Argumentis & rationibus Græcorum abunde satis fit, â D. Thoma, Bellarmino, aliisq.* Hæc est sententia Græcorum, quam in Ecclesia recitant, quam contra Latinos tuentur, ad quam & veterum & juniorum dicta accommodare studeant, quo successu nos non disputamus, sufficit nobis habere nos Græcorum mentem ex eorum inter preces effatis. Qua de re, cum in principio refutationis suæ egisset, scripsit: *Opponens nihil dicit, si provocet ad hos & alios, qui asserunt Græcos beatificam visionem ante judicium justis negare; namq. recurrendum est ad eorum dicta, scripta tradita, & quæ solemniter venerantur, recitantq. in Ecclesia, in quibus si affirmatur, jam tenemus sententiam. Tunc addit Leo; sed Ecclesia Romana de visione beatifica hæc eadem pronunciat, E. inter Ecclesiam Græcam & Latinam est consensus, & non dissidium. Et argumentum simile nuncquam dissolvetur, etiamsi quam plurimi sint, qui dicant, visionem beatificam illam Ecclesiam negare. Quis enim melius Ecclesiæ Græcæ mentem sciverit, vel explicaverit quam ipsa Ecclesia Græca? dicit hoc Casalius, Azorius, alii. Dicunt. E. ita est. Hoc vero nego. Contrarium video, lego, verba non sunt obscura, vel difficilia, & ego fidem oculis meis negavero? Sed dicunt Ephesius, Cabasila, alii Græci. Dicunt. Quis fide dignior est Ecclesiane Græca, an Ephesius, vel Cabasila? multa dicebant Ariani, Nestoriani, alii: quia tamen Ecclesia non erant dicta eorum rejecta sunt, Ecclesiæ probata.* Quæram aliquid ex Te Allati, tu ne solus vides, cæteri omnes, etiam tui in religione socii, talpa & Tiresia sunt cæciores? Azorius? Casalius, cujus scripta in eadem qua Tu vivis urbe Roma,

ma, nuper edita sunt? si iis qui tecum vivunt, in religione tecum consentiunt, scripta sua Romæ edunt, non potes persuadere tua paradoxa, cur nobis succenses, quod figmentis tuis assurgere nolumus? Sed dicunt Gennadius, Plusiadenus, alii Græci, quod Allatius dicit. Dicunt. Quis fide dignior est, Ecclesiane Græca, quæ in Synaxario talia recitat an Gennadius, vel Plusiadenus Pontificii homines? Immo, multa dicebant Ariani, Nestoriani, quia tamen Ecclesia non erant, dicta eorum rejecta sunt, Ecclesiæ probata: eo ipso tamen recte dicebatur, cœtum Arianorum & Nestorianorum in hoc vel illo dogmate ab Orthodoxis dissentire: non, quia Ecclesiæ veræ dicta â membris ejus probantur, hæreticorum vero rejiciuntur, inter veram & falsam Ecclesiam non est dissensio, sed hæc ipsa dissensionem ostendunt. Male igitur hîc iterum philosopharis, ubi philosophari jubes. Dic, in quo Concilio dicta Ephesii & Cabasilæ rejecta sunt? habes fortassis aliquem in bibliotheca Vaticana codicem nondum editum. Sed non opus est ulteriori disquisitione: sufficit, Allatium dixisse: Ecclesiam Rom. de visione beatifica eadem pronunciare, quæ Allatius de Græca Ecclesia ejusq; opinione ex Synaxario recitavit, & hinc inter utramq; Ecclesiam esse consensum in hæresi.

§. 5. Sed quia Græcos suos ita exagitat Allatius propter particulam *Nunc*, agedum videamus, annon Bellarm. cum reliquis Pontificiis pariter sit exagitandus, qui particulam *â modo*, non â Doctore tantum Ecclesiæ aliquo, sed â Divino Spiritu usurpatam, simili nugatione eludere vult, & hinc eandem censuram incurrit. Apocal. XIV. 13. audivit Sanctus Joh vocem de cœlo, dicentem, scribe: beati mortui, qui in Domino moriuntur â modo: etiam dicit spiritus, ut requiescant â laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos. Mortui igitur, qui in Domino moriuntur, quales non sunt soli Martyres, sed omnes, quotquot in Christo vixerunt & in Christo expirarunt 1. Cor. 15, 18. 1. Thess. 4. 14. 16. Sunt beati, reapse, non tantum spe, alias â beatis viventibus nihil differrent, Es. 57. 1. â modo, hoc est, nunc & in posterum, quæ vis est particulæ Matth. 26, 29. Joh. 1. 51. S. etiam dicit Spiritus quod requiescant â laboribus suis, si activis hujus mundi, multo magis passivis

illius Sæculi Sapient. 3. 1. sed quomodo hæc exponit vel pervertit Bellarminus? *respondeo*, inquit l. 1. de purg. c. 12. *Cum Anshelmo in commentar. hujus loci, illud â modo non significare â morte unius cujusque, sed ab extremo judicio, de quo in eo toto capite S. Johannes loquitur. Itaq; hic est sensus: Beati mortui qui in Domino moriuntur; â modo enim, id est à fine hujus judicii de quo nunc loquor, in æternum requiescent â laboribus suis.* A modo id est â fine judicii in æternum requiescent. Quis unquam ex Divinis Scriptoribus illud *â modo* ita sumsit? pudeat te commentitiæ & stramineæ glossæ. Sed rationem addit Bellarminus, hanc nimirum: *toto illo capite de judicio extremo agit Johannes.* Hoc illis persuadere potes, quibus persuasisti, Biblia non ab omnibus esse legenda. Nam in illo capite variæ exhibentur visiones earum rerum, quæ futuris temporibus sint eventuræ. versu demum 19. aliqua judicii extremi præfiguratio describitur. Rectius igitur longe Arethas Cæsareæ Cappadociæ Episcopus commentatur quam Bellarmin. is enim ita scribit: ἡ ἐξ οὐρανοῦ φωνὴ, οὐ πάντας μακαρίζει τοὺς νεκρούς, ἀλλὰ τοὺς ἐν Κυρίῳ ἀποθνήσκοντας. Τοὺς νεκροθέντας τῷ κόσμῳ, καὶ τὴν νέκρωσιν τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ ἐν τῷ σώματι, περιφέροντας. ἐκείνοις γὰρ τῷ ὄντι ἡ τοῦ σώματος ἔξοδος καὶ ἀνάπαυσις κόπων ἀπαλλαττόσα; ἅμα γὰρ τῷ ἀφανισμῷ τῶν κόπων, ἐπεισαχθήσεται ἡ μισθῶν ἔργων ἀπόδοσις. *Vox de cœlo non omnes mortuos prædicat esse beatos, sed eos, qui in Domino moriuntur, qui mundo mortui sunt, & mortificationem Domini JESU in corpore circumferrent. Vere enim exitus â corpore illis etiam requies est, quæ â laboribus eximit. Simul enim ut sublati fuerint â medio labores, inducetur operum retributio.* Hæc antiquus commentator, qui sua ex Andrea Cæsariensi scriptore adhuc antiquiori desumsit, hic autem iterum sua ex vetustioribus, Basilio, Gregorio Theologo, Cyrillo, Irenæo &c. hausit. O castos igitur, ô divinos sanctorum interpretes, Bellarminum & assecla! si nunc futurum tempus designat, ideoque requiem non quæ nunc est, sed quæ futura est, eaq; post judicium significat, sequetur, etiam reliqua omnia, quæ Spiritus Sanctus & Patres dictæ requiei adnectunt, non nunc præstari, sed explenda ea quoque post judicium. Ergo nunc adhuc laborant, immo laboribus gravioribus urgentur, quam in hac vita, E. opera eorum demum eos post judicium sequuntur, E. infeliciores sunt

animæ

animæ piorum juxta ſententiam Bellarmini, quam juxta opinionem Græcorum, hi enim requiem ipſis concedunt, licet negent beatificam viſionem, Bellarminus verò laboribus & cruciatibus easdem prægravari vehementiſſimis aſſerit. Quæ tua ſine dubio etiam eſt ſententia, utrum vero cum hisce tuis verbis eadem componi poſſit, tute melius noveris quam ego: *Qui pie ſanctéq; vixit* (ais) *poſt hanc vitam nanciſcitur ea, quæ vitam agens deſideraverat in omne tempus duratura. Sed nullus deſiderat mœrores, lachrymas, tormenta, flammas* &c. Annon vos Pontificii homines male ſani, mœrores, tormenta, flammas in purgatorio deſideratis? Vides ut tua reſponſione in caſſes meos præda petita incideris.

§. 6. Deveniam nunc, uti promiſi in exercitatione, etiam ad epiſtolam tuam Per illuſtri Boineburgio miſſam, in qua â §. 26 ad 41. hanc controverſiam excuſſiſti. Et primo quidem objectionem ex hac ipſa materia de diſſenſione Eccleſiæ Græcæ & Romanæ factam amoliri conatur Allatius, adducendo contraria dicta Patrum vetuſtiorum, & Doctorum, qui ante Schisma vixerunt: deinde affert etiam auctoritates quorundam, qui poſt Schisma claruerunt, quin & Epheſium in partes rapit §. 33. & ait: *quidni aperta conſenſione diſſidia temerè imaginantur & confingunt hæretici?* At non confingunt, ſed inveniunt hæretici (quos inique vocas) diſſenſionem. 1. enim de SS. PP. nulla eſt controverſia, ſicuti nec de illis, qui ante ſchisma vixerunt. 2. concedi poteſt, in ipſo ſchismate fuiſſe, qui rectius ſenſerint. 3. citavi quosdam Græcos quidem, ſed Eccleſiæ Latinæ addictos, ut eſt Gennadius §. 31. Joh. Pluſiadenus §. 32. 4. Nec unus Epheſius id negavit, ſed alii plures, quorum quosdam produxit §. 26. *at* inquit, *Marcus Epheſius non eſt Eccleſ. Græca?* Sed nec Gennad. vel Pluſiadenus, vel alii. Nitimur auctoritate Synaxarii, ſcimus enim in more tibi eſſe poſitum, Doctores Eccleſiæ aſpernando & conviciando refutare, quemadmodum tuo more §. 26. dicis: *poſſum & Zachar. Gergani nugas nugaciſſimas addere.* §. 32. *verbis adeo perplexis quid innuat Gabriel iſte Philadelphienſis, puto nec ipſum intelligere.* §. 35. Cum Græcorum ſuorum ſententiam aliquis Joſephus Philagrius tuetur, reſpondes: *Scriptio inſcitia mera eſt, cum aliorum ſententias propinat: cum ſua adjicit, helleboro eſt homini opus: ita dicis agitur malis. Non mirum ergo, ſi pretium obſtultitiam tulerit.* Examen

 deinde

deinde instituitur hujus Philagrii. Sed ex eo Allatio nihil accedit, sive enim homo sit indoctus, sive non, sive probe, sive male stet in examine, Ecclesiæ tamen suæ doctrinam hodiernam proponit, & contra Latinos defendit: etiamsi enim aliquis Pontificius indocte & inepte, uti sæpe fit, suam fidem contra nos defenderet, suæ tamen Ecclesiæ doctrinam proposuisset, eandemq; à nostra dissidere ostendisset. Liceat autem interrogare, num Doctores & Episcopi citati, doctrinam suæ Ecclesiæ prorsus non intelligant, an sensum precum suarum & officiorum penitus nesciant, unde nam istis tanta in rebus quotidianis ignorantia & stupor proveniat? Georg. Coresius singulari contra Latinos capite de fruitione Sanctorum egit, quomodo ergo cum ipsis consentit? regeris? ipsum aliud nihil insinuare, si recte illius verba considerentur. Cur verba Coresii non attulisti? si nihil aliud insinuare voluit, cur peculiari capite contra Latinos disputavit? Si Coresium exsibilando & lancinando refellere velis, id, crede mihi, non patietur tuus Goar, qui ipsum literatissimum Medicinæ, & magnæ Ecclesiæ Constantinop. Doctorem & Theologum nominat, in not. ad Euch. p. 643. seq. it. 678. an igitur credibile est, virum literatissimum, Doctoremque in Ecclesia Græca celebrem, dogmata & officia quotidie recitari solita, eorumq; sensum non tam probe nosse, quam Allatium, hominem nulla apud Græcos dignitate conspicuum.

Artic. II.

De Polygamia Successiva.

Synopsis.

Dissensus per aliquot argumenta, testimonia Critopuli, Morini, Innocentii IV. ostenditur.

§. 1. De temeraria definitione adventus Dominici, quod ll. erat, Allatius nihil dicit. Itaque & nos ad III. properamus, quod agit de rigida nimis censura *Polygamiæ Successivæ*. Hîc me jubet argumentari; argumentabor igitur, ut contrarietas & dissidium eluceſcat. Quicunq; morem aliquem veluti ab hæreticis profectum improbat, pœnasq; con

trave-

travenientibus, tanquam Ecclesiæ sententiam, & Apostolorum sancita violantibus, indicit, is ab altero dissidet, qui morem illum tenet & observat; atque hoc facit Theodorus Studita apud Allatium. E. Quicunque ex indulgentia tantum aliqua incontinentibus iterum permittunt nubere, ii dissident ab aliis, qui incontinentiæ secundas nuptias non damnant, atqui hoc faciunt Græci, ut ostensum ex Arcudio & Goare in Exercitatione, E. Quicunque digamos meretricibus & adulteris comparant, illi omninò â Latina Ephesia dissident, at hoc faciunt Græci E. ibid. Quicunque legem servat, ille â non servante dissidet, atqui Græci servant legem Ecclesiasticam. E. â Latinis dissident. Quicunq; γάμον δεύτερον celebrat, legis est transgressor, Latini hoc faciunt, & sua quid. sententia licite. E. sunt transgressores legis, & per hoc â Græcis dissident. Quicunque vitam suillam improbat, is dissidet ab eo, qui probat, Græci hoc faciunt. E. Quicunque Tetragamiam, quasi sua natura malam, reprobant, ii dissident ab illis, qui negativam sequuntur, atqui Græci, E. min. est Arcudii, 7.39. unde & Metrophanes Critop. c.12. f. *non ignorandum esse* monet, *Ecclesiam Catholicam ad secundas & tertias usque nuptias condescendere, easq; concedere, sed iis solis, qui juvenes adhuc, & haredum indigi sint, non item illis qui florentem ætatem exegerint, & liberos possideant; quartas verò nuptias prorsus non habere.* Confer quæ in eandem sententiam ex Græcis affert, amicissimus tuus Jo. Morinus l.6. c.26. vasti operis de pœnitentia. Deniq; si inter Græcos & Latinos nullum est dissidium, quare Græculos suos canonum prævaricatores vocat, & hunc in modum pungit Allatius? *Quid ipsi dicerent, si tantos PP. & decreta similia adversus Latinos proponere possent? quas non turbas excitarent? actum jam esset de Latinis. Quia tamen Græci sunt, qui repugnantibus Patribus, & prohibentibus legibus rem agunt, salvi sunt.* P. C.3.13.3.f. Neque ignota sunt verba Innocentii IV. ex bulla sive literis ad Episcopum Tusculanum, Apostolicæ sedis Legatum in Regno Cypri: *Quia secundum Apostolum mulier mortuo viro ab ab ipsius est lege soluta, ut nubendi cui vult in Domino liberam habeat facultatem, secundas & tertias, ac ulteriores etiam nuptias Græci non reprehendant aliquatenus, nec condemnent, sed potius illas approbent inter personas, quæ aliâs licite ad invicem matrimonio jungi possunt.* Monstra locum,

cum, ubi in media Græcia hæc Papalis Bulla sit recepta. De dissidio jejuniorum supra jam egi, quod mei fuerat instituti.

Artic. III.

De communione Infantum.

Synopsis.

De illicita sanguinis Christi cum atramento mixtura: alii abusus sanctissimi Sacramenti. Dissensus argumento unico, & quibusdam auctoritatibus obtinetur.

Hic brevis est Allatius, cum tamen amicissimum suum, & in omni studio versatissimum Nihusium defendere debuisset, nisi fortassis ipsemet animadvertit, quam stulte contra D. Calixtum disputârit: in una tamen aliqua re defendit non tam impietatem Nihusianam, quam Præpositorum Ecclesiæ, qui sanguine Christi cum atramento permisto anathematizationes hæreticorum scripserunt? immanem hanc nequitiam, & extremam impietatem defendere audet Allatius hoc modo: *Factum illicitum, vel licitum dicitur, quod ex sua natura bonum est, si fiat ab illo, cui illud faciendi facultas est. Cum itaque Præpositi Ecclesiæ sanguine cum atramento mixto excommunicarunt hæreticos, factum fuit licitum, cum approbante Ecclesia â Præside illius opus per se neque bonum neque malum factum est. Ideoque factum tenet, & licite factum est.* ô audacissimum assertum! Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Esa. 5. 20. Anne in hunc finem Sacratissimus Dominici sanguinis potus institutus est, ut cum fuligine commisceatur, quando hæreticis anathema scribendum est? hocne fecerunt Apostoli? Hocne Patres Primitivæ Ecclesiæ? Viri ardentissimi Zeli pro honore DEI & veritate divina, & hæreticorum, Arianorum, Nestorianorum, Eutychianorum, Macedonianorum, & consimilium hostes acerrimi? Novo id exemplo primus fecit Theodorus Papa, cum anathematis & depositionis sententiam adversus Pyrrhum Monothelitam ederet, A. 648. A. 869. Episcopi damnationi Photii subscribentes, in majorem

jorem hominis deteſtationem idem feciſſe perhibentur. v. Dannh. Aleth. victr. pag. 84. Examinabo autem philoſophiam Allatianam, novam prorſus & inauditam. Contraria primo ſub eadem definitione complectitur. Factum, inquit, illicitum vel licitum dicitur, quod ex ſua natura bonum eſt, ſi fiat ab illo, cui illud faciendi facultas eſt. Eſt contradictio in adjecto: Factum eſſe illicitum, & tamen ſua natura bonum eſſe. Amplius, quod ſua natura bonum eſt, ſua quoque natura eſt licitum, nec tale demum conſtituitur per id, ſi fiat ab eo cui facultas eſt illud faciendi. Immo ſi rigidius agere vellem, abſurdiſſimum elicerem illud, oppreſſionem innocentum eſſe factum licitum, ex tua definitione. Nam factum licitum dicitur id, quod fit ab eo cui illud faciendi eſt facultas, oppreſſio innoxiorum licita erit, ſi fiat â potentioribus, quibus facultas eſt & potentia illud faciendi. Sciendum vero ex H. Grotio de J. B. III. 2. *Quod licere dicatur interdum id quod rectum ex omni parte piumque eſt, etiamſi forte aliud quid fieri poſſit laudabilius, quale eſt illud Pauli Apoſtoli:* πάντα μοι ἔξεστιν, ἀλλ' οὐ πάντα συμφέρει. *Omnia (illius ſcilicet generis, cujus ſunt de quibus agere cœperat, & porro acturus erat) licent mihi, ſed non omnia expediunt. 1. Corint. 6. 17. aliâs vero licere aliquid dicitur, non quod ſalva pietate & officiorum regulis fieri poteſt, ſed quod apud homines pœna non ſubjacet. Sic apud populos multos ſcortari licet. Eſt autem hæc vocis licere ſignificatio minus propria.* Joan. de Salas Jeſuita Gumielenſis ex provincia Caſtellana, quando tract. XIV. de leg. Diſput. 2. ſection. 6. quæſtionem illam diſcutit, utrum jure gentium liceat naturaliter contrahentibus ſe decipere, dicit: *licitum ſeu conceſſum late ſumi in illis juribus pro permiſſo, ſeu non punito ab hominibus, quod lex humana habet quaſi licitum. Deinde apud Latinos, quod liberum alicui eſt, & permittitur, licere dicitur.* In hac poſteriori, lata & impropria ſignificatione accipio, τὸ licitum in facto Pontificum Romanorum, quia lege Divina id neutiquam concederetur: niſi libitum idem ſit, quod licitum ex dictatu matris Caracallæ, & hodierna Caſuiſtarum doctrina, de qua Montaltius. Illud præterea probandum eſt, factum ejusmodi

neque bonum neque malum in se esse: est enim malum in se, factum, quippe in eum finem, qui â Christo non fuit *intentus*. Proba factum illud esse licitum, quod approbante Ecclesia ab ejus Præside est factum. Et Præses & Ecclesia & Prælati peccarunt. Sed Pontifices, ut omnia sedibus suis moverent, res sacratissimas & definito suo usu ad fines nefarios & superstitiosos transtulerunt. Memorabile hujus rei exemplum in Gregorio VII. habemus, qui immensa temeritate controversiam inter se & Henricum IV. Imperatorem ortam, horribili ista lege voluit terminare, ut sumpto corpore Dominico, sua vel innocentia, vel noxa, patesceret. *Verum Henricus majorem judicio divino reverentiam deberi gnarus, quam ut alienæ temeritatis impium exemplum imitandum videretur, discussionis legitimæ formulam prætulit*, quæ censura est Bœcleri in exquisita dis. de calculo Minervæ, p. 289. seq. Non dissimile abusûs exemplum commemorat ex Th. Meurero Osiander, pag. 1141. A. 1600. Cent. XVI. Pontificem Romanum Monsorium Sacristam ablegasse, ut dictis aliquot precibus præscriptis, consecratam peculiaribus cerimoiis hostiam (Agnus Dei dictam) in Tyberim, quæ magno cum urbis incommodo exundaverat, projiceret, eventum tamen non docuisse aquas illas, ante consuetum tempus fuisse diminutas. Quod vero de communione Infantum dicitur: si prohibitio non accessisset, adhuc etiam in Latina Ecclesia esset licita; id nullo pacto consistere potest, nam si propterea non est dissidium inter Romanos & Græcos, nec inter nos & Pontificios dissidium esset, de communione sub utraque; nam & illa, uti fatemini, olim in Veteri Ecclesia in usu fuit, in Concilio demum Basileensi & Constantiensi serò prohibita: quemadmodum igitur inter nos & vos magna viget discordia ex prohibitione calicis enata, ita etiam inter Græcos & Latinos dissidium alitur ista prohibitione: quod ut melius capias, forma Syllogistica complectar. Quicunq; non sine Latinorum scandalo infantibus guttulam sanguinis exsugendam porrigunt, idque ad consequendam salutem æque necessarium esse, atq; baptismum statuunt, & hac quoque in parte mentes execrandi schismatis & pernicioſissimæ hæresis tenebris offusas habent, illi â Latinis omnino dissentiunt, atq; Græci &c. Ergo v. exercit. & sup. de immediata Chrism. conjunctione. Ut autem ii, quibus scripta hujusmodi Græcorum

rum

rum legere non datur, eorum sententiam clarissime intelligant. Simeon Thessal. apud Arcud. p. 40. hoc præcipit: *Frequenter ad communionem infantem adducere oportet, ita enim à Christo magis conservabitur & augebitur, & non secundum quosdam istud negligere, atque à communione infantes arcere. In hoc similiter sine ulla ratione innovantes. Non enim, ajunt, infantes sciunt, cujus participes fiunt. O dementiam simul & absurditatem! cur igitur baptizas? Et sicut qui non fuerit regeneratus per aquam & Spiritum, non intrabit regnum cælorum; ita etiam qui non comederit carnem Filii hominis, ut ipsemet Dominus dixit, & bibit ejus sanguinem non habet vitam æternam.* Idem urgent Jeremias, & Gabriel Philadel. ibidem. nec non Nicolaus Cabasila p. 279. conc. Arcud. Metrophanes Critop. p. 99. in Confess. Eccl. Or. hoc habet: *Quod si quis nos propterea, quod de cœna Dominica infantibus impertimur, reprehendat, illi facile os obturamus. Etenim si hic sit aliquis de Anabaptistis, adversus eum utemur hoc dicto: sinite parvulos ad me venire, & ne prohibite eos. Item illo: nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem non habetis vitam in vobis. Si vero adversarius non sit Anabaptista, nos iisdem, quibus ille contra Anabaptistas, pro infantibus baptizandis utitur, etiam adversus ipsum utemur argumentis, quod quemadmodum baptizari, ita quoque Cœnæ Dominicæ participes fieri oporteat: atque ita cum DEO vicimus.* Et Allatius meus dicit, nullum dissidium apparere. Contrarium video, lego, verba non sunt obscura vel difficilia, & ego fidem oculis meis negavero, tuis contra te utor verbis.

SECTIO III.

ARTIC. I.

SYNOPSIS.

OCcasio Schismatis. Synodus Calixti impertinenter ab Allatio affertur. Consequentiis Allatii obstruitur. Sensus Græcorum de Processione Sp. S. per secula eundo exponitur. Synodo Parthenianæ sua auctoritas asseritur. Nec minus Patriarchis. De auctoritate ritualium. De additione. Consequentia illa: non negant, E. affirmant ventilatur. De permissu Ecclesiæ Rom. & confessione oris. Testes

dissensus Pontificii advocantur. De vi disputationis ad hominem, deq; valore testimonii Turcici & Judaici: deniq; diabolici.

§. 1. Originem & prima quasi schismatis semina &c. de origine quia Allatius, ex more suo Sguropulum & Creygthonum conviciis tantum proscindit, nos quoque plura dicere supersedebimus. Quærimus autem illud unum, quare Sguropulus est stolidissimus? quia Allatio adversatur. Quare Creygthonus ipso Sguropulo est stultior & stupidior? quia Allatio adversatur. Cur alii quidam Græci scriptores nuperi & Sguropulo juniores sunt docti & sapientes? quia Allatio non adversantur. Sed quia plerique Scriptores Græci & Pontificii prima semina schismatis exorta esse scribunt ex additione illius formulæ controversæ, *Filioq.*, quem â solo Patre procedere docent Græci; quamvis Illustriss. & longe Doctissimus Archiepiscopus Parisiensis, Petrus de Marca, *lugendum illud & omnibus sæculis deplorandum schisma, quod florentissimas Orientalis Ecclesias â capite suo avulsit, non in aliam conjiciendum esse arbitretur causam, quam in contentionem quæ ob diœceses malo more usurpatas exarserit*, l. 1. de concordia Sacerdotii & Imperii c. 1. §. 4. quod & ei prosequi, & ex historiis eorum temporum probare placuit. Sed cum nostri nunc non sit instituti, hæc fusius discutere, idcirco nos hanc solummodo de processione Sp. S. & de additione controversiam, quæ, ut audivimus â plerisq; censetur occasionem schismati dedisse, paulo prolixius examinabimus.

§. 2. *Cum consensum urgeo* (inquit Refutator) *nullius ex his* (mercatoribus & advenis Pontificiis in Græcia habitantibus) *testimonia sumsi* &c. Oro te Doctissime Allati, ne in tantum abuti velis simplicitate lectorum, & sic omnes, qui tuam lecturi sunt scripturam, brutos putes, ut cum videant te manum peti, pedem à te porrigi non conspiciant. Tuum erat ex promisso testimonia Schismaticorum conglobata proferre, confitentium processionem ex Filio. Sed profecto, aliis lippientibus, oculos inungis non dolentium; hoc est, nihil ad rem respondes. Quæstio est de processione Spiritus Sancti â Filio, quæ controversia est antiqua, tu ex recentiori quadam Synodo longe diversa sententiam tuam probare cupis, in qua tamen de processione Spiritus

ritus Sanctus ne uno quidem verbulo agitur, & tamen tam præfidens es, ut Epinicium quasi aliquod canas. Hieronymus de istiusmodi Refutatore diceret, Palæstinæ interrogaris, & respondes Ægypto. Est illa controversia, quam tu hic tangis, â me tractatu sub titulo erroris tertii, qui differentia operationum & proprietatum divinarum â substantia DEI reali notatur pag. 36. Exercit. nostræ, adeoque error plane alius, quam is est, de quo tu loqui, meamque petitionem nube testimoniorum Schismaticorum celare volueras. Non possum igitur non asseverare, Allatium prorsus nihil dixisse. Probare debebat, totum gregem & globum Schismaticorum decreto Synodico sancire, Spiritum Sanctum ex Filio perinde atque â Patre, vel, non â solo Patre procedere; at in tomo ne apex quidem de eo extat, sed identitas essentiæ & operationum divinarum contra Barlaamum hæreticum propugnatur, de additione hac *Filioq;* nullum verbum habetur. Id quod ex ipso Tomo ostendo, cujus hoc est apud Allat. P. C. 2. 17. 2. initium: *Palam est ex ipso tomo nisi quis ex invidia atque odio res dijudicare velit, de duobus tantum capitulis judicium factum esse & determinationem; de divino lumine in monte Thaborio, & de oratione, & pro duobus hisce capitulis condemnatum, ejectumq; Barlaamum.* Iterum: *Quare editus est tomus, nullum aliud neque principium neque finem habens, nisi tantum duo illa, quæ in eo continentur capita, divini inquam transfigurationis luminis, & orationis, ut jam diximus.* rursus: *breviter E. nos exposuimus summam in hac veritatis causa de duobus solummodo capitibus, nec de ullo alio Synodale examen finitum, & propter hæc sola ejectum damnatumque absurdissimum Barlaamum.* *His,* addit Allatius, *ut jam vides lector, Barlaamus condemnatus asseritur de duobus capitibus.* Quod si E. ex tomo Synodico & Allatio intelligimus, de his duobus tantum capitibus actum esse, qui fit quod Allatius hîc asserat, de additione istac aliquid determinatum esse. meminisse debuisset responsionis suæ Balsamoni & Ancyrano ad eundem modum Synodum Ephesinam & Theodoretum citantibus §. 14. epist. ad Boin. datæ: *Balsamo & Anzyranus nugas parum cautis vendunt; & plane â vero aversi sunt. Nullum enim est de processione Spir. S. in ea Synodale decretum, nullum verbum.* Neque in hac Allatio laudata Synodo.

§. 3. Sed ita per bonam consequentiam concludit Allatius: *Si esse ex essentia ad internam, naturalem, & essentialem actionem & processionem refertur*, tum Spiritus S. ex Filio quoque progredietur, quia â Patribus dicitur esse ex essentia Filii. *Dicunt*, inquis contra Hotting. p. 328. *præterea, Filium effluere, produci, emanare, exilire, & similia ex Patre, & generationem Filii ex Patre designant. Hæc eadem pronunciant de Spiritu Sancto ex Patre, & Spiritus processionem ex Patre significant, E. cum pronunciant & creberrime eadem de Spiritu S. ex Filio, processionem Spiritus etiam ex Filio notant.* Negant notari; negant consequentiam, nego, te afferre posse locum, in quo dicatur ex Filio procedit Spiritus S. Non collectiones tuas, sed verba Græcorum petimus. Similiter; Quædam additio, quæ nuda est expositio ab ipsis Schismaticis non condemnatur, E. nec hæc condemnatur ab illis; sciveris vero ex puris particularibus nihil sequi. Additionem ad symbolum illum, quam vocant hæreticam innovationem, & heterogeneam adjectionem, nunquam vocabunt tui Schismatici nudam expositionem. Cur iterum migras legem, quam ipse fixisti, testimonia nuda debebas proferre, non tuas conclusiones & consequentias, non tuas collectiones & ratiocinationes. Hoc quidem verum est, quod quis per bonam & liquidam consequentiam convincitur statuere, idipsi nolenti volenti sine injuria imputatur: ita quidem recte scriberem, hoc & illud Græci coguntur statuere, si hypotheses vel phrases suas tueri voluerint: verum inde non sequitur, Græcos fateri hanc suam mentem & fidem esse, idq; verbis expressis. Cape simile. Multa vobis per consequentias falso imponi conquerimini, quæ tamen nos liquido ex hypothesibus vestris, de invocatione B. Virginis, Francisci, & Josephi, servatoris nostri in opere redemtionis collegarum, Trinitatis creatæ &c. deducere possumus; multo atrocius conquesturi, si diceremus, vestram Ecclesiam palam hæc animo & verbis expressis profiteri, scilicet B. Virginem esse ex personis Sacrosanctæ increatæ Trinitatis unam, (nam an medium in Trinitate creata obtineat locum, an item absque blasphemia Trinitas creata increatæ adjungi possit, alibi contra horrendas, F. Andreæ â S. Teresia, aliorumq; voces disputabimus) Christum esse Redemptorem imperfectum, Papistas esse crassissimos idololatras &c. Quam juste igitur & gra-

& graviter de te conquesturi sunt Græci tui, si perceperint, te, contra loca expressa, in quibus ex professo processio ex solo Patre pertinacissime asseritur, ex Controversia ad hunc statum aliena, & ex tuis consequentiis docere velle, quid publice profiteantur. Cogita quæso, quam audax sis, citavi Patriarchas, Episcopos, Synodos, Doctores Græcorum; citavi Pontificios contra hos disputantes; citavi Schismaticos antiquos & hodiernos, qui vociferantur, ex *solo* Patre Spiritum S. procedere, tu negas eos hoc clamare, quare vero negas? quia tu per tuam consequentiam aliud elicere nosti. Ipsi interim Græci negabunt tuam consequentiam, & ex abundanti respondebunt, se quidem firmiter credere, unam esse Patris, Filii, & Sp.S. essentiam, sed â Filio non procedere Sp. S. neque tamen lædi unitatem vel identitatem essentiæ, quia Sp. S. â Patre *Per* Filium procedat. Tuus Simon Constantinopolitanus â Græcis reliquis tanquam Apostata rejicietur, mendaciiq; redarguetur, quod affirmare ausit Græcorum Ecclesiam apertis verbis fateri, Spiritum S. non ex solo Patre procedere, sed & per Filium, & ex Filio. De propositione *Per* nulla est quæstio. Sed Simon iste tuus præpositionem *ex* vel *â, ab*, nullibi invenit nisi in unica illa Simeonis lectione, in qua tamen formula, ἐκ υἱοῦ, *Ex* vel *A* Filio non legitur, neque de processione Sp. S. â Filio proprie ibi agitur, sed tantum contra πνευματομάχους aliquos, Spiritum S. Filio consubstantialem esse negantes, probatur, Spiritum S. in tempore discipulis missum nequaquam esse alienæ naturæ, & Filii subditum, sicuti sunt reliqui spiritus ministratorii. Alia forsan adhuc excipere possemus, si ipsum Simeonem & Simonem inspicere liceret. Quod vero in ode ad Hirmum canitur: *Spiritus S. ex Patre absque principio procedens, & ex te indivise elucens; it. verbum vivens, ex quo Spiritus S. apparuit, id* processionem ex Filio non firmat, sed contrarium potius elicient schismatici, nim. si auctor istius odæ credidisset, Spiritum S. ex Filio æque atque ex Patre procedere, tum de Filio non alium, sed eundem usurpasset loquendi modum, negabunt insuper consequentiam tui Simonis: Spiritus S. apparuit ex Christo Salvatore, E ab eodem procedit. Nosti etiam quid Græci respondeant ad illud, Christus misit Apostolis suum sibi æqualem Spiritum. E. iste Spiritus ab æterno ex ipso procedit. Ita quidem recte colligitur, sed

Græci

Græci collectionem istam non admittunt, quod vel ex unico Jeremia constare potest: is igitur Resp. I. p. 57. cum articulum I. A. C. approbasset, excipit tamen: *Se cum Nicæna, Constantinopolitana, atque cæteris V. Oecumenicis Synodis, quæ nihil nec addiderint, nec demserint statuere, Sp. S. à Patre procedere.* Diceret Allatius, at non negat, etiam à Filio procedere? nisi negaret, nil in Confessionis Augustanæ art. I. reprehenderet vel exciperet. R. II. p. 200. inquit: *Primum itaque caput in quo dissentimus, processio Spiritus S. est.* p. 201. respondet: *non sequitur Sp. S. mittitur à Filio E. etiam procedit à Filio.* ἡ μὲν γὰρ ἐκπόρευσις, φυσική ἐστιν ὕπαρξις, ἀμέσως ἐκ μόνου τοῦ αἰτίου πατρὸς, ἡ δὲ πέμψις ἀποστολὴ χρονική, καθ' ἣν καὶ ὁ υἱὸς πέμπει τὸ πνεῦμα. *Processio enim est naturalis essentia Sancti Spiritus immediate ex solo authore Patre: legatio vero temporaria; qua & Filius mittit Spiritum.* Paginis seqq. objectiones nostras refutat, & tandem p. 212. concludit: ὁρᾶτε πόσα ἄτοπα ἕπεται πανταχόθεν, τοῖς λέγουσι τὸ πνεῦμα ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι. *Videtis quantum absurditatis consequatur undiquaque: si statuatur Spiritus ex Patre Filioq; procedere.* Resp. autem III. pervicacissime in sententia sua persistit, quod in exercitatione jam indicaveramus: Perspici idem potest ex Maximo Margunio, Episcopo Græco, non modo Græcæ, sed & Latinæ linguæ perito, & editis aliquot opusculis, quorum unum in Franciscanos, aliud in Jesuitas scripsit, celebri; is pro Jeremia Patriarcha contra Jacobum Gretserum scholia anascevastica Venetiis edidit, & ad collectiones istas Latinorum, quantum potuit, respondit. Extant illa scholia Margunii cum responsionibus J. Gretseri T. 2. defensionis Bellarminianæ p. 84. seqq.

§. 4. Sed videbimus adhuc semel, quænam Græcorum de Processione Spiritus Sancti sit sententia. Antiquitus simpliciter credebatur Spiritum S. ab æterno à Patre procedere. (D. D. Stil. Vind. pag. 10.) δέχε μίαν θεότητα τοῦ πατρὸς τοῦ γεννήσαντος, τὸν υἱὸν ἀνεκφράστως, καὶ τοῦ υἱοῦ γεννηθέντος ἐξ αὐτοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, τὸ ἐκπορευόμενον ἐξ αὐτοῦ τοῦ πατρός. Suscipe unam Deitatem Patris qui genuit Filium modo ineffabili, Filii, qui genitus est ex eo, & Spiritus Sancti, qui procedit ex ipso Patre. Hoc juxta formulam fidei Philosopho ad Christianismum convertendo, præscriptam. Ita tamen processio ex Patre credita, ut Filius

lius ab activa spiratione non excluderetur. Primus, fatentibus Bellarmino, & Becano Jesuitis, Theodoretus Cyrilli adversarius, contra 9. anath. Cyrilli ita insurrexit: ἴδιον δὲ τὸ πνεῦμα λέγε υἱέ, εἰ μὲν ὡς ὁμοφυὲς, καὶ ἐκ πατρὸς ἐκπορευόμενον ἔφη, συνομολογήσομεν, καὶ ὡς εὐσεβῆ δεξόμεθα τὴν φωνὴν, εἰ δὲ ὡς ἐξ υἱέ, ἢ δι' υἱέ τὴν ὑπαρξιν ἔχων, ὡς βλάσφημον ἔστω, καὶ ὡς δυσσεβὲς ἀποῤῥίψομεν. *Proprium autem Spiritum Filii, siquidem ut ejusdem cum eo naturæ, & ex Patre procedentem dixit* (Cyrillus scil.) *simul confitebimur, & tanquam piam suscipiemus vocem. Si vero tanquam ex Filio aut per Filium existentiam habeat, hoc ut blasphemum & impium rejiciemus.* Theodoreto manus dedisse Cyrillum recentiores Græci contendunt, ex quibus Allatius P. C. 2, 2, 3. Anchyranum & Mich. Balsamonem citat. E. recentiores illi Theodoretum sequuntur. Movit autem illam quæstionem Theodoretus tempore Concilii Ephesini contra Nestorium celebrati Au. 431. Seculi octavi principium fere illustravit Johannes Damascenus, magni nominis tam apud Occidentales, quam Orientales Theologus, is communi Græcorum sententia tradit, Spiritum Ex Filio non dici: quamvis hæc particula â quibusdam interpretibus contra fidem Græci textus fuerit addita, quod ipse reprehendit Allatius, qui numerum satis magnum ex Græcis junioribus, itemque Thomam Aquinatem & Cajetanum, Damasceni verba quasi Græcorum errori faverent intellexisse non abnuit: & favent sane apertissimè. Τὸ δὲ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ πατρὸς λέγομεν, καὶ πνεῦμα πατρὸς ὀνομάζομεν, ἐκ τοῦ υἱέ δὲ τὸ πνεῦμα οὐ λέγομεν. *Spiritum vero Sanctum ex Patre dicimus, & Spiritum Patris nominamus, ex Filio vero spiritum non dicimus.* Verba cum sint satis clara quorum sententiam doctissimi viri optime quoque perspexerunt, Allatius tamen, per multas consequentias ostendere conatur, Damascenum id non sensisse. Seculo undecimo claruit Michael Psellus, quem ducentis ante annis Baronius, Epitimatores Baronii, Bellarminus alii vixisse perperam existimarunt, hic præceptor fuit Michaelis VII. Ducæ Imperatoris, & in capp. Theolog. scripsit: ἡ ἁγία καθολικὴ Ἐκκλησία τὸν μὲν πατέρα μὴ δογματίζει ἀγέννητον, τὸν υἱὸν δὲ γεννητὸν, ἐκ τοῦ πατρὸς, τὸ δὲ πνεῦμα ἐκπορευτὸν ἐκ μόνου τοῦ πατρὸς, ἀλλ' οὐχὶ καὶ ἐκ τοῦ υἱέ. *Sancta & universalis Ecclesia tradit, Patrem esse ingenitum; Filium vero genitum ex Patre, Spiritum autem procedere ex solo Patre &*

non etiam ex Filio. Circa idem tempus floruit Theophylactus Patria Constantinopolitanus, Archiepiscopus Bulgarorum, Sancti Chrysostomi lector diligentissimus, & ex illa lectione Doctor facundissimus, de quo Bellarm. in script. Eccles. *Schismaticum fuisse Theophylactum intelligi potest ex commentario in cap. 3. Ioh. ubi Latinos reprehendit, quod credant Spir. S. etiam â Filio procedere.* Hæc autem commentatur Theophylactus h. l. adv. 34. Non intempestivum fuerit hoc loco dicere, quomodo habeat Filius Spiritum, & quomodo dicatur Spiritus Filii. Dicit enim & Apostolus, Spiritum Filii sui in corda vestra misit, clamantem abba Pater. Et iterum; si autem quis spiritum Christi non habuerit, hic non est ejus. οἱ μὲν λατῖνοι κακῶς πῶς ἐνδεχόμενοι, καὶ ἀδιανοήτως φασὶν, ὅτι τὸ πνεῦμα ἐκ τοῦ υἱοῦ ἐκπορεύεται, ἡμεῖς ὃ πρῶτον μὲν τοῦτο φαμὲν πρὸς αὐτοὺς, ὅτι ἄλλο ἐστι τὸ εἶναι ἐκ τινος, καὶ ἄλλο τὸ εἶναι τινός, οἷον τὸ πνεῦμα εἶναι μὲν τοῦ υἱοῦ πνεῦμα αὐταμφίβολον, καὶ ἀδιάσειστον τῆς γραφῆς πάσης βεβαιούμενον, εἶναι δὲ ἐκ τοῦ υἱοῦ ἀδήμια γραφὴ μαρτυρεῖ, ἵνα μὴ δύο τοὺς αἰτίους τοῦ πνεύματος εἰσάξωμεν. *Sanè Latini male hæc exponentes & minus recte intelligentes dicunt, quod spiritus etiam ex Filio procedat. Nos autem hoc quidem primum dicimus ad eos, quod aliud sit esse ex quopiam; & aliud esse cujusdam: ut Spiritus est quidem Spiritus Filii absq; dubio, & ab omni scriptura approbatum: cæterum esse ex Filio, nulla scriptura testatur, ut ne duo principia Spiritus introducamus Patrem & Filium.* Iterum. πίστευε οὖν τὸ πνεῦμα, ἐκ τοῦ πατρὸς μὲν προϊέναι, δι' υἱοῦ δὲ χορηγεῖσθαι τῇ κτίσει, ἵνα ἔτως ἔχῃ σοι κανὼν ὀρθοδοξίας. *Crede igitur tu, Spiritum â Patre quidem proficisci, per Filium autem dari creaturæ atque hic sit tibi canon orthodoxæ doctrinæ.* Seculo duodecimo ineunte, Constantinopoli â Chrysolano vel Proculano Archiepiscopo Mediolanensi coram Imp. Alexio Comneno de Processione Spiritus Sancti disputatum est: contra hunc Proculanum Græci complures scripserunt: Joan. Furnus Monachus, Nicol. Methonens. Jo. Gani Hegumenus, Eustratius. Eodem seculo exeunte & postea vixerunt Theod. Balsamo, Nicol. Hidrutinus, Demetrius Tornicius, Nicetas Maroniæ, postea Archiepisc. Thessalonic. Seculo decimo tertio medio editus est Constantinop. tractatus in ædibus F. F. Prædicatorum, ex Biblioth. Bavarica â P. Stevartio primum protractus, & postea bibliothecæ PP. magnæ ed. Col. insertus, in quo legitur: *Græcorum Ecclesiam*

innu-

innumeris & diversis errorum obfuscatam turbinibus in qua infinita hæresium germina â tempore Photii pullulaverint, præcipue tamen in quatuor articulis deviare ab Ecclesia Romana. Quorum primus, qui ab ipsâ Divina Majestate inchoans ore polluto affirmet contra opinionem, immo fidem catholicam; tertiam personam in Trinitate, id est Spiritum S. â Filio minime procedere, vel spirari aut existentiam habere. Sequuntur ibi rationes & exceptiones Græcorum quibus argumenta Latinorum, qualia profert Allatius, dudum evertere studuerunt, unà cum assertionibus Catholicæ veritatis; unde & auctor tractatus concludit; *Græcos salvari non posse, seq. eosdem tanquam hæreticos â Catholica Ecclesia abjicere, & vitare, maledicere, & reprobare.* p. 561. Eadem ætate contra Latinos de processione Spir. S. scripsit Germanus Patriarcha Constantinop. pulsusq; est sede sua Joannes Veccus Latini dogmatis defensor. Seculum insequens tulit Barlaamum monachum, qui etiam conatus est sententiam Latinorum evertere: idem egerunt Nilus Cabasila, Nicol. Cabasila, Nilus Damyla, Macarius Macres. Continuarunt alii has disceptationes usque ad Concilium Florentinum, nec post celebratum illud Concilium quieverunt, sed bellum Chartaceum gesserunt, ad nostra usque tempora: sicuti hæc omnia ex ipso Consensus Auctore à pag. 627. ad 662. 703. seqq. 712. 825. 841. 854. 858. ad 874. 886. 890. 908. 915. seqq. 938. 997. seq. notari possunt: in quibus sane paginis maximus recensetur numerus scriptorum, Patriarcharum, Episcoporum, etiam Imperatorum, qui acriter dogma Occidentalium insectati fuerunt, & animos auditorum & subditorum â Romanis alienissimos reddiderunt. Superiori seculo Stephanus Gerlachius, Legati Imperatorii Concionator, Patriarchæ notissimus, & Græcis quàm plurimis familiaris ex ore ipsorum id habet, quod â Patre solo Spiritum Sanctum procedere statuant: paria scripsit ipse Jeremias Patriarcha Constantinopolitanus ad Tubingenses. Seculo hoc fluente Cyrillus Alexandrinus Patriarcha eundem in modum Ecclesiæ suæ mentem declaravit: Parthenius vero Patriarcha in Synodo ante annos 23. demum coacta sancivit, præter Ecclesiæ Cathol. mentem processionem ex Patre Filioq; â Cyril. Lucari assertam esse: Consentit hisce Metroph. Critop. Hieromonachus, & Protosyngelus Patriarchæ Const. Posteaq; Patriarcha Alexandrin. recentissimus

scriptor, qui ante 40. annos magnam Germaniæ partem peragravit, imprimis verò cum Professoribus Altorphinis, Tubingensib⁹, Argentoratensibus & Helmstadiensibus, familiariter, magnaq; cum probitatis & eruditionis opinione, vixit, quod ex epp. Cll. Vv. Dinneri JCti, & Berneggeri, epistolis Richterianis subjunctis, p. 640. 729. 826. videre licet: & Helmstadiensibus quidem confessionem Ecclesiæ Orient. â se consignatam dedicavit, cujus editionem Cl. Jo. Hornejo debemus: hic ergo Metrophanes dogmatum Græcanicorum etiam inter nostrates vivens tenacissimus, ne suspectum habere possis virum, quasi in gratiam Lutheranorum, vel odium Papistorum pede non recto incesserit, multis probare intendit, Spiritum S. â solo Patre procedere, neque â Filio simul suam hypostasin habere posse, nisi duo Spiritus S. principia duasve causas statuere velimus: his non contentus quatuor præcipua Latinorum & Orthodoxorum argumenta destruere nititur, c. 1. de Doctr. Eccles. Hæc cùm sit longe certissima, Allatius tamen spretis Imperatoribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Doctoribus Ecclesiæ Græcæ, orbi erudito sua somnia obtrudere conatur. Concedit in cap. contr. Hott. p. 326. in Synaxario Xanthop. haberi in Triodio, spiritum esse ex solo Patre. Sed respondet: *Xanthopulum esse Schismaticum, cujus Synaxaria in Ecclesiis publice non legantur, incertum etiam esse an illa additio Xanthopuli sit, cum in nonnullis editionibus non contineatur, nesciriique, â quo facta sit.* Hoc est coccysmum repetere, nude asserere, hariolari.

§. 5. Potestne vero clarius aliquid Synodo Partheniana afferri? hoc tamen obscurare studet Leo. *Dicit primo Parthenii synodus, cum universalis non sit, fidem parvam, aut nullam apud Græcos meretur, nisi in quibus cum aliis Patribus, & Conciliis concordat. Et Parthenius unus est, non præferendus tot aliis.* Sine dubio ex præcipiti nimis confidentia omnes adversarios suos pro fungis habet Allatius, adeo sine ratione ipsos repellere cupit. Ita certe facillimo pacto obtinere potest suum consensum, hunc in modum respondendo; hi & isti schismatici sunt, sunt furiosi, asini sunt; at Patriarchæ & Episcopi idem docent? Sed iisdem elogiis mactandi. At synodice id decrevit Patriarcha? hic cum clementius agere cupit, respondet, Parthenius unus est, synodus non

fuit

fuit universalis. Quid responderes mihi, si dicerem de Conciliabulis Romanorum, Romanus Pontifex unus est? sed, exciperes, est caput Ecclesiæ, eandemq; repræsentat. Concilium Tridentinum non fuit universale, ex grege quippe Latinorum tantum conflatum. quæ tu hîc responderes, respondebunt Tibi Græci tui de sua synodo, de suo Patriarcha. Quid quæso diceres, si pari modo synodum â Calixto Patriarcha contra Barlaamum coactam, â te adversus me in aciem eductam, eludere vellem, dicendo: Calixti synodus, cum universalis non sit, fidem parvam, aut nullam apud Græcos meretur, nisi in quibus cum aliis Patribus & Conciliis concordat. Et Calixtus unus est, non præferendus tot aliis. Dic mihi quid intelligis per Synodum Universalem? sine dubio eam, quæ auctoritate Papæ congregatur, hinc tui Calixti synodus perinde atque Parthenii non erit universalis. Unde habes synodum Parthenii fidem nullam in hoc capite apud Græcos meruisse! ostende tu contrariam sanctionem. Hæc sufficere possent homini non præfracto. Sed quis cohibere cursum, quis sinum contrahere potest? quis mucroni, pro veritate historica ferire cupienti, non indulgeat? Unus est Parthenius? subscriptio aliud dicit, nimirum: *Parthenius misericordia Dei Archiepiscopus Constantinopoleos novæ Romæ, & œcumenicus Patriarcha. Synodice huic epistolæ sanctissimi Patris & Pastoris nostri, Patriarchæ Constantinopolitani, consentiens in omnibus ego Petrus Magilas, humilis Archiepiscopus Metropolitanus Ciobi, & Haliciæ, & omnis Russiæ, Exarchus sancti Apostolici throni Constantinopoleos Archimandrita Lauræ Pietzarii, subscribo propria manu, tum meo nomine, tum nomine omnis Ecclesiæ Christianæ, Orthodoxæ & Catholicæ, quæ est in Russia minore. Athanasius Pusinas, Episcopus Luceorii & Hostrogii; Arsenius Zeliborscius, Episcopus Leopoleos Haliciæ, & Caminiciæ Polodiæ. Sylvester Vlebitzius Bœutinscius, Episcopus Premislai & Samborii. Sylvester Cossophus, Episcopus Msteslaviæ, Orsiæ & Mogilaviæ. Joannicius, Heracleæ. Gregorius, Larissæ. Pachomius, Chalcedonis. Daniel, Serrarum, Curatores Synodi. Anthymus, Cyzici. Gerasimus, Philipporum. Jeremias, Chii. Porphyrius, Nicæa. Chrysanthus, Prusæ. Sophronius, Bidynæ. Gabriel, Philoppoleos, Ignatius, Lemni. Barlaam Metropolitanus Sotzavæ & omnis Moldaviæ, & Exarchus Plagenarum. Eulogius, Episcopus Romani. Anastasius, Episcopus Rhadautzii, Geor-*

gius, Episcopus Chusii. Sophronius Hieromonachus, & Præfectus Monasterii trium Præsulum, quod est Jasii Moldaviæ. Meletius Syrigus, Hieromonachus, Prædicatur Evangelii. Philotheus, magnus Archimandrita magnæ Ecclesiæ. Lascaris, magnus Logotheta magnæ Ecclesiæ. Christodulus, sacerdos, magnus œconomus magnæ Ecclesiæ. Theologus, Sacerdos, magnus Sacellarius magnæ Ecclesiæ. Eustathius, sacerdos, magnus Chartophylax magnæ Ecclesiæ. Daniel, magnus Ecclesiarcha magnæ Ecclesiæ. Parascevas, sacerdos, Nomophylax magnæ Ecclesiæ. Georgius, minor Sacellarius magnæ Ecclesiæ. Thomas, Protecdicus magnæ Ecclesiæ. Philippus, Protonotarius magnæ Ecclesiæ. Philippus, magnus Primicerius magnæ Ecclesiæ. Rhales, magnus interpres magnæ Ecclesiæ. Nicolaus, Logotheta magnæ Ecclesiæ. Constantinus, Protapostolarius magnæ Ecclesiæ. Chrysosculus, Logotheta ærarii generalis. Demetrius, Notarius magnæ Ecclesiæ. Estne Parthenius unus? non; sed totus aliquis globus, Suntne hi Ecclesia Orientalis? Ita Allatius ipse vocat, dum ait: *Impostores infamissimos, Calvinistas, auctoritatem Ecclesiæ ementiri*, item; *Ecclesiam Græcam in Synodali decreto Calvinistis esse contrariam, hosq; Episcopos & Clericos vicies vocat Orientales, & interdum Ecclesiam Orientalem.* Hi autem inter alia Calvinistarum dogmata, in Cyrillo hoc quoque statim â principio damnant, quod Spiritum Sanctum â Filio dixerit procedere: *Parthenius misericordia DEI Archiepiscopus Constantinopoleως, Novæ Romæ, & œcomenicus Patriarcha, Præsidente Synodicè mediocritate nostra, assidenti ipsi sanctissimis Episcopis, & honoratissimis dilectis in Spiritu Sancto Fratribus & comministris, nec non spectatissimis Clericis magnæ Christi Ecclesiæ, quæ apud nos est; producta sunt in medium capitula quædam, inscripta nomine decessoris nostri, Patriarchæ senis Domini Cyrilli: de quibus quæsitum est, eane oporteret ut pia reputare, & amplecti, an vero ut ab Orientali nostra & Apostolica Christi Ecclesia, longe aliena rejicere. Quare universa hæc sacra synodus horum singulis diligenter examinatis, & investigata eorum, quæ scripta erant, sententia, censuit hæc omnia (præter septimum) Calvinicam hæresin profiteri, & â Catholica Orientalium religione longissimè discrepare.* Εν μὲν γὰρ τῷ πρώτῳ, τὴν ἀΐδιον & ὑπαρκτικὴν & ἁγίου πνεύματος πρόοδον, ἐκ πατρὸς καὶ υἱοῦ ὑπολάβησι, ὅπερ γνώμης τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747224897/phys_0094
DFG

κλησίας. *In primo enim æternam & substantivam Spiritus Sancti processionem ex Patre Filioque constituit, præter Catholicæ Ecclesiæ mentem.* Ergo Romana Ecclesia non est Catholica, quia hic Calvinianis consentit. Si Parthenius quando contra Calvinistas loquitur, non est unus homo, etiam contra Papistas non unus erit testis. Si Parthenii & sociorum dogmata reliqua, Calvinistis adversa pro dogmatibus Orientalium, sive Ecclesiæ Orientalis accipiuntur ab Allatio, cur hoc unicum dogma, quod in frontispicio collocatur quodque eidem subjacet damnationi, non imputaretur toti Ecclesiæ Orientali? Excipis contra Hottinger. *Quisquis dicit, Ecclesiam Græcam id credere, non loquitur de Ecclesia Græca, quæ nulla est; sed intelligit confluem & colluviem Schismaticorum, quæ vera Ecclesia non est. Vt si quis diceret Ecclesiam Lutheranam & Calvinisticam, næ illi de Ecclesia vera sermo non esset, sed de vulgo hæreticorum, & purgamentorum receptaculo.* Bona verba conviciatori sunt in nostra Ecclesia Reges, Principes, Magistratus pii, homines vitæ integerrimæ, quos nemo nisi Spiritus Anti-Paulinus ita vocaverit: tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus omnium perípsoma usque adhuc, 1. Cor. 4. 13. colluviem omnium hæresium in Papatu nos certius ostendere possumus, & ostendit solidissime noster D. Nicol. Hunnius in Apostasia Ecclesiæ Romanæ. Sed si Ecclesia Græca, quæ hoc credit nulla est, quomodo tu ad eam provocas; nisi dicas, tum Ecclesia Græca est nulla, quando contra Pontificios; est aliqua, quando cum illis sentit, sed hoc homines bene sani dicent esse φλυαρεῖν. Sed quæso ostende mihi tandem aliquando Ecclesiam tuam Græcam, eorumq; dogmata, tibi perpetuò ὁμόψηφα. Ex tua opinione neque Patriarchæ, neq; Episcopi, neq Doctores, neq; auditores eam constituunt, quinam E.? imprudens fabricaris tibi Ecclesiam invisibilem: ex istis enim Ecclesia visibilis aliâs constituitur.

§. 6. Dicis. c. 3. de purgat. *Solemne est hoc Græcis, singularium hominum, & si dignitate præfulgeant, etiam Patriarchali, nisi synodali calculo, & votis reliquorum Patriarcharum constabiliantur, inter alia dogmata non admittere. Clamet Constantinopolitanus, perstrepat Alexandrinus, tumultus concitet Antiochenus, reclamet Hierosolymitanus, deridiculo sunt Græcorum Ecclesiæ, si in unum non omnes conveniunt,*

dicta q.

dictaq; eorum cum Patrum dictis & Ecclesiæ traditionibus non concordant. Ecclesia itaque Græcorum sive Græci, cum absolute profertur, non fuerit neque unus neque duo neque tres, neque etiam multo plures; Sed omnes simul conjunctim, & in eadem sententia concordes, quam vel synodus apud ipsos generalis enunciavit, vel communi calculo ab eisdem recepta est. Inconsiderate alicubi de viro summæ doctrinæ & judicii maximi, Johan. Henr. Bœclero scripsisti: liceat per me Bœclero omnia inconsiderate effutire: liceat etiam igitur per me Leoni omnia inconsiderate, non tamen impune effutire. Unde probatur, quatuor Patriarchas de ridiculo haberi, si eorum dicta cum traditionibus, Pontificiis scil. non concordant? Georgius quidam Scholarius, homo Pontificius, in Synodo Florentina dixit, nihil deterius esse, quam unum hominem obluctari velle Synodo œcumenicæ. Joannes Imp. in eadem synodo decrevit: homines quidem singulares errare posse, sed non universam Ecclesiam. Hæcne probant quator Patriarchas primatum Pontificis & alia Papistarum dogmata impugnantes deridiculo esse? hi sane omnes in illis capitibus, ex quibus nos dissensum arguimus, unanimiter conveniunt; ostende enim sedes, ubi & quando hi ad deprædicandam omnipotentiam, & impeccabilitatem Papæ, ad stabiliendam processionem ex Filio convenerint? quis Jeremiam Patriarcham, quis Meletium refutavit? quis eorum dicta deridiculo habuit? Recte igitur & firmiter nos, contra te concludimus: Ipsi Imperatores, Patriarchæ Archiepiscopi, Metropolitani, Episcopi, Doctores Græci per aliquot secula dogmata quædam Latinorum primaria impugnarunt, & si in aliis omnibus consensissent, fundamentum tamen credulitatis Papisticæ, primatum subruerunt, E. ab illis dissenserunt. Stolidum autem est petere, ut ad ostendendum vel dissensum, vel consensum, omnes simul conjunctim in aciem educantur. Quid tu, Gretsere, putas esse respondendum? scilicet; *quando Patriarchæ, Imperator, vel Legati Imperatoris, plerique Episcopi, qui Concilio interfunt; uno verbo, quando præcipua capita assentiuntur,* (dissentiunt) *tum dici nequibit, Græcos Latinis assentiri* (contrariari) *vel assensos esse; sed expectandum erit, donec omnium capitonum duritiesemolliatur ac pervincatur.* Sic Gretser. P. 2. defens. Bellarm. p. 83. de concilii Florent. auctoritate & unione ibidem Græcorum peracta loquens.

A Pa-

A Patriarchis & Episcopis ortum semper habuit schisma, conservationem ac reincidentiam, quos tanquam Pastores sequuntur oviculæ Græcorum, inquit Thomas â Jesu p. 292. ex mente gravissimi alicujus Rutheni. Hinc certe præter Allat. & paucos supparasitantes, nemo erit in toto orbe, qui dicat, Eccl. Græcam nihilominus cum Latina consentire. Si enim & Pastores & oves dissentiunt, nullibi Ecclesiam consentientem conspicere possum. Verum Allat. quos modo despectui habet, alibi, §. 44. ep. ad Boin. quatuor Patriarch. auctoritate nititur: *Quatuor Orientalis Ecclesiæ Patriarchæ, Constantinop. Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymit. & reliquæ aliæ illius Ecclesiæ soboles, unanimiter simul docent & servant, quæ prænarravimus, violatoresq; & pœnis & excommunicationib⁹ arcent, & velut putrida membra abscindũt. Et, si libris fidem non adhibent, & Leonis dictis fidem abrogãt, in tanto religionis negotio, cur non ipsam Ecclesiam per legatos invisunt, illiusq; consuetudines & ritus observant?* nomina illos, qui â Patriarch. per excomunicationem abscissi fuerint propterea, quod primatum, processionem â Filio, purgatorium aliaq; impugnarũt? Tot Patriarch. nomina in scripto nostro extant, sed qui te omnes falsitatis arguunt. Papa per aliquot sæcula tot in Græciam misit Legatos; alii plures, Pontificii, Lutherani, Calvin. loca illa invisserunt, cum Patriarchis sermones miscuerunt, & familiaritatem epistolico comercio continuarunt, in dogmatibus tamen, & ritibus diversitatem imanem, quem hic tractatus clarissime præter oculos ponit, observarunt. Dum verò judicas, tum demum Græcorum Ecclesiæ aliquid tribui posse, cum omnes simul conjunctim, & in eadem sententia concordes, quam vel Synodus apud ipsos generalis enunciavit, vel communi calculo ab eisdem recepta, dogma quodpiam profitentur, eo ipso consensum tuum funditus & radicitus destruis. Integri exercitus Græcorum, quos perpetuo profligare conaris, contra te militant & vociferantur, falsum est, omnes simul conjunctim Græcos, primatum Papæ &c. agnoscere, quinimo in Ecclesiis Patriarchalibus omnibus, & quæ eorum sunt soboles, communi calculo receptum est, Constantinopolit. esse tecumenicum Patriarcham, etsic de cæteris quæstionib. Vanum & insulsum præterea est, velle ulla in re omnes simul conjunctim & in ead. sententia concordes reperire, quod ne in Conciliabulo quidem Tridentino

paucorum oppido hominum obtineri potuit. Insuper, synodice â Parthenio & omnibus simul conjunctim, & in eadem sententia concordibus Episcopis, & Clericis decretum fuit, Spiritum S. â Filio non procedere, habemus E. ipsius Ecclesiæ Græcæ dogma. Dare igitur nobis cogitur Allatius, Patriarchas, Episcopos, Doctores Græcorum eorumq; Auditores.

§. 7. Sed ipse, ut frequenter jactat, habet Rituales libros, quos tanquam ægida Minervæ, vel caput Medusæ obvertit. *Si cæci non sunt*, (hæretici) dicit §. 44. ep. ad Boin. *Græcorum Rituales libros*, Menæa, *Triodia, Pentecostaria, Paracleticas, Euchologia, sibi comparent, examinent: illis perlectis multo melius quæ modo in Græcia fiant, quam illic ubi fiunt assiduo, discent.* At enimvero ad hæc nos minime obrigescimus. Libet itetum aliqu'd quærere, an Ecclesia in libris Ritualibus consistat, vel an in libris Ecclesia possit conservari, licet Doctores sensum librorum aliter & perverse exponant? Exacte summus vir Herm. Conringius: *Enim vero non in Ecclesia minus quam in omni civili societate glisciente jam tum magnarum rerum mutatione, manent tamen nomina prisca, immo sæpe illa integra superant, dudum jam obliteratis perditisq; primis verisq; eorum significationibus. Sic Tacitus observat, Romæ Augusto Cæsare eadem Magistratuum vocabula, at verso civitatis statu nihil unquam prisci & integri moris superfuisse. In Romana Ecclesia idem accidisse, usq; adeo est notum, ut æquiores quiq; ac prudentiores id disserte fateantur.* Antiquitatis Ecclesiasticæ ruspator diligentissimus Gabriel Alba Spinæus, Aurelianensis Episcopus lib. 1. observ. 1 locuples hic potest esse testis: *Ex ignorantia*, inquit, *pristinorum institutorum magni consecuti sunt errores: nam si forte mentio priscarum rerum, incidat, eas non uti fuere, sed quales hodie ante oculos nostros versantur, concipimus, atque de iis disserimus. Animus enim se à consuetudine rerum, quas videt, quas cernit, quibus utitur, non patitur abduci, neque potest mente complecti, earum quarum nomen usq; adhuc permansit, vim quoque & naturam non permansisse.* In progressu deinceps ostendit, multa hodie in Papatu retineri nomina antiqua, rebus ipsius prorsus abolitis, aut valde immutatis. Nicol. Rigaltius, summæ & dignitatis & eruditionis vir in Gallia, & religioni Pontificiæ addictus, non minus reprehendit suos, qui ex Antiquis monumentis

mentis mores & consuetudines hodiernæ Ecclesiæ Romanæ vetustis illis moribus componere velint. Sic autem ipse in observ. Galeata & Catholica ad S. Cyprianum, de sua Tertulliani, & Cypriani editione differit: *Ambo diligentissimi rerum Dominicarum procuratores hoc seculo redeunt in Ecclesiam, cum suo quidem ipsi pristino cultu, quid adhuc illa Christiani sapiat, exploraturi. Et obtulit sese prior Tertullianus, sed quotusquisque hominis Africani severitatem nativa grandiloquentia nixam sustinuit? Tolle tuum, inquiunt, Derophagum, & cum tota Pallii tui morositate reporta Carthaginem. Hæc si pone Magistrum Cyprianus auscultat: quid non metuat explosо Præceptore discipulus, qui Romam appellationis ergo navigantes pati non potuit; quem Romanus sub Antichristi nomine proscripsit? Viderit Pamelius, qui scriptoris utriusque tempora, sequentib. ita composuit, ut cum maxime dissentiant, tum maxime inter se convenire præsancte juret.* Quod etiam in suo paradoxo facit Allatius. *Hoc certe liceat scripta priscorum legentibus observare, quid illi fecerint, dixerintq;, unde posteriora probentur fuisse certiora prioribus, & hodierna sentiamus esse commodiora pristinis.* Quos ex suis pungat Vir Magnus, tum aliunde nobis, tum ex Labbeo constat, qui in diss. ad Bellarm. antidotum cont. Rigaltiana petere jubet ex Pamelio, homine tot fraudum & mendaciorum à Rigaltio irrefragabiliter convicto. Atque hæc eum in finem, ut ostendatur, quam inconsulte Romani, & inter illos Allatius ad ritus & formulas priscorum confugiant. Inauditum porro & perquam ridiculum est, controversiarum, quæ eruditos in his & illis castris exercent, decisionem ex solis libris Ecclesiasticis velle petere: annon ineptus, & explodendus foret is, qui Lutheranorum, Calvinianorum, & Pontificiorum controversias ex libris tantum Ritualibus dijudicare vellet? an enim in Breviariis & Missalibus vestris, an in Ritualibus, vel Agendis Ecclesiasticis nostratium id agitur, ut vel consensus, vel dissensus circa capita controversa, tantaq; animorum & virium contentione ultra sæculum agitata & roborata, ex iis & quidem solis, rejectis omnibus ab Ecclesia approbatis Doctoribus, eruatur? Euge quam facili methodo alius quidam paradoxologus ex symbolo Apostolico & Agendis nostris perpetuum Ecclesiarum Germanicarum & Septentrionalium cum Romana consensum effingere poterit? Verum nunc

porro Rituales libros ipsos paululum inspiciamus, unde patebit, auctoritatem eorum satis quidem magnam, tantam vero non esse, quantam ipsis in hoc negotio tribuit Allatius; sunt enim corruptissimi castrationi Pontificiorum & Græculorum, nec minus immutationibus variis obnoxii, hæresiumq; refertissimi. Pet. Arcudius lib. 2. de concord. c. 18. fine, maxime optat, *ut æque Rituale Græcum, atque cæteri libri Ecclesiastici Doctissimorum virorum, piorumve censura castigati, & in Latinum conversi, beneficio alicujus Principis, quam emendatissimi in lucem Græco-Latinè prodirent. Sunt in iis non pauca, potissimum vetera, adeo excelsa, atque magnifica, ut maximam inanimis legentium admirationem efficere, ac pietatem excitare facile valeant. At vero, ut modo sese res habent, ut omittam cætera, hæreticum plane, minimeq; ferendum continent errorem, quæ in Euchologio typis excuso traduntur, circa hanc ceremoniam de forma confirmationis recitanda.* De corruptione accinit Selden. in Uxore Ebraica lib. 2. c. 24. f. *utinam vero, aut P. Arcudius ipse, aut quis alius, Græcorum Euchologium illud (ex monasterio Cryptæ Ferr.) aliquoties ab isto citatum, in lucem edidisset, aut editiones quibus utimur, inde emendasset, quæ sane, cum & complures sint, & subinde accurationis promissa in fronte gerant, sunt nihilominus omnes quotquot vidi usque ad portentum depravatissimæ.* Jam si complures Pontificii, & inter hos tuus Abrah. Ecchellensis, auctoritati codicis Hebraici propterea detrahunt, noluntq; controversias ad eum examinari, quia in leviusculis quibusdam de corruptione ipsis est suspectus; quanto magis auctoritatem Ritual. nobis subterfugere liceret. Et quamvis Goar multum insudarit emendationi Euchol. illud tamen adhuc suos habet nævos. Laboraverunt in codicis Hebræi puritate custodienda & defendenda innumeri Doctiss. homines, etiam Pontificii quidam, nec tamen Ecchellensis â sua discedit sententia. Quam parum verò aliâs Ritual. in genere omnibus ipse Refutator tribuat, docere nos potest §. 16. c. 13. lib. 3. de P.C. *Quot & quam varia Græci posteriores libris suis Ecclesiasticis addiderunt? annon illi hisce additionibus in aliam faciem versi sunt? ut de antiquioribus sileam; quam auctoritate recentiores priscis eorum Ritualibus addunt, ab eisq; demunt, quæ lubet? pudet dicere; sed tamen dicam.* Typographi Veneti, & Correctores ê foro vulgi, rerum omnium ignavi, fastu tamen arrogantiaq;

tiaq; elati, pro arbitrio, dum corrigunt, omnia immutant, posteaq; tanquam Ecclesiæ Orientalis firma decreta, quibus sciolis imponunt, divenditant. Quid in iis despurcandis non est ausus Protopapa Nauplii, Nicolaus Malaxus Peloponesius! Troparia, canones, integra officia â se composita, licet male compta, cum aliis antiquorum edidit. Synaxaria Xanthopuli, damnata alias â Græcis, explosa ab Ecclesia, de novo in in iisdem libris assuta sunt. Et Græci vident & sustinent, &, quod pejus est, in Ecclesia recitant! Attendamus nunc in specie, quid Menæa ab Allatio commendata ad controversias nostras conferre valeant? prorsus nihil. Menæum est liber duodecim voluminibus comprehensus: menses singuli singula explent volumina, singulis diebus unius vel plurium Sanctorum officium, quorum solemnitas eo die celebratur, digeritur. Habetur & in illis rerum â Sanctis gestarum succincta narratio, hæc tua est Menæi descriptio in diss. 1. de libb. Eccles. Græc. p. 78. An igitur jubes nos controversias quoq; ex officiis, quæ Ecclesia Romana in laudes variorum SS. recitat, addiscere? anne in posterum ex vitis SS. à Surio, Bollando, Henschenio consarcinatis potius, quàm ex Bellarm. Vasquezio, Suarezio, Becano dogmata Romanens. proponenda erunt? Accedamus ad Triodia. *Liber Græcorum Ecclesiasticus nomine Triodium plures & varios habuit auctores, quorum sequiores affectibus propriis distracti, sæpe etiam odio in Romanam Ecclesiam, multa quæ â veritate aberrant, intruserunt; antiqua ferè omnia plana sunt, nihil in se continent, quod pias aures offendat; recentia multis scatent erroribus, & subdole sæpius in Romanam Ecclesiam garriunt, multas, etiam hæresewn labes lectionibus inspergunt. Quibus abscissis liber nitori suo pristino restitutus, nulla purgatione indigebit.* Octo autem capita adnotavit Allatius *digna, quæ expurgentur, tanquam hæretica & erronea:* inter illa octo capita eminet error numero quintus, *quem si multorum errorum quasi in unum congeriem dixeris, verum dices. Est enim veluti fœcunda mater errorum multijuga sobole fœdissimus, ut hæresewn potius protestatio, quam rectæ fidei dicenda sit;* continet autem hic unicus error *novam in se alios errores, quin & plura in hoc Synodico notare potuisset Allatius: quia tamen omnia eo respiciunt, ut illius Ecclesiæ fautores contra Romanam Ecclesiam tanquam viri probi & orthodoxi, omnibus CHRISTI*

fide-

fidelibus & laudandi & imitandi proponantur, non est in illis recensendis diutius immorandum. Quæ omnia non mea, sed Allatii dicto libro verba sunt, p.113. 114. 115. 143. 193. Ex ex hoc libro audet Allatius perpetuum consensum probare. Unum adhuc dic mihi Allati, abscissane jam sunt ex voto tuo illa omnia â Patriarchis Græcis? non affirmabis opinor, E. cum publice in hodiernum adhuc diem istiusmodi formulæ publicè recitentur, ipsemet jam perspicere potes, nisi totus cœcus es, te eventu pessimo Triodium in subsidium evocasse. Quid vero de Pentecostariis dicemus? non alia ex eadem Allatii dissertatione. *Pentecostarii varii fuerunt auctores; antiqui sua vetustate & modestia venerandi: recentiores ex Schismate, audacia, atque omnia attentandi libidine, contemnendi. Homines vilissimi sunt, nulla scientiarum laude, nulla auctoritate, nulla dignitate conspicui, qui ex arbitrio officia Ecclesiæ moderantur, addunt, subtrahunt, mutant, de novo consarcinant, quidquid illis videtur. Doceant recentiores isti quonam Synodali decreto id agant. Quod si docere non possunt, cum non habeant, cessent simplicibus imponere, cessent innocuis fidelibus fucum facere, cessent propria & spuria inter vera & tot jam annis comprobata SS. Scripta, & preces Ecclesiasticas inserere. Servent sibi dicta PP. â maculis innoxia, servent posteris. Nihil detrahant, nihil addant, nihil immutent in rebus Ecclesiasticis, sine ipsius Ecclesiæ consensu.* p.229. 234. seqq. in quibus V. errores configuntur in hoc libro comprehensi. Esto, sint nullo decore conspicui correctores, recitantur tamen hæc omnia. Sed heus, Nicephorus Callistus, Xantopulus Patriarcha Constantinopolitanus, & Nicol. Malaxus Archipresbyter Nauplii, nullane dignitate sunt conspicui? Patriarchatus E. & Archipresbyteratus nullæ sunt dignitates? hos enim duos inter præcipuos nominas, qui PP. monumenta novis suis deliramentis in Pentecostario insperserint. An quia tu ita vis & jubes jam cessarunt hæc recitare? immo ex pag. 230. clamabunt, si vobis Latinis ad Symbolum aliquid addere licuit, cur nobis non liceat *ex bonis libris* Pentecostariis aliqua addere? *Neq; fortunatius accidit Paracletico*, ait p. 283. *qui est tertius liber â nobis examinandus*; in quo itidem invenit, *quod expurgaret*, quamvis & nonnulla defendat contra alios Pontificios, quos dicit *satis calumniose multa nimis in hoc libro reprehendere.* Inter Græcorum libros

Eccle-

Ecclesiasticos etiam refertur Typicum, in quo â primo die anni singulis diebus quid inter Missarum solemnia, quid ad vesperas, quid ad horas, quid ad matutinum, quid denique ad reliqua divina officia recitandum, quid psallendum, aut legendum sit, quibus diebus jejunandum, quibus & quomodo solvendum jejunium, verbis clarissimis, ac facillima methodo, præscribitur. Varios hic liber perinde ac priores habuit auctores, variasq; passus est mutationes, ut Allatius p. 12. cum aliquid ex eo citasset, exclamet: *Sed utinam liceret nobis ex primis illis fontibus tanquam integrioribus & purioribus, divino Christi servitio incumbere. Nè illis superseminata ab homine nequam Zizania dignoscceremus.* Supperent plura de libris Ecclesiasticis Græcorum, nisi hæc pervicacissimum etiam hominem pervincere posse nobis persuasum esset. Arobstrepit Allatius pag. 90. *Operæ pretium fuerit noxia eradi; digna enim sunt animadversione Ecclesiastica, p. 93. & quæ tanquam hæretica & erronea expurgentur p. 313. & omnino tollantur. p. 136. expungãtur. p. 282. 299. 308. nam abscissis istis, libri pristino nitori restituti, nulla purgatione indigebunt.* Quis hîc petulantiam splenis cohibere poterit? sic resectis & amputatis ex libris Protestantium iis rebus omnibus, quæ Ecclesiam Romanam hæreseωn multarum convincunt, & tum scripta protestantium nulla amplius purgatione indigebunt, atque sic perpetuum ebuccinabunt consensum. Quam verò ab istiusmodi editoribus fidem expectare debeamus, hinc discere est. Scriptores namque, & libros nobis dant, non uti ipsimet loquuntur, sed uti ad præscriptum Indicis expurgatorii loqui coguntur, magno cum veritatis & germanitatis detrimento. Illud vero miror, quî Allatius Ant. Arcudium νέον ἀνθολόγιον novum florilegium, h. e. divinorum officiorum breviarium, jubente Cardinali Sanctorio, Nationis Græcorum Protectore, A. 1598. Romæ edentem reprehendere ausit propterea, quod *vetera immutarit, integra obtruncarit, perfecta immiserit, & de suo addiderit incompta atque insulsa, neque cum Græcis communia, indeq; stomachum sapientibus moverit, & opus alias laudabile dehonestarit.* p. 104. Cum tamen ipse ex Anthologio noxia eradi cupiat p. 90. & alibi sæpius similia mandet. Videtur autem non tam erasionem & additionem ipsam, quam artificii in eradendo & addendo imperitiam in A. Arcudio culpare. Et hæc prolixi-

lixiore quidem, lectori tamen forsan minime ingrata digressione de auctoritate librorum Ritualium cum Leone semel disceptare voluimus: in ipso interim tractatu nostro inveniet idem curiosus lector non pauca ex Euchol. Goarino, & aliis libris Ecclesiasticis petita, quæ causam Allatii penitus pessundant: qui nunc prostratus jacet cum clavo Herculis, Ajacis clypeo, & argumentis Achilleis. Rogo itaque te Allati, ut palinodiam canas, & Stesichorum imiteris, præsertim vero expungas illud, §. 11. ep. ad Boin. *Lege Græcorum Synodos omnes, post schisma celebratas, & adversus de novo exortas hæreses coactas: nulla ibi de dogmate hoc Latinorum mentio, nulla damnatio est.*

§. 8. Et hæc de dogmate, quid de additione? non alia. Ita enim omnes Pontificii, quotquot ante paradoxologiam Allatianam scripserunt. Ita plurimi ex ipsis, qui hac ætate scribunt. Ita Gregorius Protosyncellus, Pontificiarum partium studiosus contra Marcum Ephesium. ὅτι μὲν τὴν αἰτίαν τοῦ σχίσματος ἐκεῖνοι δεδώκασι, διὰ τῆς ἐν τῷ συμβόλῳ προσθήκης δῆλον. *Certum est illud, Latinos dedisse causam schismatis per additamentum in Symbolo All.* P. C. 1. 1. 3. Cum Imperator Palæologus Constantin. conventu coacto, de modo & ratione cum Latinis disputandi quædam proposuisset, sententiamq; præsentes rogasset, Cantacuzenus verba fecit: *Mihi per commodum videtur, uti qui inter nostros constituatur, cum Latinis serram reciprocare, exponat, sed mansuete & peramanter, adjuncta etiam gratia præmediatæ eloquentiæ, & in eorum honorem, qua valeat solertia temperatæ, & dicat,* ὅτι τὸ αἴτιον τοῦ σχίσματος ἐγένετο ἀπὸ τῆς ἐν τῷ συμβόλῳ προσθέσεως. διορθωθήτω γοῦν τὰ περὶ τοῦτο καὶ οὕτω προχωρήσομεν καὶ εἰς τοὺς ἐφεξῆς λόγους, *primam labem unionis inter Ecclesias ruptæ, additamentum ad symbolum proseminasse: hoc unum tanquam fontem dissidii semel obstruant illi, & ad cœtera inter nos discrimina amputanda, sine obice facile progrediemur.* Allatius objicit, non simpliciter improbari additionem per Nilum Schismaticum, sed eo solum nomine, quod absque conventu Græcorum consentientium facta sit: id ego in exercitatione jam concêsseram scribens: *unicum hoc loco addendum, Græcos fortasse toleraturos fuisse hanc additionem, si communi Ecclesiæ Catholicæ judicio, non vero particularis alicujus Episcopi auctoritate illa fuisset facta.* Sunt enim aliqui ex Græcis, quibus

hæc

hæc additio, non esset invisa, modo non inconsultis Oriental. adjecta fuisset; alii vero, & major numerus, & dogma & additionem tanquam hæreticam pravitatem execrantur, uti hactenus vidimus: immo eos, qui ex Græcis veritatem fidei defenderunt, nimirum Veccum Patriarch. Constantinop. ipsum Georgium Metochitam, magnæ Ecclesiæ diaconum in carceres compegerunt, in quibus, ut ipse testaris p. 142. ep. ad Boin. misere vitam, horrido pane victitantes tolerarunt. Deliberatio de hac controversia memorabilis extat apud Sgurop. sect. 6. c. 12. ubi Imperator Græcus Ferrariæ jam degens ita infit: *Ecce nos jam tempus monet, ut DEO aspirante, synodales sessiones inceptemus: in quibus operæ pretium est scire, in quo primum cardine figamus vestigia, aut unde exordia rationum deducamus: nam illa quæstio penitius pensitata, in duos alveos abire videtur: primo an dogma ipsum de processione Spiritus Sancti, quod Romana Ecclesia profitetur, cum nostro Orientali consentiat, nec ne? Secundo de addita voce ad symbolum: an jure Romani hanc sibi libertatem vindicarint, aliquid pro libitu suo ad sacrum symbolum adjiciendi? & an ipsis licitum fuerit, etiamsi doctrina fuisset sana?* Disceptatum deinceps est, ab utro quæstionis membro sit incipiendum, ubi quælibet pars rationes non indoctas protulit.

§. 9. Quæ cum ita sint non est una Latinorum Græcorumq; sententia, nec consequenter consensus. Haud igitur insulse Allatio inculcantur; sed ipse insulse denuo inculcat illud, & ineptissime repetit: *differre in eo Græcos à Latinis, quod illi de Spir. S. dicunt, qui ex Patre procedit, Latini, qui ex Patre Filioq;, id cum Græci non negent, idem cum Latinis dicere existimandi sunt.* Ad instantiam nostram de Photin. respondet sine ullo sensu: *Non est par ratio de Photin. & Græcis &c.* In pauculis verbis multipliciter erratum est à sene. Dixeram, Photinianos sive Socin. in recitatione symboli Apostolici non negare Christum & Spiritum Sanctum esse æternum Deum, neque tamen existimandos esse idem nobiscum dicere. Allatius reponit, Photinianos non negasse Divinitatem Spiritus & Filii, sed contendisse eosdem non esse DEUM. Quid hæc ad rhombum ἀ γέρων? non quæro, quid vet. Photin. senserint, sed quid ex bella tua existimatione de hodiernis Photin. colligi possit. Præterea quid hoc monstri est, Photin. non negabant Divinit. Filii & Spiritus, sed contendebant eosdem non esse Deum? an igitur Divinitatem cum Patre

consubstantialem habere possunt Filius & Spiritus S. ut tamen non sint DEUS? Sed, quia instantiam de Photinianis non intellexisti, habeto aliam, quam nuper admodum in accuratissimo tractatu de processione Spiritus S. dedit Præceptor meus Venerandus D. Dannhawerus p. 50. *Perinde ac si dicas*, (adversus hanc tuam iteratam responsionem scribit) *Lutherani cum recitant Symbolum Apostolicum, non negant communionis sub una necessitatem decreto Papali introductam. E. hanc affirmant: vel, Papæi cum idem symbolum recitant non negant communionis sub utraq; necessitatem, E. eandem affirmant. Attendamus, inquis* §. 11. ep. ad Boin. *quid Ecclesia Græca post dicta Concilia profiteatur. Idipsum scil. quod & ante Concilia, Spiritum S. qui ex Patre procedit. Nec unus uliquis unquam est, qui vel privatim, vel publice aliquid in ea immutaverit, vel addiderit, vel detraxerit.* Inde ne habes consensum. Ecce tibi: quando Lutherani in Symbolo recitant: Credo unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam, nemo quisquam in eo aliquid mutavit, vel addidit, vel detraxit, Ergone in sensu de Ecclesia specifice Romana vobiscum consentimus? Aures cõmodemus Bellarmino t. 2. l. 3. de Laic. c. 19. Cassandrum refutanti: *dicet Cassander, sat est, quod omnes fateamur symbolum esse verum, & illud recipimus. Contra, primò, Symbolum unum est, & non in verbis sed in sensu est fides; non ergo habemus idem Symbolum si in Symboli explicatione dissentimus; præterea si sufficeret verba Symboli recipere, nulli ferè veterum hæreticorum jure damnati fuissent: Nam Ariani, Novatiani, Nestoriani, & alii ferè omnes verba Symboli Apostolici recipiebant, sed quia in sensu dissensio erat, ideo damnati & ab Ecclesia ejecti fuerunt.* Ex mente igitur Cardinalis doctissimi non sequitur; Ariani in Symbolo non negarunt deitatem Christi; Novatiani pœnitentiam in recitatione Symboli non negarunt; Nestoriani non negarunt personæ unitatem in Symbolo, Ergo idem nobiscum sensisse existimandi sunt. Quicunque igitur consensum inter Ecclesias demonstrare satagit, non nuda Symboli vel Apostolici, vel Niceni, vel alius cujusdam verba intueatur oportet, sed in sensum, expositionem & interpretationem â Præsulibus & Doctoribus Ecclesiarum publicis prolatam, & ab Auditoribus approbatam inquirere debet, secus si faxit, discrepantissimas in unum conflabit sententias, adeoq; declarabit,

Eccle-

Ecclesiam suam non esse unam, & ab aliis Schismaticis, hæreticisve diversam cœtibus, sed iisdem permixtam. Præbebimus aures Bellarmino adhuc semel vacivas, qui in append. libb. de Pontif. Rom. librum anonymum confutans, c. 5. ait: *Pergit libelli auctor, & Calvinianos hæreticos non esse ea ratione demonstrare aggreditur, quia hæreticus non est, qui Evangelio credit, quiq; nullum articulum Symboli Apostolici inficiatur. Sed hac responsione indicat, se nescire quidem quale sit Apostolicum symbolum, neque quid sit fides, aut hæresis, unquam didicisse. Disce igitur, non illos tantum esse hæreticos qui Evangelium aut Symbolum aperte rejiciunt, sed illos etiam qui in Evangelii & symboli interpretatione judicium ipsi suum Ecclesiæ judicio præferunt, alioqui enim neque Ariani, neque Macedoniani neque Nestoriani, neque Pelagiani, neque alii permulti hæretici erunt. Siquidem illi omnes Evangelium & Symbolum, quod attinet ad verba, recipiebant sed perperam tamen ut omnes hæretici faciunt, interpretabantur: Quid? nostra ætate, qui in Polonia & Hungaria duo primaria religionis Christianæ mysteria destruunt, personarum Divinarum Trinitatem, & incarnationem verbi DEI, nonne totum Evangelium, totumq; symbolum Apostolicum, præter cæteros homines tueri se, ac defendere profitentur? ita omnino? & tamen qui sunt hoc tempore magis hæretici?* Is ipse Bellarminus non ignoravit Græcos in Symbolo non negare processionem Spiritus S. ex Filio, veruntamen quia neque illud ignoravit, eos in symboli interpretatione deviare â sensu Catholico, aperte dicam ipsis hæreseos aliquotiens scripsit; aperte etiam agnovit, statuere Græcos processionem â solo Patre, quam exclusivam Patriarchæ, Episcopi, Doctores eorum non horrent. Verissimis Bellarmini effatis concinit Honoratus Fabri, is contra indifferentes hujus sæculi, statuentes unum quemq; in sua religione salvari posse, modo ea credat quæ explicite ad salutem sint necessaria, inq; Symbolo Apostolico contineantur, pertendit, adversarios Ecclesiæ Romanæ *non idem fidei Symbolum habere, utpote quod verbis & sensu constet: verba forte communia sunt, at sensus varius est; symbolum igitur varium.* p. 197. Idq; libro tertio sæpius inculcat, adeo ut si ratiocinationes Allatianæ salvæ sint, pereant necesse est responsiones Fabrianæ, quibus effugia Adiaphororum præcludun tur; sin vero Fabrianæ recto stent talo, collabentur Allatianæ. Utque

adhuc melius ineptitudinem argumentationis tuæ intelligas: audias modo tuæ religionis hominem doctissimum Jo. de Launay, qui hoc gegus argumentationis in adversario suo, dissertat. de vera causa secessus Brunonis in eremum p. 29. his verbis ridet: *sed audio, qui dicat, quanquam ridicule & omnino insulse, horrificam illam Doctoris anastasin, & impulsum inde in Carthusiam Sanctiss. Virum, â Guiberto non negari. Statua dignum inventum, sed plumbea. Neq; etiam â quoquam historicorum disertis verbis negatur, simili prodigio territos fuisse Benedictum, Stephan. Grandimontensem, Robertum Molismensen, Norbertum, Francisc. & Dominicum & inde ad suarum religionum institutionem compulsos. An ideo verum erit, unumquemq; eorum instituendæ religionis consilium iniisse, quod adfuerit funeribus cujusdam mortui, qui sese damnatum pluries vociferatus sit? Hoc tamen qui contenderet, paratos num. 1. commun. inveniret locos, quibus suam contentionem egregie tutaretur. Sunt enim apti ad quidlibet probandum. Sed cum his probentur omnia, nihil planè probatur. Qui enim sermo, ut ait Hieronymus, omni materiæ convenit, nulli convenit.* Deniq; Græcine post altercationes non negant id, de quo tamen diu disp. est? Imo negarunt pertinacissime, & adhuc hodie negant. E. non tantũ videntur dissentire, sed revera dissentiunt, novoq; dissensu sententiam Latinor. improbant.

§. 10. Duo adhuc objeceram, ad quæ Refutator silet: ridiculum esse illud, *Græcos, qui absq; additione symbolum recitent, hoc Ecclesiæ Rom. nutu peragere, dummodo animo crederent, ex Filio quoq; procedere.* Ridiculum est de nutu Ecclesiæ, quæ nutu suo contrarium potius mandare deberet, vel si nutu Rom. Eccles. regi possent Græci, admitterent utique additionem: historia Conc. Florent. de nutu illo nihil innuit. Alterum absurdum penitus est, vel hypocriticum, *ex animo credere & toto animo â professione quæ ore fit ad salutem Rom. 10. abhorrere.* Ex ore tuo te judico Græce, optime respondet ὁ πολὺς τὰ θεῖα Danhawerus in Vale Triumph. p. 84. *Ore fit confessio exterius. Quid clam sentias, id est supra meum scrutinium, â potiori fit denominatio, quod plures confitentur e. g. in civit. Coloniensi palam, id pro confessione accipitur; quicquid pauci nonnulli tua opinione hæretici, suis quasi musis canentes, clam mussitent.* Immo illud tuum ex animo credere, & tamen nolle profiteri, â te ipso his verbis ep. ad Boin. p. 128. reprob. *tu vero judicas de occultis, & de iis quæ non judicat Ecclesia.*

Et

Et §. 28. de alio dogmate: *neq; enim existimo, neq; alius existimaverit, Græcam Eccl. adeo insaniisse, ut alia ore profiteatur, alia corde credat ac sentiat.* Expressius adhuc alibi c. 3. de purgat. *tum sententia aliqua inter dogmata locum habet, & inter professiones fidei digeritur, & in Ecclesiasticis eorumdem libris ita disponitur, ut publice inter divina officia in conventu omnium legatur, & cum aliis ejusdem generis dogmatibus concinatur, et firmitatem acquirat, ut quæ animo credunt, voce etiam profiteantur; corde enim, inquit Paulus, creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem; & Christus eos, qui confitentur ipsum coram hominibus, confessurum se coram Patre promittit.* Ex Allatianis hisce verbis firma contra Allatium exsurgit subsumptio: Atq; sententia, Spir. S. â vel ex Filio procedere inter divina officia non legitur, & licet eandem animo credant, (quod quidē falsum est, ex abundanti tantum Allatio indultum) voce tamen profiteri nolunt, E. sententia de Processione Sp. S. â Filio inter dogmata Græcorum locum non habet; Græci vero abnuentes profiteri, quod corde credunt, vel eam solumodo ob causam ex ore Christi & Pauli, Allatio id comprobante, æternæ damnationi subjacent. Gregor. XIII. hîc Allatio prorsus est contrarius, qui in professione Orthodoxæ fidei â Græcis facienda, *claram, apertam, & perspicuis verbis expositam mentem & affirmationem, tum aliorum dogmatum e. g. purgatorii, Primatus Oecumenici omniumq; Concilii Tridentini decretorum tum in specie asseverationem processionis â Filio, prout illa ab Ecclesia in Synodo Florentina definita & declarata fuerit, requirit.* Possev. bibl. l. 6. extremo. Plus quidem Græcis indulget Clemens VIII. in sua bulla, non tamen tantum dat, quantum Allatius, dum imperat: *Græci credere tenentur etiam â Filio Spiritum S. procedere, sed non tenentur pronunciare, nisi subesset scandalum, præsertim si degant inter Latinos: aut necessitas postularet confitendi Cathol. fidem, quia tunc oportet etiam pronunciare.* Thom. â Jesu loc. cit.

§. 11. Sed quid hisce diutius immoror: Quodsi enim Græcis cum Latinis in hoc dogmate probe convenit, cur tot ultro citroque de eo ipso scripti sunt controversiarum libri, quorum necdum finis est. Vide modo Bellarm. T. 1. l. 2. de Christo c. 20. seqq. ubi ait *hanc controversiam de processione Spiritus S. necessario tractandam esse, propter Armenos, Græcos, Ruthenos, Moscos, qui adhuc in errore perseverent, adeo ut Græci*

non solum non credant Spiritum S. à Filio procedere, sed etiam conquerantur Latinos ad symbolum addidisse particulam (Filioq;) sine consensu ipsorum. Citat Hottingerus p. 4. hist. Eccl. pag. 19. Elenchum errorum Græcorum manuscriptum Petri Numagen Trevirensis, Sacellani Tigurini, in quo Græcis 24. dogmata heterodoxa objiciuntur, inter quæ primo loco ponitur, quod profiteantur: *Spiritum Sanctum procedere à Patre tantum, non à Filio.* Antonius Possevinus Lojolita in bibliotheca selecta Clementi VIII. Pont. Max. dicata, Romæ approbata, & Coloniæ A. 1607. recusa lib. 6. *Causas tantorum inter Græcorum & Latinos in religione dissidiorum expendens, quartamq; inter extremas* c. 2. & 8. *collocans sinisteritatem quorundam Latinorum* Gabrielis Prateoli, Alphonsi à Castro D. Thomæ qui quædam *non verè, quædam non ea, quæ inter Christianos decet charitate, Græcis objecerint*, c. 10. fatetur *maximum Græcorum errorem esse de processione Spir. S.*; *propterea*q; ipse p. 274. *in gratiam & utilitatem Ruthenorum interrogationes & responsiones de processione Spiritus S. à Patre & Filio ex Gen. Scholario desumptas, breviore methodo digessit.* A. 1630. prodierunt Romæ typis S. Congregationis de propaganda fide, aurea opuscula Theologica, Joan. Vecci, Bessarionis, Demetrii Cydonis, & Maximi Planudis, de processione Spiritus Sancti, Petro Arcudio Collectore & interprete, qui in dedic. Franciscum Barbarinum Cardinalem Græciæ Protectorem alloquitur: *Non minorem* (laudem) *assequeris, si studio & favore tuo illam olim Nobilissimam Nationem ad Ecclesiæ gremium convocaveris. Imitare peritos aucupes, qui similes aviculas eleganter ornatas exponunt, ut alias & attrahant & capiant. Hos inquam Doctissimos viros, ex antiqua Græcia dignos, Sanctissimo Patruo, ac nomini tuo dicatos, à Zelantissima congregatione de propaganda fide in gratiam tuam typis non inelegantibus excusos, fac ut in Orientem feliciter penetrent, utq; recentiorum Græcorum manibus terantur, & eosdem sua ipsorum specie ac pulchritudine teneant. Agnoscent fraudes schismaticorum, doctrinam castam, & germanam veterum PP. suspicient. Abjicient pertinaciam, amplectentur animorum concordiam.* Arcudius de concordia animorum resarcienda, de reditu nationis Græcæ ad Ecclesiæ gremium, de captura avicularum extra caveam Pontificis Romani libere volitantium, de abjicienda pertinacia, deq; sana circa pro-

processionem Spiritus S. doctrina adhuc amplectenda, sollicitus est: Allatius contra Arcudii popularis, socius, Amicus, ejusdemq; congregationis membrum, quantum potest vociferatur, in his omnibus amicè semper & perpetuo nationem utramq; conspicasse, & adhuc conspirare. Sed mihi hîc fides Arcudii potior est quam Allatii. Si perpetuo consenserunt, cur Baronius, Bellarminus, Gretserus, Bozius, Cornelius à Lapide interitum Constantinopolitani Imperii, occupationem urbis, & perpessionem jugi Turcici hujus dogmatis negationi imputant? supra appellatus Bern. Vetweis lib. 4. c. 5. art. 5. Græcos tuos reprehendit, *quod non vereantur temere asserere, PP. Latinos, Ambrosium, Augustinum, Hilarium erravisse in hoc dogmate.* Idem art. 7. n. 4. in quo refertur quotiens Græci resipuerint, adjicit: *hac tamen toties & diversis temporibus repetita fidei confessione & firmata juramento à Græcis unione relicta ad schisma pristinum redierunt non longe post Concilium Florentinum; unde paucis post elapsis annis, annos scil. 1455. Constantinopolitanum & Orientale Imperium planè extinctum, jugo impiorum Saracenorum, Prô dolor! subactum est, nec tamen Græci sic visitati ad cor redeunt.* Sed dimittam tandem Refutatorem in hoc argumento, & venio ad illa, quæ quasi per modum digressionis de disputatione ad hominem sine sensu & intellectu conferre minat.

§. 12. Pagina secunda Exercitationis, gloriationem Abr. Ecchellensis propter concordiam rationum Orientalium triumphantis, retundens, notaveram, quam vanus esset iste Triumphus & gloriatio de consensu eorum, qui, cùm in capitalissimis fidei catholicæ controversiis hæreses nefandas foveant, ob conspirationem cum cœtu Romano in traditionibus & similibus paleis in theatrum tamen ad nos perterrefaciendos producuntur: addideram, neque contentos esse Pontificios hisce retiariis, qui non modo se, sed alios quoque armis suis conficiunt, sed provocari quoque ad Muhammedanos & Judæos. *At nescit juvenis Ulmensis quam valida sint in comprobanda causa, inimicorum vel exterorum testimonia, quod vel pueri norunt.* Hic certe multum & pueriliter erras ô senex. Nam quæ major pueritia est, quam te id ætatis non solum per te non sapere, quid rectum sit, sed ab aliis etiam monitum discere nolle? Hoc licet nolis tamen te docebo: νεὸς γέροντα παιδαγωγήσω

γήτω σ' ἐγὼ. Ita est omnino, quando veritas ab hostibus veritatis apparet. *Illa enim est vera & sine contradictione probatio, quæ etiam ab Adversariis ipsis singula testificationis profert*, verissimum est effatum S. Irenæi l. 4. c. 14. σεμνὴ γὰρ καὶ ἀνωδύνος τῶν ἐχθρῶν μαρτυρία. *gloriosa est testificatio ab hostibus desumta*, scribit Isidor. Pelas. lib. 2. ep. 228. sed in hoc disputandi genere, quod ad hominem vocatur, disputandum est ex scriptoribus, qui ab Adversario recipiuntur, laudantur, defenduntur. Sic contra Græcos ex Græcis recte disputatur. Contra me recte disputares ex Græcis Schismaticis, si faceres id quod promittis. Sic contra Pontificios ex Pontificiis recte disputat Gerhardus in Confessione Catholica, & Bellarmino Orthodoxias teste, Sic contra Lutheranos vel Calvinianos ex Lutheranis vel Calvinianis Doctoribus recte disputares: contra Muhammedanos ex Muhammedanis, contra Judæos ex Judæis, contra nationes ex Ethnicis: sed quando contra Ethnicos ex Muhammedanis, & ex his contra illos, & sic in aliis disputare voles, tum ab istis omnibus deridiculo habeberis. Qua in re vel solus â te citatus Cicero te instruere potuisset. Ita cum tu, Bellarminus, & alii Pontificii contra Evangelicos ex Muhammedanis, Judæis, Ethnicis, disputas, Protestantes te merito irrident, horum enim æque ac vestrum testimonium rejiciunt, quippe qui solis Scripturis fidem habent. Recte igitur Apostolus ex gentilium testimoniis gentiles convincere voluit: recte Lactantius, aliiq; qui contra nationes scripserunt, auctoritatibus Philosophorum, Poëtarum, Historicorum eos presserunt. At vero quando tu purgatorias flammas, contra Lutheranos & Calvinianos disputando, folle Hebræorum & Muhammedanorum sufflando excitare, eosq; tanquam testes maximè idoneos advocare soles, in leges & scientiam boni disputatoris impingis. Si aliquid judicio Hon. Fabri tribuis, cognosces ex eo, in rebus fidei & religionis, Judæorum opinionibus non attendendum esse, quando enim *ad objectionem de recentiorum Judæorum, Karraidarum sive Scripturariorum, & Thalmudicorum sive Traditionariorum dissensionibus, unitatem tamen fidei non dissolventibus p. 315. vult respondere, ait: quid, quæso, ad nos diversa illa Judæorum post mortem Christi instituta, & variæ sectæ, cum jam eos errore teneri vos quoque fateri debeatis. Judæi meris opinionibus ducuntur, cum divina fide careant.*

Et

Et quanquam religionis nomen obtendant, illud tamen varium est, & merus obtentus, cum religione omni careant. Et ne hunc solum habere videar testem Pontificium, advocabo adhuc duos ex vestro foro. Inter argumenta externa, quibus integritas Codicis Biblici singulari Dei providentia ad nostra usq; tempora custoditi, â Nostratibus Theologis probatur, referimus testimonium Ecclesiæ Judaicæ, secuti Augustinum: eorumdem Judæorum pro numero librorum Canonicorum citamus consensum: Id vero Gretserus iniq; fert in defens. Bellarm. T.1. p.116. & vehementer stomachatur, *â Josepho Hebræo etiam subsidium peti, neq; tamen id mirandum esse* dicit, *si hæreticus magis audiat, quid dicat Judæus quam quid Christianæ & Catholicæ Ecclesiæ consensus.* Hoc cùm etiam feciſſet. D.Dannhawerus, Corneus Loïolita ita excepit: *Vel uteris hic testimonio Ecclesiæ Judaicæ antiquæ, vel modernæ. Si modernæ, est ea mendax, falsa, impia, â Deo deserta. Quomodo ergo ei vis fidere in re tam gravi? si antiquæ? quomodo ego capiam in dubium antiquæ Synagogæ de Bibliis testimonium? ab ipsamet? non est amplius, & dudum annis plus mille sexcentis extincta atq; sepulta jacet?* En, quanti æstiment Gretserus & Corneus Judæorum tuorum testimonium, in negotio tantum historico, de quo rectissime judicat Dañhawerus: *quamvis multæ etiam gentes pluribus seculis errare possint in judicio & sententia de re, quæ solo intellectu cognoscitur, sicut omnes gentes, Judæis tantum & paucis aliis hominibus exceptis, multis sæculis idololatriam amplexi sunt: nihilominus tamen in attestatione rei visæ & auditæ contingere non magis potest, quam ut omnes homines hodie fallant, qui Romam aut Constantinopolim esse testantur.* Augustinus igitur testimonio Hebræorum utitur contra Hebræos, & contra illos, *qui criminari poterant, nos prophetias de Christo tantum confinxisse: nobis quidem illæ sufficiunt scil. prophetiæ, quæ de nostrorum inimicorum codicibus proferuntur, quos agnoscimus propter hoc testimonium, quod nobis inviti perhibent, eosdem codices habendo atque servando, per omnes gentes etiam ipsos esse dispersos, quaqua versum Christi Ecclesia dilatatur* lib.18. de Civit.DEI c.46. conf. de doctrina Christian.2.18. seqq. Intelligis, quando, & contra quos testimonia ejusmodi valide adducantur. Cum vero dogma de purgatorio non sit quæstionis historicæ, rei vel visæ, vel auditæ, vel ex notitiis naturalibus,

quæ omnibus populis insitæ dicuntur, enatæ, sed de re, quæ solo intellectu, & ex scriptura cognosci debet, paret omnino, testimonia Judæorum & Turcarum valide contra nos non urgeri. Veritate enim in fabulas corrupta, figmenta suæ rationis cum Ethnicis basiantes Turcæ, & Judæi hodierni purgatorium quoddam extruxerunt. Ast, si consensus Turcarum efficacissimum præbet Pontificiis contra Protestantes argumentum, cur Guiliel. Reginaldus in opprobrium non Calvinianorum tantum, sed etiam Evangelicorum, integrum & malignum edidit tractatum, cui titulum Calvino-Turcismi imposuit, nostrumq; cum Turcis consensum calumniosè ostendere conatus est? quam collationem Turco-Papismi alius Anglus compensarit: cur etiam Gualterius tabulis Chronologicis pag. 519. similem paralleliſmum infarsit, sed quem P. r. hist. Eccles. remuneratus, & alio paralleliſmo Clar. Hotting. pag. 354. Cur tu ipse P. C. 3, 15, 47. ex mendaciſſimo tuo Mylonio fabulam narras, plinistrum Calvinianum in Hungaria Turcarum Præfecto dixisse, suum Evangelium Alcorano non adeo esse dissimile, & in plerisq; capitibus utrumq; consentire? anne si hæc narratio vera esset, concederes, efficacissimum ex Confessione Bassa Turcici â Calvinianis contra vos peti posse argumentum? Verum, quoniam Allatius non exiguum causæ suæ patrocinium in Turcis se habere putat, referam in gratiam ipsius nonnulla de Hebræis & Muhammedanis, ex quibus recognoscat, in quantum gloriari debeat de consensu eorum. Sic consensus Judæorum, & Turcarum tantum valet contra nos in hoc articulo, valebit etiam contra Pontificios in aliis quam plurimis capitibus. Inter עקרים sive articulos fidei Judaicæ, quintus docet, *neminem præter solum Creatorem adorandum, nullosq; exinde* מליצים *Advocatores & Mediatores inter Deum & homines collocandos esse.* Buxt. synag. Jud. c. 3. *In precibus quando aliquis omnia requisita observavit, tamen non debet cogitare homo: Deus me exaudiet, & mihi dabit quæ petii, quia devotè & ardenter oravi; quin potius contra, iniquitatum & peccatorum suorum recordabitur* ibid. c. 10. p. 225. ed. nov. Muhammedis de resurrectione impiorum hæc est sententia: *Quod Deus in varias ipsos sit discreturus classes, & mutaturus formas. Prima eorum classis simiorum sistetur forma. Illi scilicet qui Sadducaismum amplexi sunt. Secunda porcorum, qui turpi lucro inhiaverint & pu-*

& publicani. qui tertiæ sunt, capitibus inversis, pedibus q. in faciem retortis trahentur; sc. fœneratores. qui quartæ, cæci, huc illuc errabunt, sc. qui inique judicium exercuerint. qui quintæ, surdi erunt, muti, cæci, nihil intelligentes, sc. qui operibus suis gloriantur. v. plura apud Pockock. in notis miscell. ad portam Mosis Maimon. p. 273. *Quærunt Muhammedani, tum qua ratione admittantur in Paradisum, tum quâ in gradus suos ibi distribuantur. Sentiunt autem, aditum in Paradisum, quam Gannah, nomine ad Hebræorum* ג *mutato vocant, non aliàs cuipiam patefieri, quam mera DEI misericordia, quod illo Mohammedis dicto probant: non est quispiam quem liberabunt opera sua, vel non introducunt quempiam in Paradisum opera sua qui & regerentibus annon vel tu? nec vel ipse* (inquit) *aliter quam misericordia DEI salvandus sum.* ib. p. 296. Lectori harum rerum cupido communicabo ex insigni opere Illustris Seldeni de synedriis Ebræorum l. 1. p. 481. ἀποσπασμάλιον quoddam ex Mohammedico Seculi hujus scriptore, quid de religione Pontificiorum sentiant Arabes. *Sub annos ferme ab hinc 40.* (scribit Seld.) *Mauritius Princeps Auriacus, & Emanuel Portugallia Princeps, in mensa impetratum voluere â Viro sane Doctissimo, Achmet Benaudala* (Ben-Abdalla) *natione Cantabro, sed Mahummedano, ac Regis Maurorum apud Fœderatos Belgii Ordines tunc, opinor, Legato, ut sensum suorum de religione Christiana eis explicaret. Id non illibenter ad Regem suum reversus, Marochii præstitit, unde anno Hegiræ 1021. id est A. C. 1612. opusculum ea de re scriptum ad Principes illos misit. In eo post alia Christianismi scita graviora, Mahumedismo per quam dissona, ingeniose sane discussa, tandem devenit ad illud de confessione, & pœnitentia & absolutione. Multis autem rationibus tum ipsam absolvendi potestatem, tum vel maxime ritus Pontificios confessionem auricularem & pœnas â Sacerdote impositas, discutit, & argumentum decimum ita proponit: præterea, Sacerdos imponit semper pœnas quasdam peccantibus: ut si quis sit adulter, jubet ut seipsum cædat flagris, vel ut portet supra humeros crucem aliquam &c. Cum tamen hoc totum nihil sit respectu peccati, & tamen in arbitrio Sacerdotis sit imponere pœnas ad libitum. Dicat quæso quâ ulna metitur, aut pondere ponderat aut pendit, ut sciat quid vel quantum pœnæ imponendum sit unicuiq. pro culpa? Neq. autumandum* (judicium est Seldeni) *Achmetem hunc aut oscitanter aut temere*

mere dissertationem illam suam ad Principes illos Christianos sic rogatum conscripsisse, sed potius summa deliberatione, ac aliorum è suis ope & consilio gravissimo eam adornasse. Quam autem diversa heic sint Theol Romanensi scita, facile ex eorum ritibus cernitur, uti etiam obviis Theologorum scriptis. Invocationem Sanctor. cultum imaginum & Angelorum, cœlibatum Sacerdotum, judicium Episcoporum nulli examini obnoxium superstitiosas creaturarum consecrationes, fraudem in miraculis, & alia, Achmedum Ibu Edris & sanæ rationis & scripturæ ductu refutare commemorat Cl. Hotting. Thes. Phil. p. 60 pluraq; ex Arabum monumentis se erupturum promittit, quod etiam præstitit Hist. Eccl. Part. 2. sæculi 16. c. 2. quæso te Allati quid nunc diceres, si in hisce contra Papæos disputando consensum Judæorum & Muhamedanorum tanquam argumentum efficacissimum allegarem? Vitia scil. non in rebus sunt, sed in hominibus: mihi vitio verteretur, tibi vero laudi? Judæi sicut in aliis quam plurimis, ita in hoc quoque capite stultissimas excogitarunt fabulas, e. g. die veneris sub vesperam publice in inferis proclamari nugantur, ut impii omnes egrediantur, ut sabbato quiescere possint, non secus ac totus Israël quiescit: Ita etiam die Sabbati noctu iterum proclamari fabulatores dicunt, ut mox, absolutis Israëlitarum vespertinis precibus, in inferos redeant. Sic enim legitur in Aggadah: *Singulis diebus veneris sub vesperam proclamavit Dumah, Angelus Præfectus animabus, & dicit: missos facite nunc Impios ut quiescant; & quiescunt toto Sabbato. Exeunte autem Sabbato circa noctem, rursum proclamat Angelus Spiritibus Præfectus; Revertemini nunc impii in gehennam: jam enim absolverunt Iudæi ritus suos.* Buxt. l. c. p. 336. Impios ipsos in purgatorium venire, & post integros menses duodecim ex eodem egredi somniant ib. p. 709. Consimiles Iœschas Mohammedanorum reperies apud versatissimum in Hebræorum Arabumq; scriptis Pockockium Ecchellensi respondet Hottinger. in Bibliothecar. pag. 238. sed hæc fortassis causa est, quod Judæi in SS. Trinitatem, in Servatorem nostrum, in omnes Sanctos atrociissime injurii, â Pontifice & Pontificiis tolerantur, maximisque apud eos privilegiis gaudent, Lutherani vero ubi fieri potest trucidantur, quia illi efficacissimum præbent firmamentum pro muris purgatorii, quos hi subruere studeant? Truculentæ Pontificum in Evange-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747224897/phys_0116
DFG

vangelicos perſecutiones, & immunitates Judæis conceſſæ fidem facere poſſent narrationi R. Gedaliæ, quin Schalſch. p. 113. â memorat: *quod Iudæi, cùm ſæculo XIV. Philippus Galliarum Rex eos graviter premeret, Papæ tunc in Albigenſes & Waldenſes ſævientis auxilium implorarint, qui etiam epiſtola ad Regem ſcripta, Iudæorum cauſam egerit, & inter alia quidem hisce verbis: Ego Gregorius Papa, præcipio tibi, ô Rex ne lædas Iudæos, qui propterea, quod Meſſiam occiderunt, non peccarunt. poſteaq; ſimilitudinem affert, qua Pontifex uſus DEIcidas excuſaverit.* v. Hotting. P. III. Hiſt. Eccl. p. 878.

§. 13. Sed finem faciam, ubi unum adhuc in te caſtigavero. Aſſeris audacter, immo impudenter, quin Evangeliſtæ, & Chriſto ipſi in os contradicis, CHRISTUM ſcil. ipſum ſuæ divinitatis, & divinæ generationis doctrinam, & declarationem â diabolo publica proclamatione voluiſſe recognoſci; *Quid nobis & tibi? JESU Fili DEI?* Lucæ. 4. 34. ſed Evangeliſta addit: *Et increpavit illum Ieſus, dicens: obmuteſce, & exi ab eo.* Marc. 1. 34. legimus: *Et curavit multos, qui vexabantur variis languoribus: & dæmonia multa ejiciebat, & non ſinebat ea loqui, quoniam ſciebant eum:* ne videretur cum illis colludere. Ita exponit cum Chryſoſtomo Theophylactus. οὐκ ἤφιει τὰ δαιμόνια λαλεῖν διδάσκων ἡμᾶς μὴ πιστεύειν αὐτοῖς, καὶ ἀληθῆ λέγωσιν. εἰ γὰρ ἔρωσί τινας ὅλως πιστεύσας αὐτοῖς, ἵνα οὐκ ἂν ποιήσαιεν τοῖς ἀληθεῦσι συμμιγνύντες οἱ καταγράκται τὰ ψευδῆ; ἔτωκαὶ ὁ παῦλος ἐκώλυσε τὸ πνεῦμα τὸ πύθωνος, λέγοντος, ὅτι οἱ ἄνθρωποι δοῦλοι τοῦ θεοῦ τοῦ ὑψίστου εἰσίν. ὁ γὰρ ἤθελεν ὁ ἅγιος ὑπὸ ἀκαθάρτου στόματος συνίστασθαι καὶ μαρτυρεῖσθαι. *Porro non ſinebat dæmonia loqui, docens nos, ne credamus eis, etiamſi vera dicant. Nam cum quosdam dum mentiuntur inveniunt omnino credentes ſibi: quid non fieret, ſi & veris falſa permiſcerent? ita & Paulus prohibuit Spiritum Pythonicum dicentem homines illos ſervos eſſe DEI Altiſſimi. Non enim volebat Sanctus ab immundo ore commendari, & teſtimonium accipere.* Hæc Theophylactus. Patrem itaque mendaciorum tanquam teſtem audire vel recognoſcere noluit os veritatis CHRISTUS: ad hunc vero mendaciſſimum Spiritum ſæpe recurrunt Pontificii, quando miraculis ſuis auctoritatem aliquam conciliare, & flammas uſtulatorias ardentiores reddere volunt. *Audite*

inquiebant *dæmones apud* Alphonſ. Fernand. *Vos Chriſtiani Dominicus iſte* (Dominicanor. Patriarcha & truculentiſſimus Albigenſium perſecutor. Dannh. hodomor. Pap. P. 1. p. 1257.) *crudelis & inſatiabilis noſter hoſtes & perſecutor, quæcunq; de Maria & ejus Roſario annunciavit, veriſſima ſunt; ſciatisq; maximam vobis pro veſtræ incredulitatis peccato imminere ruinam & calamitatem, niſi prius ejus factis & verbis fidem adhibueritis. Item notum vobis ſit, plurimos Chriſti fideles in hora mortis Mariam invocantes* contra jura *ſalvari. Porro amplius etiam neceſsitate compulſi, renunciamus, nullum in ſancto Roſarii exercitio perſeverantem, æternos inferni ſubire cruciatus.* Juxta diabolos igitur, Pontificii Roſarii patronos, Chriſtus dixiſſe cenſendus eſt, qui perſeveraverit uſque ad finem in exercitio Roſarii, ſalvabitur, quam quidem ſententiam impientiſſimam tuetur Loiolita Barrius. O tempora! O religionem irreligioſam! Martinus Eiſengreinius, homo Pontificius narrat, *obſeſſam quandam puellam ex peculiari quadam Mariæ revelatione, adductam eſſe ad capellam Beatæ Virginis in antiqua Oetingen: cumq; Caniſio Præſide Litania cantaretur, & invocaretur miſericordia, auxilium, & liberatio DEI Patris, Filii, & Spiritus S. diabolum nihil fuiſſe motum, cum vero Lauretana Litania de Beata Maria inchoaretur, tunc demum Satanam cœpiſſe in obſeſſa turbari, clamare & furere. Mox vero Caniſium, ligneam, antiquam, & cariosam Mariæ imaginem arreptam, impoſuiſſe capiti puellæ obſeſſæ, tum vero diabolum cœpiſſe exclamare: Ah mulier, quid me calcas, & caput meum conteris?* & quis jam dubitet, ipſo ſcil. diabolo teſte, Gen. 3. legendum eſſe, non ipſum ſemen, ſed mulierem contriviſſe caput Satanæ, & adhuc conculcare. Sequitur autem in Eiſengrinii narratione, *quod diabolo, cum ipſi à puella obſeſſa exeundum eſſet, quaſi ſatisfactionum loco impoſitum fuerit, ut ipſe per obſeſſam barbotaret aliquot Patres noſtros, Aveq; Marias, tanquam Roſarium Mariæ, & diabolum, quaſi invitus & coactus illud faceret, cum gemitu & indignatione præfatum: En vos, Iohannes non vult invocare Sanctos, cum tamen nos diaboli inviti hoc cogamur facere. Cum vero expanſis manibus & flexis genibus orationem Dominicam diabolus ſupplex & devotus peroraſſet, ac jam in ſalutatione Angelica eo perveniſſet (Ave Maria, gratia plena) ſcribit, ſonora & devota voce ipſum diabolum intertexuiſſe hanc apoſtillam. O Maria, gratia &*

miſe-

misericordia tua sit super omnes illos, qui hanc tuam capellam visitant. Ah ora pro omnibus illis. Atque ita diabolum, relicto post se (sicut solet) fœtore, exiisse. (v. Chem. P. 3. Ex. p. m. 290.) O acciſam veræ religionis perſpicientiam! ſi mica pudoris, ſanæ mentis, & agnitionis divinæ inesset Pontificiis exorciſtis & ſcriptoribus, alto hæc talia premerent ſilentio, ſed, poſtquam cum veritate pudorem quoque decoxerunt, palam hæc jactitant, & tantum non nobis inſultant. Nunquid non eſt Deus in Iſraël, ut eatis ad conſulendum Beelzebub? 2. Reg. 1. 3.

SECTIO IV.

De Schiſmatis in hæreſin tranſitu.

Synopsis.

Hæreſeos inſimulantur Græci ab Allatio Bell. Maldon. Ficklero, Hoſio, Thoma â Jeſu, Fabro, Caſalio, Moguntinis; An Chriſtus & PP. hæreticos dicant occidendos? hiſtoria Cyrilli Lucaris & Berrhoënſis.

§. 1. Robur & incrementum accepit hoc Schisma tum, quum ex ſchiſmate hæreſis facta eſt. Probavi hoc caput teſtimoniis eorum, qui Græcanicæ Eccleſiæ crimen hæreſeos impegerunt, inter quos excellit ipſe Allatius, ut miratus fuerim, qua fronte Vir tantus idem nunc adſtruat, nunc deſtruat & convellat. Ipſe enim ſcribit, Typicum & Triodium eſſe inter libros ſolennes, & publicos, quibus in Eccleſiis ſuis utuntur, in his autem *graves, & hæreticos contentos eſſe errores.* Reſpondet Allatius: *& hoc nunc idem repeto, inter libros Eccleſiaſticos Græcorum eos eſſe præcipuos. Sed in illis arguit Allatius multos errores & hæreſes. Et hoc idem ingemino* &c. Hic iterum dilucidiſſime comparet, refutatorem nihil ſolidi habuiſſe, quod reponeret. Verba enim in exercitatione excerpta ſunt clariſſima, quæ alio modo non poſſunt obſcurari vel refelli, niſi ut dicatur, iſtos errores eſſe ex Eccleſia Græca proſcriptos. Sed qua auctoritate hoc aſſeritur? componat frivolam hanc Allatii reſponſionem quisquis velit cum verbis Allatii, illis præſertim, quibus ait: *hæreſin in Eccleſiam Græcorum illapſam adeo invaluiſſe, ut per* omnes fere illius

illius Filios *diffusa sit, eosq; tot annorum spatio deturpatos, ab Ecclesia Romanæ gremio abscidisse, easque radices egisse, ut jam de Salute Prudentissimi quique desperent.* Hoc ne est perpetuo consentire? hocne errores revocare? hocne paucos ita sentire? prudentissimi quique cum Allatio contra Allatium desperant de hac re: sequitur igitur Allatium nunc ex Prudentissimo factum esse pluribus modis imprudentissimum. Quid vero Nihusio nostro faciemus? qui in programm. 2. ad Academicos Protestantium contra omnium Pontificiorum fidem scribit: *Ecclesia Græca ab Ecclesia nostra Latina nunquam censita est hæretica dogmatis ullius nomine, sed solum Schismatica alia de causa: quicquid sit de paucis nationis hujus membris, hæresin excitare non veritis; quorum proin singulares deliriones tribuere si quis ausit eidemmet Ecclesiæ Græcæ, perinde sapiat is, ac si Lutheri, Calvini, Similiumq; errores toti Lutheranorum genti non vereatur imputare:* & quæ alia illius hominis verba sunt. Similia recoquit §. 7. quæ recitare, est festivitates illius hominis reputare. Nihil idcirco cum histrione agemus, sed ablegabimus ipsum ad scriptores mox appellandos.

§. 2. Citaveram Bellarminum, sed silet Allatius. Iste Bellarmin. prorsus negat Ecclesiam apud Græcos esse: Si nulla est Ecclesia apud Græcos, quomodo inter utramque perpetuus potest esse consensus. Faciam autem Bellarm. suo ore loquentem T. 2. de not. Eccles. lib. 4. c. 8. §. dico secundo. *Quod autem apud Græcos non sit Ecclesia, probamus Quia nimirum convicti sunt legitime in tribus plenariis Conciliis, Lateranensi, Lugdunensi, & Florentino, de schismate & hæresi; ac præcipue de hæresi circa processionem Spiritus S. â Filio.* Jesuita Maldonatus ad Jo. 16. 14. scribit: *Cùm ergo Spiritus hoc loco â Filio dicatur accipere, â Filio utique procedit. Nam si ex eo, quod dicit Christus mea doctrina non est mea, & sicut audio judico (7, 16. 5, 30.) & aliis hujusmodi, quibus significat se nihil facere, nisi ex Patris voluntate, recte sequitur illum â Patre procedere, & ex hoc profecto loco colligitur Spiritum S. â Filio procedere. Scioq; multos etiam id Græcos auctores tradidisse, antequam ista pertinacissima recentiorum Græcorum orta esset Hæresis.* Jo. Bapt. Ficklerus. J. U. D. & Consiliarius Salisburg. qui censuram Socolovii in Germ. convertit linguam, eandemq; præfatione, conviciis & mendaciis trabalibus confer-

ra,

ta, ornavit, vel potius deformiorem reddidit, postquam de necessitate capitis Ecclesiastici nonnulla garrivisset, mentitusq; fuisset, Lutheranos Patriarcham Constantinopolitanum, *qui cum Papa & Ecclesia Romana nullam habeat communionem*, pro capite frustra expetiisse, quod etiam in præf. ad lect. mendacissime repetit, hanc subjicit epicrisin: *Posito autem; Patriarcha fictam, sæpius immutatam & consarcinatam hæreticorum Confessionem acceptasset, eorumq; caput factus esset, nihil tamen aliud inde confectum fuisset, quàm si cœcus cœcum ducem sibi eligeret, similis simili gavisus, hæreticum Schismaticus amplexus fuisset, quorum neuter alteri subvenire potuisset, sed ambo in foveam cecidissent, inq; inobedientia sua periissent.* Hæc in dedic. lb. Idem: *Antoninus scribit, Ecclesiam Græcam undecies â Romana defeciisse: haud minus vero nos experientia certo sumus edocti, eandem post Antonini tempora â Romana Ecclesia nova scissione desciviisse, ut hæc jam sit duodecima apostasia, quapropter una & vera Ecclesia dici nequit; est enim ab unica & vera Ecclesia divisa: neque Sancta esse potest, quoniam ab illa segregata est Ecclesia, in qua sola Sanctitas & justitia viget: deniq; Catholica nullatenus erit vocitanda, quia ne membrum quidem & pars amplius est Ecclesiæ Catholicæ.* Ne vero excipias te parum curare auctoritatem Consiliarii Salisburgici, muniam eandem auctoritate Stanisl. Hosii, Cardinalis, Episcopi Varmiensis & in Concilio Trid. Præsidis, qui in dialogo de conj. Sacerd. p. 341. b. Harpago ad orientales provocanti respondet: *Quos tu vis ut sequamur auctores? Eosne quos toties doctrinis variis & peregrinis abductos â fide defeciisse, quos quaterdecies ad Ecclesiæ corpus redeuntes, totidem vicibus ab ea se præcidisse, quos præcisionis hujus, fideiq; suæ tam sæpe violatæ dura Turcarum tyrannide pressos gravissimas pœnas vides expendisse? scil. quorum exitus perhorrescimus, eorum tu nobis imitanda facta proponis?* plura alia in Græcos, tanquam Schismaticos & hæreticos, alibi scribit. Sed quorum tu, Cardinalis Hosi, cum reliquis Pontificiis immissas ob dissensionem pœnas exhorrescis, eorum Allatius consensionem & pietatem in Rom. Ecclesiam mirifice extollit. Suffragatur hisce Thomas â Jesu inquiens: *Cum quaterdecies suos Græcia errores agnoverit, adhuc super cordibus eorum manet velamen, ut id quo sæpe convicti sunt, ut judicio suo condemnati, confiteri jam nolint.* Honoratus Fabri, qui tecum Romæ vivit, in l. de

Una fide contra Indifferentes publicato An. 1657. p. 283. *Quod spectat,* inquit, *ad errores Græcorum, hoc certe loco discutiendi non sunt, pro his consulantur auctores: eorum synopsin habetis apud Gualterium in sæculo IX. illi autem damnati sunt diversis Conciliis scil. Lateranensi 4. Lugdunensi 2. Viennensi, Florentino, quibus, si Viennense excipias, ipsi Græci interfuerunt, manusq; dederunt post longas disputationes, in quibus semper inferiores extiterunt. Mira est profecto hujusmodi hæreticorum aut schismaticorum indoles, qui toties errores suos ejurarunt, Eccl. Romæ reconciliati, ac deinde ad vomitum redierunt: quater & decies conversos ac relapsos esse, antiquis historiarum monumentis traditum est. Unde fides Græca Germana est, varia credere ac identidem fidem mutare, cum tamen Ecclesia Romana eandem fidem intactam, atq; integram semper tenuerit.* Moxibidem pag. seq. subdit: *Quod dicitis, errores Græcorum nullius momenti esse; pace dixerim vestra, absurdum est; nullus enim error in fide est, qui minimi momenti esse, vel dici possit; præterquam quod in gravissimis articulis errant; scil. in Trinitate, in Ecclesia, in Sacramentis, in vita æterna, &c. An forte hæc nullius momenti sunt? negant enim Spir. S. â Filio procedere; Ecclesiam Romanam minime agnoscunt; corpus Christi â peccatoribus negant accipi, licet ad S. Synaxin accedant; animas functorum ad extremum usq; judicii diem â gloria cœlesti arcent. Quod de Spiritu S., non tam quoad rem, quam quoad loquendi modum, dissensio sit, nemini sane persuadebitis, ex iis scil., qui rem intelligunt. Epist. illam Leon. Allatii* (quam Adiaphori p. 279. dicebant ad Boineburg. hac de re mox esse edendam) *in lucem editam non vidi; scio tamen ab erudito & Catholico viro nihil dici, quod â vera fide alienum sit; nonnulla forte rejiciet, quæ falso illis imponuntur: quod autem palmarem illum errorem excuset, adduci non possum, ut credam.* Sicuti etiam Laur. Forerus p. 188. sui Indifferentissimi confitetur, *verba epistolæ Allatianæ cum grano salis & non nisi μαλθάκῳ adhibito φαρμάκῳ* intelligenda esse. pag. 288. idem Fabri: *Græci divina bonitate abusi dignam rebellionis suæ adversus Pontificem Romanum pœnam dederunt; hinc sub Turcarum tyrannide & jugo miserrime gemunt; hinc tanta sectarum & opinionum confusione impliciti, quid certi credere debeant, nesciunt; hinc homines doctos & Sanctos, ut olim amplius non habent; hinc Patriarcharum Constantinopolitanorum contentiones, rixæ, mutationes,*

nes; hinc ii toties extrusi, intrusi, expulsi, fugati, is nempe qui majorem vim pecuniæ Turcis pendit, ille superior evadit. Pudet hæc referre quæ nemo ignorat: ac miror quod illam Ecclesiam immotam semper & inconcussam perstare dicatis, quæ quater & decies errores suos ejuravit. pag. 289. *Græca Ecclesia, quæ toties huc usque resipiscere visa est, adhuc insanit; nec video, quomodo florere ac vigere dicatur, quæ fere inter sordes, saltem inter errorum tenebras misere jacet. DEO igitur curæ est, error ille quo illa tenetur, maxima, mihi credite, pœna est; idemq; cæcitas & obstinatio, quod certe Judæorum & Turcarum exemplo confirmari potest.* Complurima hîc rectissime moneri & observari poterunt contra Refutatorem nostrum. Is qui hæc scripsit est Jesuita Romæ vivens, cui Allatius ignotus non est, qui Allatium de Perpetuo Consensu legit, vel certe videri vult legisse, citat enim ipsum pag. 185. scripsit non ante Allatium, sed annos aliquot post illum scripsit auctoritate eorum, *â quorum nutu & voluntate totam vitæ suæ rationem pendere* dicit in præfat. ad lect. ex ipso igitur Allatio, vel aliis Græcis Romæ viventibus, vel Jesuitis suis qui hanc ei provinciam commiserunt, vel ex aliis hominibus in congregatione de propag nda fide, & ostendenda Orientalium Ecclesiarum cum Romana consensione occupatis, cognoscere potuisset H. Fabri, se mera mendacia evomiturum esse, si Allatio esset contradicturus, quod cùm secus acciderit, sanus quilibet recte colligere potest, nullo numero censeri dicta Allatiana in ipsa urbe, si paucos excipias, qui quod optant id se jam confectum habere autumant. Deinde editus est libellus Fabri cum facultate Superiorum Dilingæ, ubi haud ita pridem docuerat, & scripta quædam ediderat Forerus, cujus quidem libelli duo, unus inscriptus: *Ovum ante gallinam*, alter *de Indifferentismo*, Ingolstadii prodierunt, & prior quidem Anno 1660. uno igitur & eodem tempore de Indifferentismo scribentes duo Jesuitæ, & quorum libri à duabus vicinis Academiis approbati fuerunt, contraria statuunt, non in levi aliqua quæstiuncula, sed in negotio momenti maximi; unus auctoritate Allatii nos jubet stare; alter mandat ab ipso discedere: ipsi nunc pronuncient judices si qui sunt inter Pontificios ἀδέκαστοι, utrum Dilingensium discipulorum aliàs

vel ſucceſſorum Foreri, an verò Ingolſtadienſium cenſura & approbatio prævalere debeat. Atque ſic in urbe Roma & alibi pro Allatio, & contra Allatium, ſcripta eduntur, & hæretica & orthodoxa eſſe Eccleſia Græca proclamatur; forſitan uti omnes hinc quoque diſcant, quam bene Doctoribus Papiſticis invicem conveniat. Conſequitur porro, Allatium, judicante Fabro, rem non intelligere, dum omnibus perſuadere cupit, diſſenſionem non quoad rem, immo ne quidem quoad modum loquendi, in controverſia illa de Spiritu S. inter Latinos & Græcos eſſe. Amplius; non vanus fui haruſpex, quando ſcripſi, acutioribus & cordatioribus Pontificiis, ipſiq; adeo Illuſtr. Dn. Boinburgio fortaſſis non perſuaſum iri, ut Allatio credant: exagitavit me propterea Adverſarius, ſed mea propemodum verba in Fabro, homine ſatis callido & emunctæ naris habet, hinc ſuadeo Refutatori, ut adverſarios, quos Romæ & alibi in regno Pontificio habet, prius proſternat, & tum demum aciem adverſus nos inſtruat. Denique Simoniacæ, & violentæ Patriarcharum intruſiones & extruſiones, quas tanquam pudendas nundinationes merito damnat Fabri, Pontifices & Pontificios ejusdem criminis reos arguunt, niſi id quod in Græcis peccatum eſt dicitur, in Latinis nomen virtutis meretur. Et ſane ipſi ita ſentiunt. Thomas à Jeſu p. 298. *Quid vero de Græcorum peccatis dicam? etenim inprimis dolendum maxime eſt, quam miſere in Simoniæ labem ac crimen corruerit nunc, illuſtriſſima olim natio; cum ſciamus à Turcarum Rege Epiſcopos evehi, & clerici inter Græcos pretio, & quo plus è Græcis aliquis offert aut largitur Turcarum Regi, eo magis ille extollitur ad dignitates, & amoventur qui ſunt in eis, cum plerunque majori data pecunia, in ſe transferri aliquem Epiſcopatum cupit, ægre ferentibus id aliis Græcis.* Sed heus bone Vir, qui alium doces, te ipſum non doces. Qui prædicas non furandum, furaris. Rom. 2, 21. Tu prior hæc p. 294. ſcripſiſti: *Deinde eo collimet ſua Sanctitas* (Pontificia) *ut vacante Eccleſia Patriarchali Conſtantinopolitana, inquirat in aliquot alumnos aut monachos, qui in Græcia Eccleſiaſticarum dignitatum munia adminiſtrant, ex quib. maxime idoneum eligi curet; cui nuncio quam fieri poteſt ſecretiſſimo (ne aliqua apud Græcos hujus rei naſcatur ſuſpicio) aperiat, ſe illi Eccleſiam Conſtantinopolitanam conferre, illumq; ejusdem Patriarcham eligere ac confirmare: ac pro-*

ac proinde jubere, ut eò se conferat, ubi tam Reipublicæ Venetæ, quam Christianissimi Regis Legatos reperiet à sua Sanctitate jam instructos, ut Turcam, à quo electio & confirmatio, licet injuriâ dependet, largitionibus inflectentes, & solito tributo aliquid addentes suaviter inducant, & viro tali Patriarchatu nationis Græcæ imperet assignari: quod vix quidem prolatum exorabunt, tantum dominatur illius Tyranni animo inexplebilis auri cupiditas: adeo ut sæpe numero non dubitet aliis promotis dignitates abrogare, quod vel experientia satis testatur, & in aliis officiis exempla assidua demonstrant. In qua re nullus apparet Simoniæ scrupulus, non enim pretio æstimatur Patriarchatus, quippe qui electo illi, à sua sanctitate jam condonatus sit, sed obstacula tantum pecuniarum falce resecantur. Ad redimendam enim vexationem, & tollenda impedimenta quæ possunt occurrere, hoc fieri posse communis & verissima est Doctorum sententia. Quarto. Cum Alexandrina & Antiochenæ Ecclesiarum electio, earumq; Patriarcharum, qui semper Græci sunt, confirmatio ab aula Constantinopolitana dependeat, eadem qua dictum est diligentia Legatorum opera est attendendum. Quod negotium haud dubie non minus felicem exitum consecuturum est, quam certum est, ibi nihil auro non esse pervium ac eluctabile. Per has technas arbitratur *brevi confectum fore, ut Patriarchæ sint futuri Catholici, omnesq; Græcos in sinum curiæ Romanæ reducturi.* Sic Simonia, si diis Romanis placuerit, non in se & sua natura erit peccatum. Sic poterit etiam Papa alteri alterius uxorem donare, & hoc modo adulterium palliare. Sic non Græci, nec alii quilibet ex numero currentium & prensantium, Simoniaci erunt, quorum in Papatu est frequentissimus numerus. A. 1647. exiit Romæ in publicum Jo. Bapt. Casalii de veteribus Sacris Christianorum ritibus, explanatio, quæ, dicente Hottingero in Allatio nimiæ temeritatis convicto, *& Patrem Romanum, & Patriam Romanam, & obstetricantes Romanos, & extraneos tum Ctos tum Theologos habet fautores*; iste Casalius in urbe, ubi scripsit Allatius, pronunciat, *Ecclesiam Græcam Schismaticam, & hæreticam esse.* Hos duos Casalium & Fabrum oppositos habuerat Allatio Hottingerus, respondet ipse, p. 307. *nunquam id inficias ivit Allatius. Is primus tentat dissensum in assensum convertere.* Verum si Allatio assensus fuisset Casalius cum suis laudatoribus, eo ipso tempore non sustinuisset contrarium scribere vel

admittere. Si Hon. Fabri tibi credere potuisset, in tuam utique sententiam pedibus iviſſet; at is post octennium te quasi refutavit. Quam insolens igitur est petitum, ut tibi soli, qui primus id duntaxat tentas, non perficis, nondum persuades tuis Romanis, fidem habeamus, tot catervis vero Paparum, Patriarcharum, Cardinalium, Episcoporum, Doctorum utiusque nationis derogemus? Quoniam vero Allatius non it inficias, se primum tentare dissensum in assensum convertere, qua fronte Hottingerum pag. 397. seqq. *falsificum & alienorum dictorum adulteratorem manifestum* appellitat, eo quod scribat: *huic uni* (Allatio) *major adhibenda fides, quam sexcentis aliis.* Regerit Refutator: *Quasi vero Leo suis plus tribuat, quam sexcentorum aliorum dictis.* Immo ita est, Leo, dum primus & solus assensum ex dissensu extruere conatur, plus sibi tribuit, quam sexcentis aliis: non omnes, quotquot ante Allatium sapuerunt, Papæi, Pontifices, Cardinales, Episcopi, Theologi, quorum numerus supra sexcentos ascendit, contrarium tenuerunt: quin etiam in me recipere ausim, ex unius Allatii scriptis, si non sexcentos, aliquot tamen centurias Græcorum consensui contradicentium evocare. Non igitur sexcentis duntaxat, sed millenis Scriptoribus, immo multis hominum myriadibus, & Ecclesiis integris sese præfert Allatius, sibique uni & primo ut omnes assurgant, satis pro imperio mandat, cæteris valere jussis. Alio adhuc modo dissensum à Pontificiis suum extenuat, nimirum: *Quid tum? non omnes scire possunt omnia. Et Leo, inter Græcos educatus, multo securius de illis, quam exteri & alieni scripsit.* §. 44. ad Ill. Boineburg. *Eo quidem nomine (quod Græcus est, & inter Græcos enutritus) quodammodo superbit Allatius, & sibi longe longeq; plurimum complacet. Non ita tamen insanit ut majorem sibi fidem quam sexcentis aliis adhiberi præsumat, qui sibi vel soli fidem habendam abnegat, quam aliis & minori numero præstat, imo si certa intelligis, fidem sibi prorsus demit, nisi testimoniis Doctorum Ecclesiæ confirmentur, & stabiliantur pag. 398. contra Hotting.* An ergo Allatius omnia scire potest, cùm aliàs non omnes omnia scire possint. Nemone præter Allatium inter Græcos fuit educatus & enutritus? Non Impp. Patriarchæ, Episcopi, Doctores Græci, Allatio adversi, qui sibi eo nomine haud minus complacere possunt?

sunt? De insania, quam ipse vocas, jam dixi. Tunc testimoniis Doctorum Ecclesiæ Græcæ tua placita confirmas? infirmas & destruis, scribere debebas. Bis tervè consensum emendicas in magno opere tuo, reliqua mera sunt dissensionis argumenta. Túne testimoniis Doctorum Ecclesiæ tuas opiniones stabilis? imo omnes, quotquot mordacissimo calamo compungis, testimonium contra te perhibent. neq; enim unus est ex maximo illo numero, in quem non Leonis instar sævias. Tune inter Græcos es educatus & enutritus? Natus quidem es Parentibus Græcis, religioni tamen non Græcanicæ, sed Romanæ addictis. Puer, vel admodum adolescens, ut dogmatibus Pontificiis magis instruerêre, Romam migrasti, reversus in Patriam, cùm literas ibi sublatas videres, neglectis omnibus Romam denuo repetiisti, in qua Urbe ab Anno 1614. vitam ducis. Post reditum itaque tuum, annos jam quinquaginta & unum Romæ vitam toleras, & tamen præ te fers, quasi omnem pæne ætatem in media Græcia contrivisses, in quam nunquam concessisti, nec aliqua ibi dignitate præfulsisti, & nihilominus tibi sumis te multo securius de rebus Græcis scribere posse, quam homines natos, educatos, & auctoritate illustres in Græcia, quàm Legatos Pontificios, quorum multi & olim, & hodie in Græciam missi fuerunt; quam alios quoscunque, qui & oculis, & auribus, plurima in regionibus & Ecclesiis istis usurparunt. Jam, cùm Goar in not. ad Eucholog. pag. 248. Arcudium, qui tamen aliquando per integrum vicennium Ecclesias Russicas inspexit, & Eccles. Rom. reddere voluit, moneat, ut permittat se â Neophyto Rhodino de certiore Ecclesiæ suæ praxi edoceri propterea, quia ipse (Arcudius scil.) Romæ diutius, quàm in Oriente, fuerit enutritus, quanto magis Allatius permittere deberet de certiore suæ Ecclesiæ praxi sese edoceri â Jeremia, Meletio, Critopulo, Patriarchis &c. quum ipse etiam Romæ diutius fuerit enutritus, quàm in Oriente, nec unquam Legatione istiusmodi, sicut Arcudius, fuerit functus. Sed cum ipse audeat, quod projectæ aliàs, ut alicubi loquitur, audaciæ homines non auderent, mirum non est, quod multo securius, quam alii, immo securissime omnium, famæ securus comentitium suum consensum orbi obtrudere voluerit, sed regrediemur ad crimen hæreseos Græc. Eccl. à Scriptor. Papæis exprobratum.

Testan-

Testantur Theologi Moguntini, *totam Ecclesiam Germanicam, in dogmate illo, de Sp. S. processione defeciſſe.* in anti Bec Crocii sect. 2. §. 1. p. 120. P. F. Bernardinus Vetweis ordinis FF. Minorum Regul. observ. Recollect. Provinc. Colon. SS. Th Lector Jubilatus, & totius Seraphici ordinis definitor generalis, in speculo veræ Ecclesiæ, ac falsarum Ecclesiarum A 1664. Colon. impresso, librum quartum operis sui, *Ecclesiis falsis, paganorum & politicorum, Iudæorum, Saracenorum, hæreticorum Orientalium & Occidentalium* destinans, capite quinto, operæ pretium se facturum esse existimavit, *tam ex ipsis Conciliis quam historicis Græcis demonstrare, quod moderna Græcorum secta, defecerit à doctrina veræ Ecclesiæ antiquæ, quæ primis quatuor sæculis in Græcia, uti & aliis partibus Orientalibus & Occidentalibus viguerit; quodq; per multos centenos annos per turpe Schisma in veram hæresin transierit.* Vel igitur iste *Vetweis* nomen & scripta Allatii, quorum aliqua, & inter illa, ipse consensus, Coloniæ sunt excusa, ignoravit, ignorantia pudenda prorsus, cum fama & contentio Allatii pro Ecclesia utraque, in gravissima disceptatione, viros in Papatu eruditos haud latere debeat, nisi iisdem, quibus Caucus, aliisq;, confixi sunt, subjacere velint diris: vel scivit judicavitq; Allatium contra fidem Conciliorum, & historicorum, consensum velle adstruere. Vel igitur Allatius, vel Vetweis habebitur falsidicus, quorum alter ex Conciliis & historicis Græcis perpetuum, in hunc usque diem, inter utramque Ecclesiam consensum, alter ex iisdem Conciliis & historicis dissensum, defectionem, schisma, hæresin, se probaturum promisit. Unde Vetweis in summaria demonstratione schismatis & hæresis Græcorum, act. 9. n. 12. scribit: *Ecclesia Græca tum ex S. Scriptura, tum ex SS. Patribus antiquis, tum ex propria confessione toties convicta, & tamen pertinaciter suis erroribus inhærens, & veritatem Catholicam condemnans, vere schismatica & hæretica est: adeoq; nullo modo vera Christi Ecclesia esse potest. Quamvis autem Græci post relapsum in suos errores & schisma, quæ abjurarunt in Concilio Florentino, paulo post ab impio Turca subjugati fuerint; nihilominus in superbia sua creverunt: Dum quatuor illorum Patriarchæ, Constantinopolitanus, Antiochenus, Alexandrinus, & Hierosolymitanus, sibi arroganter titulos maximos vendicant, ut refert P. Bernardinus Surius in sua Pragmatica lib. 1. c. 36. Anno 1649. ubi titulum Hiero-*

Hierosolymitanum exprimit, qui talis est: Euthymius DEI gratia beatissimus & sanctissimus Pater & Patriarcha, Pastor Pastorum, summus Pontifex universalis in sancta civitate Jerusalem, & tota Palæstina, Syria, Arabia &c. Similes titulos alii Patriarchæ usurpant, & qui nolunt verum Ecclesiæ caput, & Pastorem Christi Vicarium agnoscere, qui nunquam tales sibi titulos usurpat, sed se scribit servum servorum DEI juxta morem antiquum, confirmationem suam â Turcarum Imperatore pretio ingenti obtinere debent. Finit tandem Vetweis suo, vel certe Allatii, vel Ecclesiæ Romanæ incommodo: *Hinc sincerus lector finaliter observet, quam turpiter impingant Lutheri & Calvini sectatores; dum suæ Ecclesiæ amplitudinem & antiquitatem â Græcis Schismaticis probatam volunt. Constat enim 1. quod Græci schismatici ad summum circa annum 800. inceperint. 2. quod ipsi Græci licet sæpius requisiti Calvinistas & Lutheranos nullatenus suos confratres agnoscere voluerint nec potuerint; sed acerrime eorum errores per scripta edita confutarint. 3. quod Græci plerosque articulos cum Ecclesia Romana credant. E. contra ubi Græci â Catholica Romana dissident, etiam ipsi ab illis dissentiant: quandoquidem Acatholici cum Ecclesia Romana credunt Spiritum S. â Patre Filioque procedere; nec ipsi curant sive in azymo sive in fermentato suam cœnam ut volunt, Dominicam servent; qua fronte ergo se ad Græcorum Ecclesiam referunt?* usque adhuc Vettweis. Ex qua ratione, & quam ob causam Doctores Orthodoxi, qui Lutherum Præceptorem sequuntur, de Ecclesia Græca disputare soleant, sufficienter jam nobis demonstratum, eodemq; negotio probatum est, Ecclesiam illam in quibusdam nobiscum capitibus sentire, in aliquibus tamen etiam cum Papæis, quæ jam hûc non pertinent: illud autem ex verbis Vettweisii jubemus observare candidum lectorem, quàm turpiter impingant Allatius & sectatores, qui amplitudinem & antiquitatem suæ Ecclesiæ, auctoritate Græcor. Schismaticor. probatam volunt. Constat enim 1. eos â multis sæculis schisma fovisse. eosdemq; 2. sæpius requisitos, Pontificios fratres suos agnoscere noluisse, sed acerrime errores eorum per scripta edita confutasse. 3. liquet, Græcos tum in dogmatibus quib°dam, quæ nobiscum Papistæ habent communia, tum in quibusdam, quæ Græcorum cum Ecclesia nostra consensum exprimunt, tum denique in aliis â cœtu Romanensi

dissidere, qua ergo fronte se ad Græcorum Ecclesiam referunt, & de perpetuo consensu gloriantur? Quandoquidem igitur Viri Pontificii, qui hodie adhuc vivunt, scribunt, scripta Allatii legunt, dissensionem utriusq; Ecclesiæ lubentes fatentur, cur ipse tam inique fert, quod Lutherani & Calvinistæ in ipsius nolint descendere sententiam? Ne vero dicas, istum Vetweis esse unum hominem, tibiq; in multiplici lectione & eruditione, me non repugnante, haud quaquam comparandum; plures tibi dabo, qui legerunt & approbarunt istud opus. Agmen ducit Jac. de Riddere, Commissarius Generalis FF. Minorum per Provincias Germaniæ, Belgii & annexas: sequuntur: Guil. Herinex SS. Th. Lector, Arnol. Mylius ê Soc. J. Theol. Prof. judicantes, *hoc speculum esse sine macula:* Th. Martini SS. Th Lect. & Guardianus, Arn. Cæsarius SS. Theol. Lect. Bonav. Goffa, SS. Theol. Lect. Gualth. Höen, Josephus Biburg, Didac. Simrock, Jo. Huart, Casp. German, Bruno Neusser, Georg. Eckardus, Wilh. Ritz, Car. Porten, omnes Lectores Theologiæ; P. de Walenburch Episcop. Mys. A. J. Volusius D. Protonot. Apost. consil. & sigillifer Major Mogunt. & librorum censor. Jo. Francken Sierstorff, J. U. D. Gymn. Laur. Regens, ac librorum censor, hi omnes, quorum quidam Coloniæ, quidam Moguntiæ, Confluentiæ Aquisgrani, Bonnæ, approbationes suas scripserunt, testantur, *hoc opus veritati nihil contrarium habere, Ecclesiamq; Romanam sine omni etiam possibili erroris aut falsitatis macula, aliarum ab hac Apostatantium sectarum abominabiles deformitates clarissimè exhibere.* Vide igitur, mi Allati, ut prius de tuorum consensu certus sis, deinde eundem ab aliis require. Certe Nobilis ille methodi Veronianæ interpolator, P. â Walenburch, sententiam tuam non potuit ignorare, minimum ex controversia, quæ ipsi, fratriq; cum D. Haberkornio, pro Jesuita Rosenthalio intercessit; vocaverat Rosenthalius *Græcos Schismaticos, qui se â sede Apostolica segregarint*, reposuit Haberkornius, videret ipse, quomodo cum Allatio conveniret: Fratres autem Walenburchii patrocinium Loiolitæ suscipientes, silent ad mentionem Allatii, suoque silentio attestantur, eum consensionem perpetuam jactando, perpetuum potius dissensum ex propriis Græcorum verbis demonstrasse. v. laudatus D. D. Haberk. in disp. Anti Rosenth. it. disp. Anti Wal. 4. & Vindic. Anti For. d. 25. p. 571.

ubi

ubi *vafrum & astutum, miserum tamen simul artificium, & μεθοδείας* nostri Chii artificiose detegit, totamq; suam contra Allatium tractationem memorabili hoc Principis cujusdam Papistici judicio concludit: *Ex quibus omnibus nunc sole meridiano clarius est, turpissime & contra omnem veritatem Allatium perpetuum Græcorum cum Latinis consensum jactare, & Forerum temere ad Illum provocare. Adeo ut Princeps quidam Papismo aliàs addictissimus, nuper in colloquio mecum habito dixerit, Allatium, quem senem Romæ viderit, consensum illum Græcorum cum Latinis nimis extendisse, pro consensu quorundam, in quibusdam, & quandoque, consensum perpetuum & universalem ponendo. Id quod omnino falsum sit.* Succenset mihi Allatius, quod scripsi, consensum Allatianum esse dissensum, nec fortassis contrarium persuasum esse D. Boineburgio, viro non tam dignatione, quàm eruditione Illustri. Succenseat igitur etiam Principi illustrissimo, simile judicium ferenti. Adhuc ergo asseverare ausim, acutiores & cordatiores Pontificios calculum suum nostræ censuræ non denegaturos, in qua me noviter confirmavit scheda Cl. & longe Doctissimi Gr. L. & Histor. in Academia Giessensi Professoris, Jo. Conr. Dieterici scribentis: *Cùm Monasterii inviserem, eo anno, quo pacificatio solennis facta fuerat, Bernhardum â Mallinkrot, Decanum septuagenarium Monasterienſis Capituli; prima statim ad me verba fuere, cum præ manibus haberet librum Allatii: Ille, ait, scripsit de concordia Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis, qua tamen Concordia nihil discordius. Titulus libri debuisset esse, si veritatis auctor habuisset rationem, de discordia O. & O. E. Addebat & alia de simultatibus & dissensionibus ordinum inter se, maxime ex Jesuitarum flabello. Ingenue sensit de aliis inter se controversiis, sed illa libertas, forsitan eum ad carcerem perpetuum damnavit.* De Jo. Francken Sierstorff librorum censore non habeo quid dicam, nam quidam Henr. Francken Sierstorff librorum Coloniæ censor A. 1648. *lubentissime Approbationi Romanæ*, qua liber Allatii â Magistro Palatii ornatus fuit, *subscripsit*. Unus ne sit Sierstorffius, qui contraria approbet, an duo, quorum alter album, alter nigrum eligat calculum, nos non valde curamus, qui Allatium cum suis sociis committimus. Ille autem Adolph. Godefrid. Volusius in Aurora Pacis religiosæ divinæ veritati Amica, Moguntiæ A. 1665. exorta, (caliginem divinæ luci inimicam

micam & offusam vocare debuisset) cùm ex opere tuo Perpetui Consensus de schismate Græcor. deq; eorum sub diversis temporibus, reductione, nonnulla adduxisset, subjungit: *Moderni Græci, licet in capitibus suis, h. e. in Patriarchis, Metropolitis, & Episcopis, tum etiam monachis & sacerdotibus sæcularibus plerisq;, Schismati adhæreant: non desunt tamen inter illos hierarchæ qui publice vel occulte cum catholica Romana Ecclesia communicant.* Judicet sanus Lector, utrum Volusius â nobis, non ab Allatio propius absit. De occultis vero hoc est Bellar. T. 2. l. 3. de Laic. c. 19. judicium: *Ista opinio facit veram Ecclesiam omnino occultam & invisibilem; imo ex solis adulatoribus & simulatoribus conflatam, aliud enim ore profitentur, aliud in corde celant, & similes sunt Herodi, qui cum Ethnicis erat Ethnicus, cum Judæis Judæus. Adde, quod fatetur Cassander* (Volusius) *suos istos collegas esse paucos & occultos, sed hinc apparet, eos non posse Ecclesiam constituere; nam Ecclesia est manifesta & visibilis adeo, ut à Domino Matth. 5. dicatur civitas super montem posita. Deniq;, vera Ecclesia sine Pastoribus esse non potest, ad Eph. 4. isti autem homines occulti nullos pastores habent, nec habere possunt, dum ita manent occulti, proinde nullam Ecclesiam.* Sed sinamus Volusium & Allatium & Vetweissium in contradictoriis versantes laudantem, rem suam cum Bellarmino & Allatio, Allatium vero cum Vetweissio, & tot censoribus & approbatoribus, transigere.

§. 3. Posthæc, Græcos pro hæreticis habitos fuisse, probaveram quoq; ex eo, quia vi & armis in eos fuisset sævitum â Latinis, idq; Allatium fateri, nigrumq; theta adhuc suis popularibus præfigere, hac nostra addita epicrisi: *non existimassem hominem Theologum in suos populares tam truculentam ferre sententiam, proscribendos nim. eos esse, exterminandos, puniendos, & pertinaces occidendos, cremandos. Austerum hoc videtur hæretico &c.* iterum cum rugitu proclamat noster Leo. Sed, nisi ipse enormis esses hæreticus, hæreticum me non vocares: docuerit te hoc Cyrillus, aliud me docuit Magister Cyrilli, Christus, qui Luc. 14, 26. hoc hypomnema discipulis suis relinquit: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, & adhuc animam suam, non potest meus esse discipulus.* Amor igitur Dei amori parentum est præponendus, sed num propterea, parentes, uxores, fratres, sorores,

rores, liberos, immo & propriam vitam Christus jubet proscribere, exterminare, punire, occidere, cremare? Id â mitissimo servatoris hominum non occisoris ingenio est alienissimum. Igitur illud μισεῖν odisse ex hebraismo nihil aliud est, quàm ἐν δευτέροις ἔχειν, postponere: est odium non positivum, quasi naturalem στοργὴν nos exuere juberet, sed comparativum, quo parentes & affectus nostros minus amamus. Quæ phrasis scripturæ Allatio, tanquam Doctori Theologo, non debet esse ignota. Christus ipse ita exponit Matt. 10. 37. *Qui amat patrem & matrem, plus quam me, non est me dignus. Et qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus.* Eusebii in Cat. ad Luc. 14. 26. hæc est expositio: *Parentes siquidem lege naturæ honorandi sunt, sed cum nobis sit alius quoq; Pater, progenitoribus nostris carnalibus præstantior (ille autem est verbum DEI proposita præcipiens) corporales parentes ait non majori quam verbum DEI, quod secundum animam spiritumq; nos genuit, amore complectendos esse; sed illis quidem omnem honorem exhibendum, affectu scilicet iis conveniente; hoc vero, honore & amore quodam omnem modum & mensuram excedente honorandum & super omnia diligendum esse, ita ut non pigeat nos etiam propter ipsum impios Parentes deserere, & â fratribus DEO invisis separari, â filiis etiam filiabusq; sejungi, & Dei verbo, quovis gladio ancipiti acutiore* (non gladio militari) *naturalia hæc amoris philtra omnia vinculaq; rescindere, si pio affectui remoram aliquam obstaculumque objecerint.* Gregorius M. Pontifex paucis rem expedit, quærens: *An simul & odisse possumus & diligere? respondet. Si vim præcepti perpendimus, utrumque agere per discretionem valemus: ut eos qui nobis carnis cognatione conjuncti sunt, & quos proximos novimus, diligamus; & quos adversarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo nesciamus.* hom. 27. in Evang. Et hæc est etiam mens Cyrilli Alexandrini, â te citati, qui tantum abest, ut dicat, parentes, liberos, fratres, populares, fidem violantes, occidendos & cremandos esse, ut nos potius mori jubeat: is igitur cùm mortem appetere satius judicet, quàm pietatem in Deum violare, quomodo tu eum prote loquentem laudare potes, quasi tecum statueret, populariibus hæretodoxis mortem inferendum esse? Iterum animadvertis, quotiens & in citando, & in ratiocinando â germano sensu, sive per fraudem, sive per incogitantiam aberres?

§. 4. Conqueritur autem de violento hoc convertendi homines modo, recentior Cyrillus Alexandriæ tum adhuc Papa & Patriarcha, in ep. ad Jo. Vytenbogardum, An. 1613. in Valachia data, & haud vanus haruſpex metuit, ne Jeſuitæ ipſam quoque Conſtantinopolin aggredi audeant, omniaq; terroribus, fugis, exiliis, cædibus, ſicut in Polonia, Lituania, & Ruſſia, permiſceant. Accidit iſti miſero, quod præſaga quaſi mente tum temporis extimeſcebat. Hiſtoriam vitæ & mortis hujus Cyrilli, Patriarchæ Conſtantinopolitani, apud alios quæras licet; nos, qui dogmata Calviniana non defendimus, illud tamen prætermittere non poſſumus, quod videlicet, delationibus & calumniis Papiſtarum circumventus, juſſu Imp. Turcici laqueo ſtrangulatus & in mare projectus fuerit. Allatius hoc aſtute diſſimulat, & quaſi Pontificii extra omnem forent culpam, p. 1075. P. C. ſcribit, *eum â Græcis facta Cyrilli deteſtantibus, totius cleri aſſenſu de throno deturbatum, carceri incluſum, & paucis poſt diebus juſſu Turcarum Principis necatum eſſe.* Sed Angelus Petricca. p. 35. operis ſui, dicit: *Se dejeciſſe atque proſtraviſſe Cyrillum Lucarim* damnatæ memoriæ Conſtantinopol. Eccleſiæ Antiſtitem. Cùm vero hæc res memoratu digna, & minime obvia ſit, operæ pretium me facturum confido, ſi hujus hominis narrationem cum lectore communicavero. Hic igitur Fr. Petricca â Sonnino Ord. Min. Conv. AA. & Th. D. ſacræ Congregationis pro emendatione Euchologii Theologus, & olim Vicarius Patriarchalis Conſtantinopolitanus in operæ Romæ A. 1647. edito cujus Inſcriptio: *Turris Davidis, in Dedic. ad Innocent. X. ſcribit: Confeci Pater Beatiſſime, opus de militante & Triumphante Eccleſia, adverſus hujus temporis hæreticos, ea occaſione inchoatum, quia in Conſtantinopolitana Vrbe Calviniſtarum fraus, quæ propagari cæperat, me cooperante profligata fuit, atque fugata, ut ex ſolemni, ac ſynodali anathematiſmo ibidem contra eos edito, & ex Catholicæ fidei profeſſione, ab ejusdem Vrbis Antiſtite emiſſa, & ad ſedem Apoſtolicam directa, palam omnibus apparuit.* Id. epiſt. ad Lect. *Hujus operis ratio duplex eſt, optime Lector. Gerente enim me vices Patriarchæ in Vrbe Conſtantinopoli, Calviniſtæ, cum Græcorum Patriarcha, Cyrillo Lucari, unionem quandam circa religionem confinxerant, eamq; ſuperioribus annis typis editam, per multas Europæ provincias promulgaverant. Quod cum Apoſtolica*

licæ sedis Antistes cognovisset, tale fœdus, vere diabolicum dissolvendum, ac diruendum veritatis gladio, præcepit: & quod juste mandavit, tandem obtinuit, expulsus namque fuit à Patriarchali sede, jussu Turcarum Tyranni Cyrillus Lucaris, & justo DEI judicio præter expectationem, in mare præcipitatus, dedit sui sceleris dignissimas pœnas. Assumtus proinde immediate fuit ad Patriarchalem thronum Cyrillus Boërtensis, impiæ Calvini doctrinæ infensissimus, schismaticus tamen, Apostolicæ sedi inobediens, & consuetis Græcorum erroribus infectus. DEO autem adjuvante, post aliqua colloquia, schisma, me suadente, ac enixe rogante, dimisit, Fidem Catholicam professus est, illamq; literis exaratam, Sanctissimo Domino Vrbano VIII. per certos Apocrisiarios direxit; scriptis literis ad illum, obedientia, reverentia, ac animi subjectione plenis. anathematizato insuper solemniter unà cum pluribus Græcorum Præsulibus prædicto Cyrillo Lucari, cum Calvino simul & Calvinistis; nunquam Orientalem Eccl. illorum iniquam doctrinam habuisse, imo inauditam in illis partibus extitisse, protestatus est.

Adjungitur exemplum literarum ut ipsi vocant Apostolicarum, quas Summus Pontifex Urbanus VIII. per dilectum suum filium Vicarium Patriarchalem Constantinopolitanum, Petriccam, Patriarchæ Constantinopolitano, post acceptam ab eo Fidei Catholicæ professionem, ac obedientiæ exhibitionem, dedit.

Venerabili Fratri Cyrillo de Veria Patriarchæ Constantinopolitano. *extra.*

Urbanus Papa VIII.

Intus.

Venerabilis Frater salutem, & Apostolicam benedictionem.

Vberem Christianæ consolationis fructum, ex Fraternitatis tuæ literis percepimus, quibus eximiam erga nos, & Apostolicam sedem pietatem, atque observantiam luculenter testaris. Complectimur te brachiis Pontificiæ charitatis, & solemnem fidei orthodoxæ professionem, ad nos missam, perlibenter accepimus. Neq; minus solatii solicitudini nostræ partum esse fatemur, dum periculum quod imminere videbatur, Omnipotentis ope subtractum esse, atque exitiosas Cyrilli Lucaris Hæreses à te aliisq; Præsulibus Christiano-

stianarum virtutum Zelo communitis, improbatas fuisse, audivimus. Tam pro vigilis constantiæ documento universæ Ecclesiæ laudes promeritus es, Venerabilis Frater; dum mendacissimam doctrinam, qua nefarius veræ religionis hostis omnem Orientem perniciosis errorum tenebris obvolvere conatus fuerat, proscripsisti. dissipavit Dominus iniquorum consilia: viam fecit semitæ iræ suæ; non pepercit â morte, docuit q; miserrimo illius exitu dignas reos animadversione â se puniri, qui reddit unicuiq; juxta opera sua. Ad hunc statum cum res deducta sit, tuum erit, omne studiū ac diligentiam adhibere, ut falsa Calvini dogmata, quæ idem Lucaris magno plurimorum damno disseminare adnixus est, te Catholicam fidem propugnante, ex populorum mentibus penitus evellantur. Id autem ex animi sententia cedet, si sedulo curaveris, ut Prælati ac Parochi impiis hæresium commentis decepti, aut resipiscant, aut ab Ecclesiis removeantur, eorumq; munus Catholicis demandetur. Id sane si præstiteris, Altissimus qui dives est misericordia, labores tuos prosperis eventibus cumulabit. Nos vero te omni ope & officio tueri minime prætermittemus, atq; â Catholicis Principibus, quorum Patrocinium tuis rebus oportunum fore videbitur, majorem in modum postulabimus, ut per suos ministros isthic commorantes, te ubi usus venerit, impense adjuvent. Datum Romæ die 30. April. A. 1639. Pontificatus nostri anno 16.

Julius Rospigliosius.

Cæterum, nostrum nunc non est in vitam & mores Cyrilli Berrhoënsis inquirere, quem satis flagitiosum & improbum describunt nonnulli, certe supplicium quod sustinuit ultimum (laqueo enim, quo genere mortis antecessorem suum extinctum esse lætatus fuerat, ipse quoque à Turcis fuit suffocatus) videtur aliquid habere ex vindicta divina & jure talionis. Sane, si Berrhoënsis Cyrillus calumniis Lucaris circumscriptus, vitam suam ita finire coactus fuisset, Lucaris vero postea reste itidem periisset, Pontificii omnes pleno gutture more Baroniano non absque rhetoricis amplificationibus exclamaturi fuissent, manifestum hoc esse nemeseos divinæ indicium. Allatium si audimus, Cyrillus iste Berrhoënsis *Vir fuit probus, pius, melioribus temporibus dignus, de quo etiam in numerum SS. Martyrum referendo Romæ jam actum sit:* P.C.

3,11,

3,11,5. haud parum tamen ipsemet eidem de pietatis & probitatis opinione detrahit, quando memorat: eum propterea, *quod â Cyrillo Lucari Episcopatum Thessalonicensem exorare nequivisset, iram facem subministrante odia capitalia in Cyrillum exercuisse, quæ neque novis promissis, neq; amicorum intercessionibus, neque ullo alio beneficentiæ munere restincta fuerint.* Ecce, virum præconio Papistico probum, pium, sanctum, & tamen ingratum, impium in Patrem Spiritualem & Promotorem, nullo modo reconciliabilem. Pergit: *Hinc frequentes insidiæ, & sæpius pertentatæ ab utroque fraudes, Constantinopolitanum Clerum exagitarunt; donec ejecto Cyrillo suffocatoq;, ipse Patriarchatum iniit.* agnoscis, per insidias & fraudes Berrhoënsis Lucarem ejectum & interemtum esse. *Iracunde, non tantum verbo, sed sæpe etiam manu, cum Præsulibus agebat: ideoque multorum invidiam subiit, qui simul omnes cum Parthenio conspirantes, immerentem contumelioſe ê sede trudunt, & Tunetum ablegant.* Quem Paulus, ut πλήκτην sive percussorem 1. Tim. III. 3. Episcopatu indignum judicat, eum Allatius non modo nominat probum, sed etiam immerentem ê sede trusum esse dicit. Atq; sic fraudum & insidiarum architecti, irreconciliabiles, & percussores thronis Patriarchalibus, immo etiam apotheosi sive canonizatione, uti vocant, juxta anti-Paulinum & antichristianum Allatium sunt digni. De Petricca illud moneo notandum esse, eum malâ fide agere, si quidem Allatius bona fide egerit. Refert Petricca; Berrhoensem in thronum Patriarchalem evectum, fuisse adhuc schismaticum, Apostolicæ sedi inobedientem, se autem suadente, & enixe rog..nte, eum fidem catholicam demum professum esse. At, quid opus erat, ut enixe id peteretur ab eo, qui obsequiosissimus Jesuitarum fuerat discipulus, qui, episcopatum Berrhoënsem oblatum per Timotheum Patriarcham tum Constantinopolitanum, *â Pontifice Romano non dissentientem*, sicut de isto Timotheo loquitur Arcudius, dedic. operis de Concord. *nec â fide Catholica alienum*, dicente Dionys. Guillio Jesuita, inconsulto Præceptore suo Guillio acceptare noluit, qui etiam Magistri semper memor, ut primum thronum conscendit, Dionysium ut secum vitam degat, arcessere voluit, quæ omnia nobis prodidit Allatius *P.* C. 3, 11, 5. clarius adhuc Petricca redargui potest ex §. 2. loc. cit. ubi

Allatius: *Jesuitæ Byzanthii, multos ante annos fixerunt sedem, amplas Collegii ædes extruxerunt, bibliothecam comparârunt numerosam, & sua non parum promoverunt commoda, multosq; ex plebe in partes suas pellexerunt; &, cum absque ullo stipendio pueros erudirent, aliaq; sacra ministeria exercerent: magnam sibi auram captarunt. His cum se opponeret Patriarcha Cyrillus Lucaris A. 1622. Græci omnes, & qui Græcanicas traditiones ac Patrum doctrinam sectabantur, ne labes Calvinistica, Patriarchæ auctoritate, in eam Ecclesiam irreperet, Patriarcham communi suffragio cathedra movent, & in ejus locum substituunt alium, qui, sedi Romanæ obsequium pollicitus per literas, Pontifici se submiserat. Sed cum nollet ille cedere, & sectam ejurare, imo novis machinis Patriarchatum sibi, factione nonnullorum Episcoporum* (modo dixerat, Græcos omnes Lucarim deposuisse) *qui idem fermentum sapiebant, Græci* (debuisset scribere: Papistæ) *viginti millium Daleriorum promissione impetrarunt, ut apprehensus, captivus in Insulam Rhodum relegaretur, & Catholicus Græcus sufficeretur.* Si Græci petierunt, ut catholicus Græcus, nim. Berrhoënsis Lucari sufficeretur, qua ratione Petriccæ tam enixe laborandum fuit, ut novum Patriarcham Papæ subderet? Atque sic Petricca, qui antea testimonium contra Allatium dixit, nunc vicissim ab Allatio mendacii arguitur. Tam veraces videlicet sunt scriptores & Doctores Pontificii. Justa sæpe indignatione commoveor, quotiens in Bellarmino ac Allatio, aliisque, centies, sed vanissime repetitas lego voces: mendacium hoc est hæreticorum; primum, secundum, tertium &c. mendacium; simulq; ipsos ejus criminis reos innumeris vicibus manifesto deprehendo, adeo, ut nonnunquam mecum existimem istam falsiloquentiam in ipsorum cum insano adversus nos ardore, quem vulgo Zelum vocant, abiisse naturam. Verum, sinamus eos mendacia mendaciis contegere, ne perpluant.

SECTIO V.

De Primatu Papæ Oecumenico.

Synopsis.

Nili, Barlaami, Jeremiæ, doctrina; titulus œcumenici improbatus â Leone IX. Dissensus firmatur ex Cyrillo, Meletio, Metroph.

Ex

Ex Bell. Valeriano, Possev. Allat. Goare. Ex Fabro contra All. & Ecchell. Ex Bulla Gregorii IX. Rursus contra All. disputatur. Bulla Pii IV. & narratio Th. Bozii afferuntur. Crimen læsæ Maj. Pontificiæ grandius; quàm læsæ Maj. divinæ.

§. 1. Tractatus Nili & Barlaami sunt notissimi adversus Primatum Papæ conscripti: Jeremias autem Patriarcha resp. l. p. 103. scribit: ἐπεὶ τοίνυν ἡ καθ' ἡμᾶς ἁγία τοῦ Θεοῦ ἐκκλησία πατρὶς ἐστὶ τῶν ἐκκλησιῶν, καὶ ἡγεμονεῖ ἐν τῇ γνώσει τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ, καὶ τὸ ἄστιλον αὐχεῖ ἐν τοῖς λαμπρύνσεσι τῶν Ἀποστολικῶν καὶ πατρικῶν διδαγμάτων, καὶ ἤδη τὰ πρεσβεῖα τῆς ὀρθοδοξίας εἴληφε, καὶ εἰς κεφαλὴν πέφυκεν. *Quoniam igitur, quæ apud nos est Sancta DEI Ecclesia, Patria Ecclesiarum est: & per gratiam Dei excellit cognitione: & de sinceritate gloriatur, in claritate Apostolorum & Patricorum institutorum; & jam hæc nova in prærogativam orthodoxæ seu rectæ de rebus divinis existimationis, successit, capitis q; locum obtinet.* Hic ipse vocat se Patriarcham Oecumenicum, de quo epitheto quid Leo Papa sentiat, edisserat Baronius. Cum Michael Cerularius hunc titulum sibi sumeret, Leo IX. apud Baron. A. 1054. n. 12. ita conquestus est: *Qualis vero & quam detestabilis atque lamentabilis est illa sacrilega usurpatio, quare universalem Patriarcham jactas ubiq; & scripto & verbo, cum omnis DEI amicus hujusmodi hactenus horruerit honorari vocabulo? & quis post Christum convenientius posset insigniri hoc vocabulo, quam cui dicitur divina voce: tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam &c. Verum quia ille non invenitur universalis Apostolus dictus, quamvis Princeps Apostolorum sit constitutus: nullus successorum ejus, tam prodigioso prænomine consentit appellari penitus, licet magno Leoni prædecessori nostro, & successoribus ipsius, hoc sancta decreverit Chalcedonensis synodus: Nempe animadvertebant, non esse amicum Sponsi, qui pro sponso vellet amari: quin potius paranymphum, & lenonem Antichristi, qui adversatur & extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Hæc contra Constantinopolitanum, nec minus contra successores suos Papa Romanus. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus ad Jo. Vytenbogardum inter alia scribit: *hinc fit* (quia Græci additionem in Symbolo respuunt) *quod diræ Græcis obnuncientur, Schismatici habeantur, imo impii, quia Romano Episcopo, qui, (ut ajunt) errare non potest, adversentur.*

Cum autem *Græci instent, atq; probent, non esse, neque se velle cognoscere in Rom. Ecclesia plus auctoritatis, neque per divinas, neque per humanas leges, quam in propriis Patriarchis, ideoque ut iis, sic Romano esse facile posse labi, insurgit eis σωνῆν & Jesuitarum, inter quos Aristarchus quidam, Sanderus nomine, in suo Chronologio, qui profuse plures recenset (si diis placet) errores Græcorum, at omnes in unum tendunt, nil enim omnes essent, si tantum Papæ Rom. crederent, eumq; superiorem vellent, atque profiterentur in terris Christi vicarium, quia vero hoc negant facturi, excommunicantur & condemnantur.* Epist. Vir. Erud. & Præstant. p. 402. Cyrillo suus prævit Præceptor Meletius, Antistes Alexandrinus, postea Constantinopolit. is in literis ad Sigismundum III. Regem Poloniæ A. 1600. datis, probat, Pontificem Romanum non esse caput Ecclesiæ, cùm *aliud esse non possit præter D. N. Jesum Christum, nisi biceps aliquod corpus, aut potius monstrum corporis fingere velimus.* Alibi idem Meletius ἄτοπον & ἀδυνατον, *absurdum & impossibile hoc esse* demonstrat. v. Hotting. *P.* 5. H. Eccles. p. 62. seqq. ubi nonnulla ex scriptis Meletii contra Pontificem & Pontificios excerpta reperies. Extat ejusdem mixta cum querimonia de injuriis Pontificiorum professio fidei in literis ad V. Nob. J. Dousam datis, ubi hæc inter cætera visuntur: *Rom. Pontificem*, (à cujus antecessoribus *symbolum esse* dicit *adulteratum*) *Romanum agnoscimus Pontificem. Christum unum Universalis Ecclesiæ universale caput cum Paulo prædicamus. eundem esse lapidem illum σκάνδαλον, in quo construendam esse Ecclesiam ipse dixit, ipsum ex ipsius verbis agnoscimus.* καὶ ὅτι τοῦτον, *namque ait,* Τὴν πέτραν (καὶ πέτρα Paulus dicitur ὁ Χριστὸς) *neque enim in te Petro, sed in me (ut vigilantissime diligentissimus notat Augustinus) ædificabo dicit Ecclesiam meam. Hæc quum ita credamus, nescio quamobrem audeant nonnulli (id quod satis impie fecit Sanderus) Ecclesiam Orientalem cum diaboli Ecclesia (ô scelus infandum!) conjugare.* pag. 119. Epist. G. Dousæ de Itin. Const. Metrophanes, Critop. Patriarcha Alexandrinus post Meletium & Cyrillum asserit: *nunquam in Ecclesia Catholica auditum fuit, hominem mortalem & quam plurimis obnoxium peccatis, caput Ecclesiæ vocari. Ille enim homo cum sit, morti subjectus est. Interea autem, dum alius ipsi successor eligatur, Ecclesiam sine capite esse necesse est. &c. Indiget porro Ecclesia tali capite, quod in sublimi constitutum, &*

natura

naturæ quidem divinæ particeps, omnia observare, atque ad melius dirigere queat. &c. Hæc igitur cum sciant quatuor sanctissimi & beatissimi universalis Ecclesiæ Patriarchæ, successores Apostolorum, & veritatis propugnatores, neminem in universum caput appellari volunt, contenti capite illo, de quo antea dictum, Deificato & omnipotente, quod ad dextram Patris sedet, rerumq; omnium supremam habet inspectionem & potestatem. c. 23. p. 158. seqq.

§. 2. Et ne Cyrillum duntaxat, Meletium & Metrophan. hoc scribere putes, habeto etiam Bellarm. T. 1. præf. in libb. de Rom. Pontif. in Græcos ita perorantem: *Græcorum æmulatio ac superbia non ante destitit cum hac sede bellum gerere, quam ipsi â Turcarum Imperatore oppressi religionem quoq; cum dignitate amiserunt.* Mox infert, *nullam in Græca Ecclesia* posse esse consensionem *in doctrina, nullum vinculum Pacis, nullam unitatem fidei, nullam salutem & vitam religionis, quippe quæ non nisi â sede Romana proveniat, eoq; factum esse, ut Græci per 800. ferme annos ne unam quidem Synodum celebrarint, in argumentum mutuæ consensionis & pacis.* Post illa: *primos qui serio primatum Rom. Pontif. oppugnarint, Græcos fuisse* existimat, quod & *secundum seriem sæculorum* deducit. *Cœtus Græcanicus detrectat Rom. Pontificis auctoritatem, quâ est Christi Vicarius. Aliqui quidem communicabant in confessione fidei cum Pontifice Rom. quem etiam colebant, velut primum inter Patriarchas, & supremum in ordine Ecclesiastico, sepositio tamen Vicariatu Christi, cui contradicebant. Hi ob id nequaquam habiti sunt hæretici, sed schismatici: quod partem Ecclesiæ separarent â visibili capite, salva ac integra fide, quoad reliqua.* Ita Valerianus Magn. Capucc. part. 3. Regul. cred. pag. 72. 82. Possev. lib. 6. bibl. c. 24. de ratione cum Græcis agendi eosque convertendi, consilia præscribens, monet, *de controversiis vel nihil, vel si id nonnunquam fieri deberet, parce, opportune, commode agendum esse ne seditiones moveantur, & animi alienentur, cumque alias quæstiones fortasse essent admissuri, primatum tamen Pontificis ægre ipsis persuasum iri.* Judicio Thomæ â Jesu *divinitus factum est, ut Græci, ubi in superbiam elati, Romanam sedem omnium Eccles. matrem aspernari cæperunt, & splendorem Imperii, & quod majus est in varios errores prolapsi, orthodoxam fidem amitterent*: item; *quia ordinem â Christo institutū, & honorem Petri successoribus*

soribus debitum, tumore superbiæ excæcati arripere & perturbare conati sunt, ipsi potius perturbati atque confusi sunt, Turcarum mancipia effecti. p. 231. 238. Ipse Allat. P. C. 2, 16, 1. Gregoram, Pachymeram, Petrum Antiochenum, Barlaamum, devastationem Græciæ deplorantes alloquitur: *Et tu perduras adhuc in sententia, nec causam tollis? tanti mali causa, Ecclesiarum dissidium est; Papa neglectus iram DEI in Græcos succendit; & tu dissidium adhuc foves, nec Papam uti debes recognoscis, nec habes eo in loco, quo prius, dum felix adhuc eras, habebas? plagas pateris, & ridiculus esse vis? stuporem jam tandem excute; tyrannidem qua opprimeris, sanior dimove, & disploso dissidio, unionem cum Ecclesia Rom. ut felix ac fortunatus vivas amplectere.* Quod mihi Allati confingis dissidium in perpetuo consensu? quam suades unionem, nulla unquam facta divisione? quem Ecclesiæ Græcæ appingis neglectum Papæ, *cujus ipsa* (uti mox dices) *â DEO concessam auctoritatem nunquam negavit, quam in omnibus fidei professionibus ebuccinat, sub cujus ductu se in his terris militare fatetur?* Amorem & reverentiam erga Papam Romanum etiam Jac. Goar epist. ad Nihus. operi Allatiano suffixa p. 1659. repræsentat: *Si quando cum Latinis contingat Græcos de ritibus controversis agere, nihil quod ad praxin nostram pertineat, objiciunt: insurgunt adversus Papam; rejiciunt purgatorium, & alia id genus similia proponunt.* Prodeant etiam tres in Romanensi Græcorum collegio scitis papalibus imbuti viri, & testimonium perhibeant de veneratione Pontificis inter Græcos. Michael Mellinus Cretensis, qui, redux in Patriam, â Parentibus Schismaticis, dum eos ad obsequium Romani Pontificis pellicere conatur, domo expellitur, & bonis privatur. Michaelem Venerium Cretensem A. ætatis 14. gravis oculorum morbus invasit, ideoq; tutandæ lucis causa in Patriam remeat. Interrogatur â Parentibus, quidnam Romæ didicerit? &: multa sane, inquit, eaq; gratissima; cùm didicerim Romanum Pontificem esse Ecclesiæ caput, pœnisque æternis addictum esse, qui id non fatetur. Irâ parentes perciti, domo eum protrudunt ex Patria: ille voluntarium perpetuumq; exilium, donec parentibus vita fuit, solemnissime pertulit. Jo. Pamphilus Andrius post studia in patriam remeans, quod Roman. Ecclesiam propugnaret, maximis periculis objectus, & lignis, ac bubulis coriis cæsus, tortusq; ad necem,

necem, triremibus condemnatur; â quibus postea Latini illius urbis Episcopi industriâ liberatur. Non sunt isthæc mea, sed debentur calamo Allatiano P.C.3,7.10. qui tamen eod. lib. c.10. f. satis deprædicare nequit, quantopere *Græci Majestatem Pontificis Rom. venerentur, adeo, ut filios suos Romam mittant, veræ doctrinæ hauriendæ gratia; hosq; postea reversos, in maxima apud omnes esse æstimatione; facultatem etiam ipsis ab Episcopis Græcis fieri, ut quam didicerint doctrinam, alios doceant, & palam populo in Ecclesiis annuncient.* Quod falsissimum esse exemplamodo ex Allatio producta convincunt. Indifferentium apud Honor. Fabri hæc quoque est objectio p.271. *nunquam auditum esse in toto oriente, unitatem totius Ecclesiæ, â communione cum Episcopo Romano dependere, unde gentes multæ in Oriente & versus meridiem â Lusitanis inventæ, quæ fidem Christianam inter tot nationes infidelium conservarint, ignoraverint, utrum esset aliquis in orbe Christiano Romanus Pontifex*; huic objectioni ita occurrit Jesuita Romanus p. 276. *Quod nulla traditionis hujus vestigia in meridie & oriente â Lusitanis observata sint, quid mirum; cum â Græcis & Alexandrinis suas* Leges, *ac mysticas suos acciperent, qui jam dudum Ecclesiæ Romanæ infensi illius nomen, & multo magis auctoritatem extinxerant. Abassinos etiamnum Patriarchæ Alexandrino, Cophto scil. subesse, cujus schisma manifestum est, ac errores perspicui. Quod vero alterius Alexandrini jurisdictio ad Indos excurrerit, nota res est. De Armenorum Patriarcha, nihil est, quod dicam; ut vel inde constet, totum Orientem erroribus Eutychetis, Nestorii, Dioscori, Iacobi Syri, aliorumque, dudum implicitum fuisse; ac proinde Rom. Pontificem nullo apud illos loco fuisse; quid mirum ergo si ab iis ad extrema usque Orientis iidem errores propagarentur.* p.384. largitur, *jam dudum Græcos, Armenos, Cophtos, Abassynos ab Ecclesia Romana defeciisse.* Et horum quidem consensum, apud quos Pontifex Romanus nullo est loco, adversus nos magnifice extollit Abr. Ecchellensis. Hic idem tamen Ecchellensis in epist. ad Allatium, quæ locum capitis XV. in opere de Synodo Octava Photiana occupat, unà cum Allatio vehementer asseverat, Majestatem Pontificis Romani ab orientalibus comiter & reverenter haberi. Queritatur primo in illa epistola, Hottingerum, & Vejelium sua ipsius Scripta *exagitare, utriq; vero nostrum magnam in se bilem motam*

motam esse, eo quod scripserit, fieri non posse, ut tot nationes tam inter se, quam cum Ecclesia Romana inveterata, & incredibilia exercentes odia, convenire possint, ad aliquod astruendum, commentum. Tandem pag. 595. ait: ad hujus autem consensus originem & rationem velim respondeat Vejelius, ejusq; Reverend. Phelavius; quomodo ad aliquod commune mendacium confingendum conspirare possint tot nationes, longissimis terrarum dissitæ spaciis, variis imbutæ moribus, diversis utentes linguis, & persuasionibus, atque inveterata cæteroquin exercentes odia. Respondeo: bilis mihi nunquam in Ecchellensem fuit mota, quam ipse cum virulentissimis conviciis in D. Hottingerum effundit; leviter tantum id quod mihi perabsurdum videbatur, & adhuc hodie ἄτοπον videtur, perstrinxi p. 2. & 3. Exercit. nostræ. Verum quoniam id â me flagitat Ecchellensis, nunc etiam ad ipsius rationem respondeo: eam scil. mihi (pace viri Doctissimi dixerim) videri perridiculum & ineptum: perinde enim concluserint olim Ethnici adversus Judæos; fieri non potest, ut tot nationes longissimis terrarum per Asiam, Africam, Europam, dissitæ spatiis, variis imbutæ moribus, diversis utentes linguis, & persuasionibus, tam inter se, quam cum gente Judaica inveterata atque incredibilia exercentes odia, convenire possint, ad astruendum aliquod commentum, & confingendum commune mendacium πολυθεότητος scilicet, sive multitudinis Deorum. Ecce tetigi originem consensus istiusmodi in communi mendacio. Scripserat Cl. Hottingerus: *honorificam Petri & veteris Romanæ sedis apud Syros, Arabes &c. mentionem frustra ad Monarchiam rapi Pontificiam.* Bz. Abrahamus: *Si verba profundere inania, & garrire duntaxat, esset probare, egregie profecto hanc suam assertionem probavit nugivendulus, sed cum non verbis inanibus & meris assertionibus certandum sit, quis sanæ mentis compos, & æquus veritatis indagator non videt, adversarium desperatæ causæ esse Patronum, & cæca tantum duci animi libidine? etenim qui ad Monarchiam Pontificiam id rapi dicitur, quod omnium mortalium mirifico consensu & suffragio Pontificis Rom. ex Nicæni Concilii decreto, & canone 44. Arabico decernitur? nec cavilletur Hottingerus, vel quispiam alius ejusdem farinæ, dicens; canonem hunc non esse verum ac legitimum Concilii Nicæni. De hoc enim nobis cum Hottingero & Symmystis in præsens controversia non est. Nobis enim satis est in*

præsens ostendere, canonem hunc pro vero ac legitimo Nicæno haberi â Chaldæis, Syris, & Arabibus, nempe Melchitis, Maronitis, Jacobitis, Nestorianis & Cophtitis, quibus adde Æthiopes. Garrit igitur Hottingerus hîc & alibi, suaq; conficitur rabie. Nobis non incumbit, ut de dogmatibus Oriental. vel de canone Arabico, quem quidem suppositititium esse adhuc credimus, disputemus; nemo enim id melius præstabit ipso Hottingero, linguarum & rerum Orientalium callentissimo, licet eum *in Arabicis & aliis LL. Orientalibus inscitissimum, penitus jejunum, & pene infantem* ex suo Ecchellensi contra fidem tot præclarorum operum nuncupet Allatius: Sed vero illud præterire non possumus, Ecchellensem omnem fidem apud nos jam prodegisse, adeo portentosi mendacii, infra â nobis reus deprehendetur. Insuper tamen Ecchellensem & Allatium hoc modo redarguimus: fieri nequit ut nationes illæ vel sectæ potius Orientales, quæ ex canone Concilii Niceni Papam pro Christi Vicario, & uti Allatius de iisdem Syris & Arabibus &c. p. 588. loquitur, *Ecclesiæ capite, Petri successore, fidei directore habent, cujusque voces esse voces DEI agnoscunt*, incredibilia nihilominus cum Ecclesia Romana exerceant odia: alius mihi hæc conciliet, ego enim non potis sum: Orientales illi venerantur Papam tanquam caput Ecclesiæ, cui membra in omnibus, potissimum vero in rebus spiritualibus, subesse debent, indeq; ipsum directorem fidei, ejusq; voces esse Dei credunt, & tamen cum Ecclesia Pontif. incredibilia exercent odia, *maxime*, ut asserit Abrahamus, *propter incarnationis*, & quod testatur Gabriel Sionita, etiam *SS. Trinitatis mysterium.* (In catal. libb. Chald. Hebed Jesu.) Ad hoc argumentum velim respondeat nostri sæculi Literatorum decus & ornamentum Leo Allatius, ejusq; in LL. Orientalibus instructissimus, ac in Oriental. moribus ac consuetudinibus, & potissimum Ecclesiasticis versatissimus (quibus laudibus hi duo sese Viri non omnino præter rem mactant) Ecchellensis. Neq; vero mera tantum assertione certavit Hottingerus, sed in Allatio tem. convicto p. 186. Gabrielem Sionitam cap. 14. de urbibus & moribus Oriental. dicentem produxit: *Melchitæ & Græci qui per totum Orientem longe lateq; sunt sparsi, Spir. S. â solo Patre procedere, Purgatorium nullibi existere, pessimè crediderunt; indeque illis odium intestinum in Summum Pontificem, atque in omnes ei in spiritualibus subjectos, ita ut eidem veracissimo in terrenis vicario, primatū pertinaciter abnegent.* Hæc

Sionita, homo in Oriente natus, & rerum Orientalium peritissimus, quondam Professor Parisiensis. Jo. Morinus P. 2. de Syr. Jacobit. & Eutychian. ordinat. p. 478. refert; *Melchitas cum Græcis schisma fecisse*, non addens, eosdem ad gremium Eccles. Rom. rediisse. Imo p. 475. idem Morinus, Scriptor magni nominis, rerum Orientis minime ignarus, & Ecchellensis aliquando Romæ familiaris, commemorat: *Æthiopes non modo hæresi Eutychianæ addictos esse, verum etiam Alexandrinum Patriarcham Eutychianum ut caput suum agnoscere.* Supra autem modo contenderat Ekellensis, Æthiopes Papam Rom. pro capite agnoscere. Sed audivimus quoque Honoratum Fabri, qui hodie adhuc Romæ cum Ekellensi vivit, habet igitur domi in quem calamum stringat. Plures aggregare possim auctores, quorum verba singula recitare, esset arenas Libycas numerare.

§. 4. Illi tandem, quibus incumbit literas & Bullas Papales ab omni errore immunes præstare, dispiciant, an sequentia perpetuum de Primatu Papæ consensum spirent, an, quod nobis videtur, dissensum arguant. A. 1232. Gregorius IX. literas dedit ad Patriarcham Constantinopolitanum Germanum, in quibus illud unice agit, ut Primatum Petri & Papæ eidem persuadeat, & objectionibus ejus respondeat: inter alia vero scribit: *Sed quod dolentes referimus, ut epistolæ tuæ verbis utamur, præsumptiose quidem non per manus militum, sed Ecclesiasticarum personarum sensus veri Joseph talaris tunica & inconsutilis est passa scissuram. Sed quis sciderit videatur; cum enim Græcorum Ecclesia* (non unus alterve tantum nebulo, ut subinde satis insubide excipit Allatius) *à Romanæ sedis unitate recessit, statim privilegio caruit Ecclesiasticæ libertatis, & quæ fuerat libera, facta est sæcularis potestatis ancilla, ut justo DEI judicio, quæ noluit divinum recognoscere in Petro primatum, toleret invita sæculare dominium. Sub quo non modica contemnens, paulatim decidens, fidem informem profitens, & à fraterna charitate tepescens, licentius per campum licentiæ non refrenatæ discurrit, ut sine alicujus reprehensione licitum sub illicito palliaret, & à templo Petri recedens, à Domino quasi attritum foris ejicitur, quod virga sua Joannes prohibente Domino non metitur, quoniam datum est illud gentibus, & hoc jam cognoscis visibiliter consummatum.* Mox Græcam Ecclesiam *Samariæ comparat oratq.: ut*

is, qui

is, qui per Collyrium ex felle piscis, Tobiæ illuminavit oculos, Ecclesiæ Græcorum (non pauculorum Schismaticorum) *corda cum tuo illuminet, & nostris tuisq; temporibus ad unum ovile, unumq; Pastorem providentia divina reducat.* Concludit: *Revertere igitur Sunamitis, revertere ut intueamur te, quia tunc recte poterit frater â fratre juvari, si Filius qui omnia consumsit dissolute vivendo â Domino inspiratus surgat, & dicat: Pater peccavi in cœlum & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum ex mercenariis tuis.* A. seq. 1233. Hugon. & Petrum de Prædicat. Aiymonum & Rodulph. de minorum ordin. fratres, cum aliis literis ad eundum Germanum misit, in quibus ad *Primatum Romani Pontificis etiam jus utriusq; gladii pertinere, schisma autem Græcanicum per Ieroboamiticam tribuum scissionem præsignificatam esse significat.* Videant nunc ipsi Papæi, utrum Gregor. IX. an vero Allatius falsus fuerit. Extant hæ literæ T. I. pag. 106. Magni Bullarii Romani Laërtii Cherubini JCti Romani, quod ab Angelo Cherubino monacho Cassinensi illustratum & recensitum exiit Lugduni 1655. Frustra autem fuisse Gregorium IX. ex ipso Bullario constat, ubi literis hisce papalibus hæc verba præfiguntur: *Dedit postea Dominus unionem Ecclesiæ Græcæ, & Latinæ in Concilio Florentino*; ad illa igitur usq; tempora in sua opinione Græci perstiterunt.

§. 5. Hoc deniq;, Græcos nim. Primatum Papæ Oecumenicum semper detestatos fuisse, totum opus Allatianum clamitat, Allatio id nequicquam inficiante. Cœtera quæ de scopo operis sui, & probationibus in eo contentis, de collegiis variarum nationum in Urbe Roma differit, nos parum morari debent. Primatum Pontificis ex Conciliis & Patribus alii dudum destruxerunt, utut de Conciliorum & Patrum consensu glorietur Allatius: si Dominus vitam otiumq; & necessariam librorum supellectilem nobis concesserit, plura ejus generis ex opere Allatiano sumus examinaturi. Αὐτοκεφαλίαν suo Patriarchæ summo visu semper vindicarunt Græci, nixi quam firmissime canone 6. Concilii Niceni, & Decreto Chalcedonensi, qua de re illi egerunt, qui de Primatu & subutbicariis disceptarunt. Unum excerpo ex cap. quod D. Hottingero oppositum est, in quo p. 411. seq. Allatius disputat, *corpus*

mysticum diversis cerimoniis & consuetudinibus non fieri divisum, dum uno capite Christo, ejusq; in terris vicario connectitur, idemq; fidei dogma servat illæsum: postea distinguit *inter schisma purum, & unitum cum hæresi. Purum vocat, cum charitati tantum pacig; opponitur, idq; in illis est, qui cum credant Vnam esse Sanctam matrem Eccles. sub visibili capite summo Pontifice, tamen ex malitia mentis, nolunt Pontifici subjici, vel reliquis Ecclesiæ membris uniri, quod vel est sola intentione, & est schisma mere internum: vel operis etiam executione, & tunc erit externum, & opere consummatum. Schisma vero cum hæresi conjunctum est, si aliquis pertinaci animo neget summum Pontif. Ecclesiæ Catholicæ caput, & Pastorem esse, vel Ecclesiæ sanctæ communionem, atq; ob eam causam ab illa sese segreget. Tum sic. Sed Ecclesia Græca, licet ritus & consuetudines diversas ab Ecclesia Romana servet, fatetur se, agnoscitq; membrum Ecclesiæ universalis, militaregq; sub uno visibili capite summo Pontifice, unde nullum dissidium* ex diversis scil. cerimoniis & consuetudinibus. p. 414. Objectioni Hottingerianæ, Ecclesiam Græcam Pontificem Rom. nec caput Ecclesiæ, nec supremam in eo jurisdictionis potestatem agnoscere, ita occurrit: *Dicis tu, qui sic velles esse, hoc vero probandum est. Nilus & alii contra Pontificis Rom. potestatem scripserunt. Quis dixit in Ecclesia Græca non fuisse, nec esse etiamnum hæreticos, & schismaticos, quorum voces excipiendæ non sint? Allatius probat, quid Ecclesia Græca teneat, & profiteatur. Illa non negat Pontificibus Romanis à DEO concessam auctoritatem; imo in omnibus suis professionibus id profitetur, in illis reperies, se recipere 7. Concilia generalia, eorum decreta, sanctorum Dd. Ecclesiæ doctrinam, & damnare omnia, quæ ab illis damnantur. Sed in illis non clanculum, sed aperta voce reboatur, Romanum Pontificem esse caput Ecclesiæ, ab illo Ecclesiastica omnia gubernari, & dirigi, illius voces, voces esse Petri, Christi, standumque esse illius decretis, & qui illis in omnibus non obsequuntur, extra Ecclesiam esse. Ergo Ecclesia Græca, agnoscens Romani Pontificis præeminentiam, licet diversis ritibus, & consuetudinibus utatur, non separatur ab Ecclesia Romana.* Audacissime omnia. Da locum, ubi Eccl. Græca dicat, se Papam pro Christi in his terris vicario agnoscere. non credo Græcos tuos tam extreme impios esse, ut ei, quem ipsi caput universalis Ecclesiæ esse credunt, ex mentis malitia nolint subjici. præsidentissime

sime illud: Ecclesiam Græcam fateri se militare sub Pontifice Romano, illamq; ab ejus cœtu sese non segregare. Certe veri amantiores Pontificii hic suis vix credent oculis. Ostende enim Ecclesiam Græcor. visibilem, ex suis Prælatis; & si pati potes, auditoribus quoque, compositam, quæ conceptis verbis te præeuntem sequatur. Profecto, nisi decreta, sanctiones, promulgationes â quinque Patriarchis Orientalium editas protuleris, in quibus aperta voce reboetur, Papa Romanus est caput Eccles. Universalis, vicarius Christi, â quo in nos omnia derivantur bona, sub quo nos omnes militamus, cui nos omnes volentes lubentes subjicimus, dicam quamvis invitus, te omninò depuduisse, fidemq; omnem prodidisse. Potest hîc ad revincendam Allatii confidentiam dicam, an temeritatem? unica illa observatio sufficere, dudum erasum esse nomen Papæ ex diptychis Sacris, neq; hodie iisdem rursus insertum: de quo facto, si cum bona Allatii venia dicere licet, alio tempore cogitare poterimus: quamvis in gratiam Lectoris de hoc more & facto Græcorum ex Arcudio hoc commemorare voluimus: *in Sacrificio missæ fit mentio Antistitum hoc ordine. Presbyter supplicat pro suo Episcopo, Episcopus pro Archiepiscopo & Metropolita, is vero pro Patriarcha, qui olim item pro summo Pontifice numen divinum exorare solebat. Nihil de Antiqua consuetudine (post schisma) immutarunt, nisi quod ubi prius etiam Rom. Pontificis fiebat mentio, nulla modo fit apud eos. Propterea vero Græci omiserunt mentionem facere in sacro Rom. Pontif. quod eum hæreticum esse existiment.* Hæc Arcud. Agnoscis, Lector, Allatium silentium audire posse; vel, quod idem est, sumum silentium, errante nomenclatura, ab hoc homine vocari claram reboationem. Ob istud vero Græcorum facinus judicat Arcudius, *nec â Græcis Pontificiis mentionem faciendam esse Episcopor. Græcanicorum in sacrificio missæ*: movet tamen difficultatem, quam removere satis nequit, eamq; his verbis proponit: *unde non sine causa Illustriss. Cardinal. Protectores, qui collegii Græcorum in Urbe curam & patrocinium gerunt, poterunt cogitare & perpendere, utrum expediat Alumnos, quos in Græciam destinant, ad sacros ordines promovere. Nam ibi propter periculum, Sacerdotale munus eos exercere minime posse certum est, si memoratam mentionem Patriarchæ, ut par est, neglexerint.*

Hoc

Hoc etiamsi fieri posset, non improbarem, ut scil. nulla facta mentione Patriarchæ, nulla etiam fieret καθ' ἐκφώνησιν (clara voce) *Pontificis, sed secreto.* Cadmæos fratres concordes dixeris, præ hisce in fide & zelo sociis. Si posset fieri, inquit Arcudius, ut mentio Patriarchæ omitteretur, nulla etiam facienda esset Papæ canorâ voce mentio, sed secreto: Allatius contra dejerat, sonora voce eundem reboare, alumnosq; Græcos in summo apud Episcopos & populares Græcos, Papæ quippe observantissimos, esse honore, & religionem Pontificiam palam in Ecclesiis Græcorum annunciare.

§. 6. Auscultemus vero aliquantisper, quanta Græci Papam in ditionibus eidem subjectis veneratione prosequantur, indeq; colligamus, quid alibi, ubi impune sua proloqui & propugnare possunt, de ipso sentiant. Edidit Pius IV. A. 1564. hanc in Græcos Bullam. *Nonnulli locorum ordinarii nuper ad audientiam nostram referri curarunt, quod in quam pluribus Regni Siciliæ citra & ultra Phurum, & aliis Christiani nominis civitatibus & locis, magna Græcorum, tam religiosorum & sæcularium clericorum, quam laicorum multitudo reperitur, qui Ecclesiæ Græcæ mores & ritus observantes, seq; suos proprios ejusdem nationis Prælatos habere, ac illis, non autem locorum ordinariis subesse, sed immutatum, aliorumq; privilegiorum sibi per fel. rec. Leonem X. Paulum III. Julium etiam III. & forsan alios Rom. Pontifices, prædecessores nostros, & dictam sedem antiquitus concessorum prætextu, se ab eorundem ordinariorum jurisdictione, & superioritate exoratos prætendentes, impunitate sibi proposita, in diversas hæreticas, nefariasq; opiniones, & absurda deliramenta passim prolabuntur, asserentes inter alias eorum blasphemias nullum esse defunctorum Purgatorium, Rom. Pont. aliquam in eos jurisdictionem, vel auctoritatem habere negantes, indulgentias ab illo concessas damnantes, Ecclesiasticas sententias, & censuras ab eo latas spernentes, sanctissimæ DEI genitricis Virginis Mariæ, beatorum Apostolorum, & aliorum DEI Sanctorum festivitates ab Ecclesia Romana, sanctusq; PP. ordinatas non observantes, sanctissimum Eucharistiæ sacramentum suis infantibus in baptismo exhibentes, in humata defunctorum cadavera superstitione quadam impia, & plusquam barbarica è sepulchris eruentes, igneq; comburentes, ordinariorum locorum, quos habitant, visitationem, jurisdictionemque contemnentes,*

tes, & Ecclesiasticam disciplinam perturbantes; ac demum hujusmodi, aliisque suis opinionibus erroneis atque sacrilegis populos Latinos inficientes, correctionem legitimam suæ prætensæ exemtionis clypeo repellentes, in suis impietatibus, abusibusque consenescunt, & immoriuntur, in suarum vicinorumque populorum, præsertim simplicium animarum perniciem, & scandalum plurimorum. Has deinde *omnes & singulas exemptiones auctoritate Apostolica definit se revocare, cassare, annullare.* Bullar. magn. p.184. T.2. quam multos hîc infallibilis Judex judicat Græcorum doctrinæ inesse errores, quos cum alii quoque tetigerint, ab Allatio sub convicio caudicum, stipitum, nebulonum, mendaciloquorum, â dicendo testimonio repelluntur. Bullæ Papali in resimili adjungemus testificationem Thomæ Bozii, Eugubini, Congreg. orat. *Presbyteri*, qui Romæ opus suum de signis Ecclesiæ, sub exitum sæculi antegressi edidit, & Pontificibus Gregorio XIV. & Innocentio IX. dedicavit, Græcamq; Ecclesiam omnibus istis signis destitutam esse ex suo & suorum sensu probavit, is Bozius l.5. c.11. p. 390. impressionis Colon. *Non omittendum* censuit illud, *Græcos aliquos adeo â Catholica Ecclesia alienos esse, ut quamvis pareant subsintque Catholicis, tamen impias opiniones abnegare nullo modo velint. Cyprus, Creta, Zacynthus, Zephalene Insulæ sunt adeo tenaces hæresium Græcanicarum, ut vitam potius illis hominibus eripias, quam conceptam sententiam deponere velint. Cumque superioribus annis Archiepiscopus Cypri Philippus Mocenicus, Vir magnæ doctrinæ & integritatis, vellet hæreses ex insula illa extirpare, oppositere se illi Græci, adeo ut necesse habuerit ipse Venetus Patritius illinc emigrare. Testatur hoc ipse in epistola, quam præfixit operi suo de philosophicis rebus.* Allatio judice, Mocenicus desipuit, utpote qui hæreses extirpare voluerit, quæ nullæ erant; inspexisset modo Patritius Venetus Græcorum Ritualia, & professiones fidei ex septem Synodis conflatas, tum purum putum consensum deprehendisset. Verum omnes, qui Allatium antecesserunt, Pontifices & Pontificii pepones fuerunt, ipse solus habet jecur Cratetis.

§.7. Male porro colligit Refutator, præeminentiam & jurisdictionem aliquam in Romano argui & probari ex eo, quoniam Catholicos etiam Græcorum Patriarchas Papa non admiserit, propter non præstitam

ſtitam obedientiam. Neutiquam id arguit vel probat jurisdictionem competentem, & â Græcis agnitam, ſed prætenſam, affectatam, uſurpatam ſine juſto titulo: arguit faſtum Antichriſtianum, quo inflatus Pontifex honorem ſuum, honori Chriſti, ſaluti publicæ, paci, & fraternitati Chriſtianæ, prætulit: annon enim veræ fidei profeſſioni & concordiæ ſuas offenſas condonare debuiſſet; ſed facilius toleratur ſciſſura tunicæ Chriſti, quàm levicula honoris Pontificii imminutio. Dic quæſo ubi legeris, apud quem Prophetam, Evangeliſtam, vel Apoſtolum, apud quem ex antiquiſſimis Patribus: nihil hac veritate (qua aſſeritur: quicquid agas patiarisq; pro fide orthodoxa: Papæ autem juſſa non adores, in communionem Sanctorum admitti nequis) verius eſſe? Nota hæc eſt ὑπερθέοντος Antichriſtianæ certiſſima, & illi alteri ſimilis, qua crimen læſæ Majeſtatis Divinæ per hæreſin levius habetur crimen, quam læſio Majeſtatis Pontificiæ per honoris & obedientiæ ſervilis ſubtractionem. *Evidenter manu tangere quisque poterit, cuncta bene ceſſiſſe Theodorico, dum, licet Arianus, nihil voluit imminutum jurium Romani Pontificis.* Scribit Baronius. De Regibus Hiſpaniæ, Ariana perfidia itidem infectis, ſed Pontificem in aliqua re ſibi propitiantibus A.447. n.18. Idem Baronius narrat: *hinc fortaſſe accidit, ut Deus eisdem Regibus dederit & ſtabilire regnum, & ad multa ſæcula propagare.* Contra pientiſſimum & optimum Principem Theodoſium Juniorem, quem Baronius ipſe An. 450. n. 11. hoc encomio afficit; *quod eximio ſemper refulgens religionis exemplo, & vitæ moribus integerrimis pollens, ſuperiores omnes Chriſtianos Principes videri potuerit ſuperaſſe.* Contra hunc, inquam, ferale carmen occinit, A.449. n.27. *DEO vindice*, ait, *ubi talem ſibi Theodoſius Pontificiam auctoritatem arripuit, Imperio privatur, anno ſequente ex hac vita ſublatus.* Quid vero peccaverat Optimus Imperator? in celebratione Synodi Epiſcopo cuidam partes Præſidis detulerat, quod jus eſt ſolius Romani Pontificis. Veriſſime igitur ante Baronium & Allatium dudum ſcripſit Beatus Lutherus T.4. Jenenſi p.409. *Tolerabilius peccatum fuit, negaſſe, blasphemaſſe, riſiſſe etiam omnes articulos fidei, quam de hoc jure divino Papæ ſubdubitare.* Hæc, uti inaudita fuerunt antiquis, ita, poſteaquam hæreſis Hildebrandina totum pervaſit orbem, nunc ſunt receptiſſima Scholæ Papææ placita.

cita. Nihil enim timor Numinis Principibus, nihil orthodoxæ fidei professio & defensio Episcopis prodest, si Pontifici servile denegant obsequium: nihil itidem hæresis & blasphemia in Deum impiis Regibus obest, si debito cultu Papam prosequuntur: quin perduelles in divinam Servatoris Majestatem florere, in Numen verò Pontificium peccantes interire, & exscindi necessum est; immo, modo quis hæc jura non violet, Catholicus esse poterit, etiamsi de cætero â Romanis dissentiat: adeo, ut auctore Eduardo Coquo in actione contra Garnetum Jesuitam, Pius V. Papa scripserit ad Elisabetham Angliæ Reginam: *Se sacrorum Anglicanorum ritus ac cerimonias, Calviniana biblia, & communium precationum librum Apostolica auctoritate confirmaturum, modo se Angliæ regnum Papæ subjiceret, nec ab Ecclesiæ Romanæ unitate discederet. Causa non est*, monente celeberrimo Theologo, D. Dannhawero in myster. Syncret. pag. 17. *Cur fidem hic derogare Coquo affirmanti debeamus, arrogare Andreæ Eudæmoni Cydonio neganti in Apolog. pro Iesuita Garneto* c. 2. p. 26. cùm præsertim *Jesuitarum Privilegium mentiendi tam late pateat*, dicente Montaltio p. 399.

SECTIO VI.

De Dogmatibus in quibus Græci cum Lutheranis consentiunt, proindeque per latus ipsorum condemnantur.

ARTICULUS I.

De negato Descensu Christi ê cœlo in Sacramentum Eucharistiæ.

SYNOPSIS.

CYrillus & Damascenus explicati, probatur Pontificios descensum istiusmodi credere, ex Rhodig. Bellar. Salmer. Gramond. Becano. Dogma transsubstantiationis ἄρρητον & ἄχραφον. Transsubstantiatio Græcorum diversissima â Latinorum transmutatione.

§. 1. Descensum Christi ê cœlo in Sacramentum Eucharistiæ,

Jerem. Patriarcha vocat ſententiam blasphemam. *In ſacro hoc ritu non deſcendit Dominicum corpus de cælo: blasphemia enim hæc eſſet. Sed & tunc* (in prima cœna) *& nunc invocatione & gratia omnipotentis illius ſacrorum rituum Antiſtitis ſpiritus, ſacrarum precationum, & divinorum oraculorum interventu, panis quidem in ipſum Domini corpus, vinum vero in ipſum Domini ſanguinem, convertitur & transmutatur.* Adhæc Allatius tria reſpondet. I. *talem deſcenſum Græcam Eccleſiam nunquam ſomniaſſe, ſed veram & realem tranſſubſtantiationem tenere.* II. *neq; Romanenſes in converſione illa adductionem de loco in locum ſtatuere.* III. *Reformatos abſentiam corporis & ſanguinis Chriſti credere.* Primum non debet nos morari: Cyrillus enim Hieroſolymitanus, ſi modo catech. myſtag. ipſius ſunt, nihil aliud vult, quàm, panem illum benedictum non tantum panem, vel nudum panem eſſe, ſed ſub iſta ſpecie, ſive ſymbolo, exhiberi quoq; corpus Chriſti: ſenſus quidem percipit & guſtat ſolum vinum, ſed fides credit cum iſto vino ad bibendum porrigi ipſiſſimum Chriſti ſanguinem: quemadmodum etiam idem Cyrillus loquitur, non attendendum ibi eſſe ſimplici aquæ, ſed gratiæ ſpirituali, neq; tamen aquæ transmutationem ſubſtantialem, ſed cœleſtem in illa benedictionem & ordinationem agnoſcit. Idem dicunt reliqui Patres, qui in ſacra cœna mutationem ſymbolorum non ſubſtantialem, ſed accidentalem tantum intelligunt, quod nimirum accedente verbo benedictionis Dominicæ, panis antea cõmunis, & vinum vulgare, non amplius ſint ſolum res terrenæ, ſed quod theſaurus cœleſtis, ipſum Chriſti corpus & ſanguis cum omnibus bonis & donis ſpiritualibus, vere in Euchariſtia adſit, exhibeatur, edatur, bibatur. De hac mutatione ſive ſanctificatione pios veteres locutos fuiſſe, argumentis ex antiquitate petitis erudite, ut omnia oſtendit Chemnitius P. 2. Exam. Conc. Trid. p. m. 145. ſeqq Sic jubemur regenerari, renovari, exuere veterem hominem, induere novum, quæ locutiones ſubſtantialem mutationem magis indicare videntur, quàm duntaxat accidentalem, hoc vero ſi quis ſtatueret, in errores anabaptiſtarum incideret. Jo. Damaſcen. qui tamen octavo demum ſæculo floruit, Papiſticæ tranſſubſtantiationi non omnino patrocinatur: μεταποίησιν quidem ſtatuit, ſed clare nihilomin⁹ profitetur;

tur; in ſacra cœna uniri panem cum Chriſti corpore, non autem unam, ſed diverſas eſſe naturas. Retinet etiam comparationem Euchariſtiæ cum Sacramento baptismi. Conſimili modo explicandus eſt Theophylactus. Conſule præter Chemn. etiam Gerhardum Noſtrum T. 5. loco de Sancta Cœna. §. 139.

§. 2. Nunc ad ſecundum. Recte omninò dicitur, Eccleſiam Græcam deſcenſum Chriſti de cœlo nunquam ſomniaſſe; & in eo nobiscum conſpirat contra Latinos, licet in dogmate tranſſubſtantiationis diſcrepet. Citaveram B. M. Theologum celeberrimum Jo. Georg. Dorſcheum, qui in Myſtariam Miſſæ, contra Herberum Jeſuitam ita proœmiatur: *Jovem quendam Priſcorum vana ſuperſtitio cœlo obtruſit, qui ad Numæ præſcriptum certa precularum quarundam ſerie, ê cœlo evocaretur, eliceretuŕq; unde Hoſtilium eodem operatum ſacro, cum parum ex formula quædam obiſſet, de cœlo ictum atque cum domo conflagraſſe fingunt. Simile huic quid dum apud Romanenſes reperiri fatetur ex illis Lud. Cœlius Rhodigin. l. 9. antiq. c. 14. quando Princeps ille rerum, ac Summi Patris Filius, ex vero Deus verus, Præfatione Sacerdotis breviſſima ſe vocetur eliciaturve ê cœleſti ſede.* Conſentit Bellarm. l. 3. de Euchariſtia c. 13. 15. §. ex his collig. *Quando converſionem panis in corpus Domini non productivam, nec conſervativam, ſed adductivam vocat.* Excipit quidem Cardinalis & dicit: *Adductivam vocamus iſtam converſionem, non quia corpus Chriſti per hanc adductionem deſerat ſuum locum in cœlo, vel quia per motum localem hûc de cœlo adducatur, ſed ſolum, quia per eam fit, ut corpus Chriſti, quod antea ſolum erat in cœlo jam etiam ſit ſub ſpeciebus panis. Non docemus* (ſcribit Cornel. â Lap. ad Act. 3. pag. 105.) *Chriſtum cœlo evocandum ad Euchariſtiam, quaſi cœlum deſerens, locali motu ad nos deſcendat, (hoc enim tantum fiet in die judicii) ſed quod manens in cœlo per Omnipotentiam DEI ſe præſentem ſiſtat in Euchariſtia (ſive id fiat per corporis ejus replicationem, ſive per acquiſitionem duntaxat novi loci, de quo inter ſe diſputant Scholaſtici) idque inviſibiliter, cum in cœlo ſit viſibiliter & diviſibiliter reſpecti loci. Idque fit vi verborum conſecrationis practica.* Licet autem reluctentur Romanenſes, coguntur tamen per ſuas hypotheſes accidentalem tranſlocationem, & ex loco

in locum adductionem ſtatuere. Non quidem evocatur & adducitur Corpus Dominicum ê cœlo, ut amplius in eo non ſit, evocatur tamen, & adducitur, ut corpus illud, quod in cœlo prius tantùm erat, adſit quoque in locis quàm plurimis. Modum hîc neſcire ſe profitentur, qui mirificis & innumerabilibus quæſtionibus & difficultatibus ingenia ſua divexant & implicant; at certe localis aliquis adventus ab ipſis agnoſcendus eſt, quod innuere videtur Alphonſ. Salmeron T. 9. Com. in N. T. tr. 16. ſcribens: *Subſtantia panis debet cedere DEO advenienti in ejus reverentiam, quemadmodum idolum Dagon ceſſit arcæ Domini.* Barthol. Gramondus Præſes Toloſanus, *Loiolitarum alumnus*, (uti vocatur Cl. Claudio Sarravio, Senatori Regio, Viro Doctiſſimo p. 42 epiſt.) l. 7. p. m. 381. refert: *Hæc inter ad Galliam Narbonenſem & Cebennos exercet in Catholicos Secta omnem vim, ſcelereq; graſſatur in altaria & miniſtros DEI: Monaſteria, ſacrarumq; reliquiarum Mauſolea, capſæ auro & lapillis pretioſæ in prædam veniunt: nudantur Monachi & flagellantur, temeratur Monialium caſtitas. Horreſco referens! Ipſæ aræ in quas Deus-homo vi Sacramenti evocari quotidie ſolitus, quorum præſepia fiunt.* Becani P. 1. Theol. Schol. tr. 3. c. 1. quæſt. 6. §. 6. de motu Angelorum, hæc eſt Philoſophia: *Angelus non poteſt naturaliter moveri de uno extremo in aliud extremum diſtans, quin tranſeat per medium. Eſt communis ſententia contra Thomiſtas. Et probatur, quia non poteſt intelligi, quomodo Angelus naturaliter poſſit hinc pervenire Romam, non tranſeundo per loca interjecta. Quod ſi Angelus non eſſet in loco, niſi per operationem tranſeuntem, tunc facile poſſet intelligi, eum poſſe hic operari, & poſtea Romæ, nihil operando in medio, quæ videtur eſſe mens D. Thomæ. Dixi naturaliter, quia forte ſupernaturaliter fieri poteſt. Primo, quia corpus Chriſti in cœlo exiſtens, quotidie perducitur ad hoſtias conſecratas. Et tamen non tranſit per medium.* Perducitur itaque corpus Chriſti ad hoſtias conſecratas, licet non tranſeat per loca interjecta. Reliqua, quæ Allatius de accidentibus & ſpeciebus panis, de Omnipotentia DEI, de Præſentia unius corporis in pluribus locis diſputat, nobis ſunt per nota, & â Theologis diſcuſſa, qui monſtrum tranſubſtantiationis debellarunt.

§. 3. Optime D. Calixtus in doctiſſimo tractatu de commun. ſub utraq; p. 332. monet: *Summa Chriſtianæ religionis myſteria, Trinitatis*

videl.

videl. & incarnationis, vix tantis involvuntur difficultatibus, nec perinde â communibus rerum rationibus quibus apprehendendis aliâs adsuevimus, discrepant, quam ista transsubstantiatio. Et mysteria quidem Trinitatis & incarnationis credimus, quia â DEO in Scriptura, quæ ipsius verbum est, revelata esse, & â prisca Ecclesia Sanctorum & Martyrum JESU, semper & ubique credita fuisse intelligimus. Quamvis transsubstantiatio, ut diximus, magis quam illa, â sensu & ratione sit aliena; non tamen minus credemus, quam illa credimus, modo probari possit, quemadmodum illa probantur. Si demonstretur, inquam, Christum & Apostolos, Virosque Apostolicos docuisse, quod in Sacramento Eucharistiæ virtute consecrationis, quam vocant, substantia panis convertatur in substantiam corporis Domini; quamvis sensus & intellectus obluctentur, ad sensum tamen præbebimus, captivum ducentes πᾶν νόημα in obsequium Christi. Ita est profecto. Dogma hoc omni rationi adversatur, êque scriptura stabiliri nullatenus potest, Antiquitati ignoratur, conditoribus hujus placiti ipsis & propugnatoribus insanum magnas parit contentiones, & tamen Ecclesiæ universali & aliis statum regni Papistici attingentibus causis obtruditur. Allatius quidem non nihil dicit, quod ante ipsum alii quoque fecere, sed cur logos istiusmodi pro explicationibus articulorum fidei amplecti deberemus.

§. 4. Falsum autem est, quod scribit Allatius: *Hæc doctrina Romana, nec alia Græcæ Ecclesiæ est.* Quamvis enim Græca transsubstantiationem admittat, modum tamen illum, quem Allatius probat, non admittit. Si enim Græcis tuis adductivam Bellarmini transsubstantiationem persuadere velles, illi sanè hoc reprobarent, ne viderentur credere descensum Christi in Eucharistiam. Agedum verò hoc quoque in articulo consensum dissipemus. Ingreditur Arcud. 3. conc. c. 26. arduam disputationis viam de forma Sacramenti Eucharistici, multisq; probare annititur rationibus, verba Christi â Sacerdote Græco enuntiata: Hoc est corpus meum, Hoc est sanguis meus; *non narrativè sed significativè, & per consequens effective proferri.* Capite verò sequenti scribit: *Ut autem hæc satis sunt per se conspicua;* (iis nimirum qui Pontificiis assentiuntur) *ita nonnulla alia verba in iisdem liturgiis sunt non parum obscura, & petra scandali, ut etiam in errorem non paucos induxerint.*

rint. Statim enim & continenter post secundum illud proxime citatum verbum, offerimus tibi rationabile hoc & incruentum obsequium, sequitur in liturgia Chrysostomi, καὶ παρακαλοῦμεν, καὶ δεόμεθα, καταπεμψον τὸ πνεῦμα σου τὸ ἅγιον ἐφ' ἡμᾶς καὶ ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα. *Et rogamus atque obsecramus, emitte Spiritum Sanctum tuum super nos, & super hæc proposita munera, &c. Postea sequitur in liturgia:* καὶ ποίησον τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον, τίμιον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου, τὸ δὲ ἐν τῷ ποτηρίῳ τούτῳ τίμιον αἷμα τοῦ Χριστοῦ σου, μεταβαλὼν τῷ πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ. *Et fac hunc panem pretiosum corpus Christi tui, quod autem in poculo, pretiosum sanguinem Christi tui, transmutans Spiritu tuo Sancto. Hæc illa sunt verba obscurissima, quæ nobis negotium facessunt.* Liturgiæ præterea Chrysostomianæ conformem quoque esse lyturgiam Basilii, Clementis Romani, Jacobi Apostoli, Marci Evangelistæ, nec non sermonem Cyrilli Hierosolymitani Catech. mystag. V. in his etenim omnibus vim transmutandi non verbis consecrationis, sed adventui & operationi Spiritus Sancti, precibus sacerdotis accersiti, adscribi, hoc epilogo cap. 27. agnoscit Arcudius: *Ex quibus verbis Liturgiarum Clementis, Jacobi, Marci, Basilii, Chrysostomi, imò & Latinorum malè intellectis, & interpretatione Damasceni, posteriores Græcorum pernicioſissimum errorem hauserunt. Quippe nonnulli (quos postea secuti sunt multi) absolutè existimarunt, consecrationem non verbis Domini fieri à Sacerdote prolatis, sed tantum hisce precibus Sacerdotis. Alii verò, cùm ab Orthodoxis Græcis urgerentur testimoniis Græcorum P.P. modestius agentes, & verbis Christi & precibus memoratis absolvi sacrificium arbitrati sunt.* Capite deinceps 28. discutitur Græcorum quorundam de forma hujus sacramenti sententia, & primò quidem Nicol. Cabasilæ, viri, judicio Bellarm. de Script. Eccles. valdè docti & Archiepisc. Thessalon. qui in expositione liturgiæ c. 27. 29. 30. (*quæ duo posteriora* pro candore authores citandi vel in partes suas raptandi *expungenda esse* monet ibid. Bellarm.) docet; *verba Christi quæ dicuntur à Sacerdotibus, merè* διηγηματικῶς, *per modum narrationis duntaxat enunciari, neq; ex ullo sciri posse loco, quod sermo Domini à Sacerdote nunc dictus, eò quod ab ipso dicatur, sanctificationem efficere possit, sed propterea, quia semel in prima institutione â DEO dictus fuerit. Marcus Ephesiorum antistes,* superaddit Arcudius, *pertinacia, sermone ambiguo, inconstantia,*

ſtantia, erroreq; ipſo prorſus eſt alter Cabaſilas, â quo hæc omnia, vel ipſamet verba mutuatus eſt in opuſculo, cujus inſcriptio: Quod non ſolum à voce Dominicorum verborum ſanctificantur divina dona, verùm à conſequente oratione & benedictione Sacerdotio. At verò in aliis ſuis paragraphis verba Chriſti à Sacerdote prolata penitus rejicit, atq; contemnit. Et meritò quidem, ac ipſius opinioni ſatis congruenter. Si enim ex ſententia ipſius hujusmodi verba merè narrativè recitantur, quod non ſemel repetit, quî fieri poteſt, ut ad conſecrationem concurrant? clarius idem docet, cum ita ſcribit: Verùm Chryſoſt. ait, Dominicum verbum ſemel dictum, ſacrificium conſummatum efficere. Semel dictum, inquit, non quod nunc à Sacerdote dicitur, ſed quod ſemel à Sacerdote dictum eſt, perfectricem immittere propoſitis donis vim atque potentiam, non item & actu ea perficere. Hoc enim S. Spir. adventus per Sacerdotis orationem efficit. Sic ille Epheſius. Simeon Archiep. Theſſal. in eodem errore verſatur. Idem ſentit Samonas Archiepiſcopus Gazæ. Nec diſcedit omninò à recepta Græcorum ſententia Jeremias Patriarcha, & Gabriel Philadelph. in libro de Sacramentis An. 1600. & altero, de particulis, An. 1604. edito. Quæ omnia apud Arcudium reperiuntur producta; Unde Græcos ſuos ita dimittit: *Sic Scripta hæreticorum & ſchismaticorum in dogmatibus fidei ſolent ſibi conſtare & cohærere* c. 29. teſtimonia afferuntur Patrum multorum, qui Græcis favent, c. 30. probare intendit, verba Chriſti non præterita, ſed quæ modo à Sacerdote cum intentione conſecrandi proferuntur, conficere corpus Chriſti. c. 31. & ſeq. *contra Theologaſtros* quos vocat *Græcos* idem pertendit, ſola verba Chriſti ſine ullis precibus ſufficere conſecrationi. Capite verò trigeſimo tertio ſolvere allaborat argumenta ex liturgiis petita. Et primo quidem reſpondet; *Græcorum Presbyteros non ſimpliciter & univerſe deprecari, ut panis per illapſum Spiritus Sancti & orationes Sacerdotis fiat corpus Chriſti, ſed ut fiat ſuſcipientibus, quaſi dicat Sacerdos: Tu, DEVS noſter, qui mirabili virtute tua & Spiritu Sancto tuo jam transmutaſti panem iſtum, & propterea eſt pretioſum corpus CHRISTI tui, fac, ut is fiat communicantibus in emundationem animæ, in remiſſionem peccatorum &c.* At verò, cum in Liturgia abſolute dicatur, fac hoc corpus; cùm item Sacerdotes Græcorum, & expoſitores liturgiarum Græci hanc explicationem

Lati-

Latinorum ſuis impetant objectionibus, nemo mihi profecto vitio vertet, ſi verba liturgiarum uti jacent, & Græcos interpretes de ſenſu Eccleſiæ ſuæ loquentes audire malim, quam Arcudium, qui, quandoquidem violentam eſſe hanc ſuam gloſſam videt, optaret, ut pro ſententia clarius reddenda *alter tantum articulus apponeretur*. Ut ſi diceremus: ποίησον τὸν μὲν ἄρτον ἕτον, τὸ τίμιον σῶμα τ̃ χριστ̃ σε. *Ille enim articulus* (τὸ) *exprimeret quid ſit ille panis. Et ſenſus eſſet, fac, iſte panis, qui eſt pretioſum corpus Chriſti tui, jam Sp. Sancto tuo transmutatus, fac inquam, ut fiat participantibus in emundationem animæ* &c. Cum verò articulus deſit, *ſubaudiendum eſſe participium* ὄντα, *ut ſtructura Græci ſermonis ſit hujusmodi:* σὺ ὁ μεταβαλὼν τῷ πνεύματί σε τῷ ἁγίῳ τὸν ἄρτον, τοῦτον, ὄντα τίμιον σῶμα τ̃ χριστ̃ σε, ποίησον αὐτὸν γενέσθαι τοῖς μεταλαμβάνουσι &c. *Tu qui Spiritu Sancto tuo transmutaſti panem hunc, qui eſt pretioſum corpus Chriſti tui, fac ut is fiat ſuſcipientibus* &c. breviorem mox rationem aliam ſuggerit, qua accuſativi illi: τὸν ἄρτον τοῦτον, καὶ τὸ ἐν τῷ ποτηρίῳ *non immediate referantur ad verbum, fac, ſed ad participium* μεταβαλὼν *& ad infinitum* γενέσθαι. Quot ad obtinendam transmutationem Pontificiam opus eſt verborum immutationibus & corruptelis? prima apponit articulum τό: Secunda addit participium ὄντα de pane, de vino ὄν. Tertia more Sociniano in commatibus ſive inciſis translocandis eſt occupata. Quarta τὸ μεταβαλὼν, quod prius recte verterat, transmutans, nunc perperam reddit, transmutaſti. Dicet aliquis auctoritas Neophyti Rhodini in vernacula ſynopſi, à Goare p. 142. laudata huic multum favet verſioni. εἰς πολλὰ δὲ χολόγια & ὀρθὰ, inquit, τὸ μεταβαλὼν αὐτὰ τῷ πνεύματί σε τῷ ἁγίῳ. Διαβάζεται καὶ παρένθεσιν, τετοίας λογῆς, & ποίησον τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον, τίμιον σῶμα τ̃ χριστ̃ σε, τὸ δ' ἐν τῷ ποτηρίῳ τοῦτο, τίμιον αἷμα τ̃ χριστ̃ σε (μεταβαλὼν αὐτὰ πνεύματί σε τῷ ἁγίῳ) ὥστε γενέσθαι καὶ τὰ λοίπα. *In plerisque iisdemque correctiſſimis Euchologiis, hæc verba* μεταβαλὼν αὐτὰ τῷ πνεύματί σε τῷ ἁγίῳ, *qui ea transmutaſti Spiritu tuo Sancto, parentheſi incluſa leguntur, hoc pacto. Fac panem quidem iſtum, pretioſum corpus Chriſti tui: & quod eſt in calice, pretioſum ſanguinem Chriſti tui (transmutaſti enim ea Spiritu tuo Sancto) eſſe ſuſcipientibus ad animæ ſobrietatem, &c.* Sciendum verò iſtum *libellum Neophyti Romæ editum, à Pontificiis eſſe corruptum; ſæpius enim per amanuenſes*

talia

talia à Græcis describi curant, ut Romæ deinde suo addant, quod velint. Quam rem his prope verbis Optimo & Doctissimo Arnoldo monachus ex monte Atho doctissimus nuper admodum Noribergæ indicavit. Neque id videri debet gratis dictum; nam in hâc nostra defensione sæpius ex Allatio & Arcudio audivimus, libros Græcorum esse corrigendos, loca immutanda, expungenda & purganda. Placet quidem hæc Rhodini expositio etiam Goari; sed nos ex ipso Goare demonstramus, verba hæc non esse Rhodini, sed assumentum Pontificiorum. Depravatus iste Neophytus dicit, in plerisque iisdemq; correctissimis Euchologiis *hæc verba:* μεταβαλὼν &c. *transmutasti, parenthesi esse inclusa:* quod falso dici, probo ex Euchologio Goaris, *cum selectis Bibliothecæ Regiæ, Barberinæ, Cryptæ-Ferratæ, S. Marci Florentini, Tilianæ, Allatianæ, Coresianæ, & aliis probatis MM. SS. & editis Exemplaribus collato*, sicuti inscriptio operis habet; in hoc autem Goaris Euchologio neque in textu p. 77. neque in MSc. Regio, p. 97. neque in MSc. Barberino ante septem & amplius sæcula exarato, p. 99. neque in codice Cryptæ-Ferratensi, p. 103. hæc verba parenthesi inclusa leguntur: immo hujus parentheseos ne quidem in variis lectionibus, quas Goar ex codicibus editis diligentissime collegit, pag. 92. fit mentio: & quod plus est, in codice Regio prorsus legitur: μεταβάλλων, in præsenti, commutans; quam etiam versionem ubique vel usurpavit vel retinuit Goar: addo, non posse ista verba, juxta exemplar Goaris impressum, nisi oppidò insubide parenthesi includi, quod inspicienti liturgiam ad oculum demonstrari potest. Quocirca transparet impostura larvati hujus Rhodini, quam cur tantopere laudet & probet Goar contra fidem suorum exemplarium, merito mirabuntur, vel divinare poterunt sagaciores. Quinta structuram verborum planè invertit, cùm in liturgia habeatur: καὶ ποίησον τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον, τίμιον σῶμα τοῦ χριστοῦ σου, τὸ δὲ ἐν τῷ ποτηρίῳ τούτῳ τίμιον αἷμα τοῦ χριστοῦ σου, μεταβαλὼν τῷ πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ. Hoc est ex versione Arcudii pag. 220. Et fac hunc panem pretiosum corpus Christi tui; quod autem in poculo pretiosum sanguinem Christi tui, transmutans Spiritu tuo Sancto. hæc omnia Arcudius audacissime p. 252. ita transponit: σὺ ὁ μεταβαλὼν τῷ πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ τὸν ἄρτον τούτον, ὄντα τίμιον σῶμα τοῦ χριστοῦ σου, ποίησον αὐτὸν, γενέσθαι τοῖς μετὰ λαμ-

 βάνουσι,

βάνσι, Σὺ ὁ μεταβαλὼν τὸ ἐν τῷ ποτηρίῳ τούτῳ, ἐν τίμιον αἷμα τῆς χριστοῦ σου, ποίησον αὐτὸ γενέσθαι &c. Tu qui Spir. S. tuo transmutasti panem hunc, qui est pretiosum corpus Christi tui, fac ut is fiat suscipientibus. Et qui transmutasti quod est in poculo, quod est pretiosus sanguis Christi tui, fac ut hoc fiat. Sexta versionem receptam sollicitare vellet, *nisi aliud quippiam obstaret*. Verùm apage has præstigias, quæ animos legentium â vero intellectu, verumq; verborum sensum penitus auferunt; hanc ipsam tamen omnia attentandi libidinem non violentam, sed Germanam & literalem Liturgiæ Chrysostomi, expositionem esse dicit, inaniq́ue verborum profluvio tamdiu demonstrare satagit, usque dum p. 253. ad aliam sibi confugiendum esse putat solutionem, in qua docet, *non esse absurdum per exempla Sacræ Scripturæ, ut aliquis id petat, quod jam tenet*. Verum contextus ostendit, rem se hîc aliter habere, consentientibus omnibus Græcorum interpretibus. Adnectit etiam alias solutiones, quas ipse nominat *minus probabiles*: De Cyrillo vero respondet: *Quemlibet facile animadvertere, hoc responsum à se excogitari, potius ut subterfugiat, quam ut solvat difficultatem, unde tandem ait, uni Cyrillo plures esse opponendos*. Demum cap. 37. quærit: *Utrum Græci verè consecrent, cum non putent se formaliter, h. e. significative, sed tantum materialiter, ac per modum solius narrationis verba Christi proferre?* Respondet. Vere eos consecrare. *Quamvis enim opinentur verba Christi non esse formam, quando tamen celebrant, si non habent contrariam intentionem actu, & intendunt facere quod jussit Christus, vere consecrant, Quippe illorum universalis intentio, cum sit veluti formalis, corrigit particularem errorem, & intentionem, quæ materialis est. Nam hæc particularis alteri universali se subjicit. Secus si non haberent hanc universalem intentionem. Sed nemo est adeo temerarius, qui directe generalem intentionem excludat, si suæ privatæ repugnet. Si quis enim intendat non proferre verba Christi formaliter, etiamsi ex institutione Christi sciat formaliter esse proferenda, certe is nihil conficit. Ut in dissimili materia quidam Ruthenus Consul Vilnensis, cum urgeretur testimoniis Scripturæ in materia genuflexionis, quam Christus Dominus & Apostoli sæpe in precibus adhibuerunt, respondit ita quidem esse, se tamen nolle genua flectere, ne cum Latinis in hoc conveniat, & eos imitari videatur. Si quis*

ita

itaque sit, qui presse nolit consecrare, quando profert verba Christi, quia nimirum existimat illa verba non esse formam, sed preces sacerdotum à Christo Domino per Apostolos institutos. 2. eum nihil penitus efficere. Atque sic Lutherani Sacerdotes ex hypothesi Arcudiana vere consecrant; nullus enim eorum habet contrariam intentionem actu, sed omnes intendunt facere quod Christus jussit. Dicis: Sed non sunt Sacerdotes veri, charactere indelebili insigniti? Respondeo, saltim ex datis actus eorum consecratorius est legitimus: amplius verò per latus Sacerdotum Græcorum legitimi constituentur sacerdotes, nam & illi ordinem à Pontificiis Episcopis non accipiunt. Quod est unum. Alterum quod hic observari potest, erit illud: Ex Cabasila & aliis constare, Græcos Sacerdotes habere contrariam intentionem, quæ ex concessis veram consecrationem adeoque etiam consensum tollit. Hæc ex Arcudio.

§. 5. Fuit hæc eadem controversia vehementer etiam disceptata in Concil. Florent. apud Sgurop. Sect. 10. c. 1. & 8. Græcis suæ opinioni tenaciter semper inhærentibus. Qua de re sine dubio Allatius aget in Refutatione Sguropuli & Creygthoni, *quam purpuratorum senatus summus, ipse Antistes ipsi serio injunxerunt*, prodente Fr. de Combefis in ep. ad Allat. de Script. Simeon. quam & nos æque ac Combefisius avide præstolamur, forsan enim in illa, nostra etiam quæ de Concilio illo protulimus, configere conabitur: si modo Germanis, præsertim non-Papistis, gratiam ejus operis facturus est. Videamus interim quid Allatius lib. 3. de P. C. c. 15. §. 22. seqq. de hâc controversia Græcorum annotârit, quos doctissime refelliisse ait Petrum Arcudium, â cujus tamen refutationibus & solutionibus doctissimis identidem discedit, & ea quæ Arcudius improbat ipse admittit, quæ iste admittit, ipse reprobat. Damasceni locum *assutum esse à quopiam* acriter contendit Arcudius: Sed *valere ipsum* jubet Allatius, quippe qui *nolit ita desipere.* Ad illum Liturgiarum ab Arcudio inversum ordinem reponit Allat. *Sed tot codices, & antiquissimos corruptos esse difficile adduci possum, ut credam.* §. 37. Tandem missis interpretationibus suorum omnium, *ex ingenioli sui tenuitate* aliquid affetre cupit §. 40. seqq. Sed profecto nihil novi affert,

hæret enim in illa opinione Arcudio jam probata, verba ista respicere susscipientes Sacramentum, illudque μεταβαλὼν vertendum esse jubet, quamvis titubanter, postquam transmutasti, non verò transmutans, de quo nos supra. Illud interim verissimum est, Græcos vestigiis & formulis Patrum de consecratione inhærentes, diversissimam fovere sententiam, & Concilio Tridentino omnimodo contrariam, quæ res Allatio hanc expressit indignationem: *Tantorum in hac consecrationis serie Patrum unanimis & continuatus consensus adeo quosdam ex recentioribus mutantis jam ac labentis Græciæ abortibus videtur divexasse, ut in eam iverint sententiam, Christi verba absque hujusmodi precibus ad panem & vinum permutandum non sufficere. Ita docuit Nicol. Cabasila, M. Ephesius, Simon Thess. Samonas Gazæus, Hieremias Patriarcha, Gabriel Philadelphiensis, & alii. qui quantum â veritate aberrarint, ex antiquorum P.P. sententiis & unanimi totius Græciæ doctrina, satis doctè & acutè demonstrarunt alii. Hinc mirari subit, esse aliquos, qui ex verbis hisce (PP.) male intellectis, & pejus distortis, dictis jam dictorum hæreticorum & schismaticorum insistentes fateantur, sensum & doctrinam Ecclesiæ Græcæ, & quod pejus est Latinæ, eum esse, sub forma scil. deprecativa consecrare. Quæ blasphemia vel sui recitatione inter Catholicos rejicitur.* Cum autem Græci apicum etiam, in dictis PP. sint observantissimi, aperteque significent, se â dictis eorundem hac in materia ne latum unguem discedere, probeq; loca Patrum â se, non male ut volunt Latini, intelligi; hinc iterum disparet consensus Allatianus. Et quandoquidem Allatius id præcipuè videtur egisse, ut sibi semper similis, hoc est, contradicens reperiatur, contendi hæc ex §. 32. l. c. descripta possunt cum illis alteris, §. 8. de Missa Præsanct. verbis: *Græcos semper in ea fuisse sententia, panem & vinum non nisi verbis Dominicis, in corpus & sanguinem Christi transmutari, neque de hoc fuisse* unquam *apud eos controversiam.* Anne Cabasila, Jeremias, alii, non sunt Græci? Vel suntne â Græcorum Ecclesia tanquam infideles, blasphemi, hæretici, propter contrariam sententiam condemnati? Nulla ne unquam orta est hac de re controversia? Quid E. unà cum Arcudio controversiam moves & decidis? sed commoda aures Goari p. 138. dicenti: *Vnde orta sit inter Græcos & Latinos in verbis Evangelicis ad consecrationem requisitis qualuscunq; di-*

versi-

versitas, constat abunde ex variis traditionibus Apostolicis sumsisse originem. pag. 137. arguit Græcos *hujus opinionis authores vel sequaces, è Contaciis sive Missalibus libris, & Euchologiis quibus potuerint eas abrasisse rubricas, quæ sacerdoti benedictione ad consecrationem verbis Domini faciendam prævia uti præscriberent: ne ubi benedictionis factæ certitudo extaret, indubitatum subsecutæ consecrationis haberetur argumentum, alios verò codices, vel â falsariorum labe intactos, vel à Græcis sanæ opinionis accuratius revisos, continere quæ sanam doctrinam deceant.* Quantum per hæc facinora decedit de auctoritate Ritualium Allatio infallibili; in quo nec illud satis assequi possum, quod commemorat, Græcos hodiernos ex unanimi & continuato magnorum PP. consensu permotos in hanc iviisse sententiam; hos ipsos tamen Schismaticos ex unanimi eorundem PP. consensu & doctrina esse ab aliis refutatos. E. & Schismatici & Romanenses, in contradictoriis versantes, unanimi utrinque nituntur Patrum consensu. Fol. 140. seqq. rationes *â se adinventas & excogitatas* reddit Goar ob quas Patres precibus suis Spiritus Sancti virtutem advocare docuerint. folio tandem 148. nulla circuitione amplius usus annotat: *Vt Sacramenta quælibet Spiritus Sancti virtute suam operationem consequi, ita & ejusdem adventu virtutem & perfectionem nanciscì opinantur Græci: quem in Sacro Sancto altaris mysterio significaturi, fervidam aquam, ceu ejus symbolum, calici admiscere adinvenerunt.* Atque hæc sufficiant pro dissensu in hoc quoque capite demonstrando. nunc nos domum recipimus.

§. 6. Pontificiis absurdissimum videtur dogma Lutheranorum, credentium, omnipræsentiam carni Christi concessam esse vi unionis personalis; at si unum corpus in plurimis, imò in innumeris locis, per omnipotentiam DEI esse potest, quî absurdum erit, corpus Domini in omnibus locis præsens adesse! Quæ sententia est eorum, qui invariatam A. C. & Formulam Concordiæ γνησίως amplectuntur & sequuntur: corpus nimirum & sanguinem Dominicum revera essentialiter, substantialiter, sine omni tropo & figura in sacra cœna omnibus communicantibus in os porrigi, quia Christus ita voluerit & declararit, neque hoc ἀδύνατον esse Domino, qui omnia potest facere, quæcunque vult. Hinc igitur nunc III. magna se prodit Doctissimi Allatii ἀνισχρησία, &

ignorantia dogmatum, quæ in Ecclesia Evangelicorum, A. Confess. addictorum, sunt recepta. Credimus nos & profitemur, In, cum & sub pane vere & realiter nobis porrigi corpus Christi, quod pro nobis est mortuum, ad designandam unionem Sacramentalem inter rem terrenam & cœlestem, & removendam inclusionem & delitescentiam localem corporis in pane, sanguinis in vino, quam impanationem, suppanationem, invinationem vocare possis: hacq; ratione cum vestrum de transsubstantiatione commentum, tùm Calvinianorum figurationes nudas effugimus, istamque corporis Christi à Cœna absentiam serio improbamus, quod etiam Theologis Pontificiis, qui nostra & Reformatorum scripta legunt, pernotum est. Et hoc ipsum dogma est unum ex præcipuis dissensionis capitibus, quod conciliationem partium, tanto opere semper â Reformatis quæsitam, hactenus sufflaminavit, & sufflaminabit apud eos, qui in religionis negotio nolunt esse ἀδέκτροι, tamdiu, quamdiu ipsi Calvini & Bezæ paradoxa sunt tuituri. Vel igitur Allatius nescit, quam grande inter nos & Calvinianos hîc intercedat discrimen, quod in Doctore Theologo turpe est, & eo turpius, cum Romæ sine dubio sint alii, ex quibus id discere potuisset: vel si discrimen illud non nescivit, de statu tamen Ecclesiarum Germanicarum parum novit: & tamen nosse debebat, Academiam Argentoratensem, ut de patria mea civitate Ulmensi, nihil dicam, Doctrinæ Evangelico-Lutheranæ, non tantum contra Pontificios, sed etiam adversus Calvinistas, sedulam & fortem esse propugnatricem. Vereor igitur ne Allatius in aliis consimilibus rebus, quæ ex oriente arcessuntur, nonnunquam vel decipiat, vel decipiatur. Remittendus autem est tùm ad Aug. Confess. & commentatores, tùm ad integros & sat grandes tractatus nostratium, in quibus veram corporis Christi in S. cœna præsentiam adversus Calvinianos solidissime, & longe solidius, quam ipse fecit Bellarminus, adstruxerunt. Sed audio mihi in aurem insusurrari, quæret ex te Allatius: *Cujâs es tu, Lutheranusne an Calvinista, vel aliquod simile præter naturam in religione, cultuque divino monstrum? Aliâs cum inter eos confusa sint omnia, & unus alium impugnet, & injuriis lacessat, qui dipse sis nondum exploratum est.* Sic enim Hottingerum interrogat p. 390. Minime subdole, vel monstrose, respondeo; me non esse

esse talem qualem, vel simile quid præter naturam in religione portentum, sed hominem addictum Conf. Augustanæ, cujus orthodoxiæ non officiunt placita aliorum hominum, qui extra nostræ Ecclesiæ castra militant: aliâs nescio, an ullibi unus alium vehementius impugnare & atrocius lacessere possit, quam id in Eccl. Romana, diversos inter religiosorum ordines subinde fieri comperimus. Quot enim tu solus impugnas & lacessis acerbissime scriptores Pontificios? quam item omnia in scriptis Scholasticorum, imò etiam in tuo consensu jacent confusa! sed contemnamus calumnias.

Artic. II.

De aperta communionis sub utraque necessitate.

Synopsis.

Publica communio & privata apud Græcos. Disputatio Goaris cum Arcud. de resuscitatione specierum. Repetitur distinctio communionis publicæ & privatæ. Specierum corruptibilitas. Sensus per transsubstantiationem ligantur. Concomitantia explosa. De Præsanctificatis. Digressio pro defensione Chytræi adversus calumnias Possevini & Allatii.

§. 1. Adscripseram in exercitatione verba Patriarchæ Confess. Augustanam approbantis, quæ legem & consuetudinem Eccl. Græcæ publicam, solennem & ordinariam exprimunt: adscripseram verba memorabilia Arcudii, Græcos hæreticæ opinionis postulantis; etiamsi autem quosdam excipiat; sufficit plures & potiores, ipsos Patriarch. & Sacerdotes nobiscum sentire. Christ. Angelus Græc. scriptor recens, & αὐτόπτης, cujus Græcam editionem ab humanissimo & Doctiss. viro, G. Phelavio cum auctario añotationum expectamus, cap. 23. de statu & ritibus Eccl. Græcæ refert: *Sacerdotem unicuiq. communicantiũ corpus & sang. Domini, uno eodemq. actu h. e. panem & vinum mixtum (vel panem vino intinctũ) distribuere, communicantes verò corpus & sanguinem Domini ore suo accipere.* Metroph. Patriar. Alex. p. 98. Confess. *Omnes utramq. speciem participare* memorat, *tàm Laicos quam Ecclesiasticos, idq. ex hâc causa fieri, quod omnes vita indigeant, quam sine sumtione Dominici corporis & sanguinis adipisci impossibile sit.* Johan. 6. 53. Eundem morem observant Mosco-

Moscovitæ Græcorum sequaces & Rutheni, qui inter articulos prounione perficienda Romæ 1595. hunc quoque proposuerunt, *ut Sacramenta Sanctissimi corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi ipsis ita, quemadmodum hucusq; usi fuerint, sub utraq; specie panis & vini, temporibus perpetuis integre inviolabiliterq; conserventur; ad processionem verò in festo corporis Christi ne adigantur, quandoquidem alius apud eos modus & usus sit Sacramentorum*, narrante Thomâ â Jesu p. 328. seq. Et hæc quidem sunt apertissima, neque negantur ab Allatio, qui id unice duntaxat agit, ut probet Græcos, utut communionis sub utraque tenaces, non tamen damnare communionem sub una, sed eandem inter adiaphora ponere. Id verò negat Jeremias Patriarcha, & Arcudius, quorum uterq; necessitatem innuit. Sed male id, judicante Allatio, innuunt; quia ipsi Græci in sumtione S. cœnæ quosdam tenent & laudant ritus, per quos communionem sub una reprobare nequeunt. De quibus jam videndum, & ante omnia semper tenendum erit: In ordinaria, publica, & solemniori administratione sacræ cœnæ, sub necessitate duas species ex Græcorum lege & more communicantibus porrigi: intervenire quidem casus quosdam, in quibus videantur communionem sub una probare, neque tamen hanc Græcorum esse mentem: denique, non negari â nobis, nonnullos Græcorum quandoque paulo longius ab institutione Christi recedere, non tamen prorsus ad exemplum Latinorum, deviare. Cum igitur Allatius fateatur, sanguine Christi madefieri labra puerorum, & infirmos corpore Domini in vino madefacto refici, in his quoque casibus communio sub utraque stabilitur. Quem enim in finem fit illa madefactio, nisi, ut institutioni Christi obtemperetur, licet non perfecte? Pueri igitur infirmi, Sacerdotes in quadragesimali jejunio, etiamsi non bibant vinum consecratum, panem tamen intingunt, ne prorsus sanguinis usum separatum ab usu sanguinis qui est in corpore naturaliter, negligant. Ludicrum autem est & deridendum, quod Allatius de cœna Mahumetanor. nugatur, quid enim illa ad nostram controversiam? quando verò dixi, probandum adhuc esse, Græcos panem in vinum non eâ fini intingere, quâ fini nos volumus & statuimus illam fieri, satis clarè illud innui, nos statuere, ea id fini â Græcis fieri, ut Sacramentum non mutilum, sed sub utraque

specie

specie integrum exhibeant: hunc igitur in finem intingunt buccellas in sanguinem, ut ritu illo testentur, se, licet in hoc casu, sanguinem seorsim porrigendum non exhibeant, eundem tamen communicantibus non penitus denegare: idcirco mox subdideram: nihil autem agit Allatius dum ex hac consuetudine absurda quædam elicit: esto enim sequantur, nunquam tamen effugiet, ut non invitus etiam deprehendere cogatur, Græcos propterea, sive ea fini panem vino tingere, ut sub utraque communicent, ideoque etiam §. 19. Allatius concludit: *Utinam contumacem in communione populi publica, sub utraque defendenda, animum deponerent.* Contumaciter igitur communionem sub utraque defendunt, quando ipsis sermo est de publica S. cœna administratione; hinc etiam calogerus iste ex monte Atho, Noribergæ dixit, se tractatum de communione sub utraque non exiguum contra Jesuitas scripsisse, quem in monasterio suo asservandum reliquerit. Privatim verò & in casibus citatis aliquantum ab institutione Christi discedunt; interim verò sibi sedulò cavere volunt, ne eidem omnimode contraveniant, quod ipse meus testatur Allatius, *Græcos nimirum posteriores, ne viderentur inconsiderate rem agere, hanc sibi ritus rationem uti accommodiorem, quærendo investigasse*, quæ est illa ratio? *Ut sub utraq. dicerentur communicare:* (quod quidem capere non potuit Refutator; lapsum tamen Grammaticum notare voluit, ubi nullus est, nisi forsan putavit, nomen finis in genere muliebri non efferri). Sed *hoc stultissimum est.* quare? *Qua enim ratione quis diceretur sub tali vel tali specie communicare quæ nunquam apparet* &c. Esto sit stultissimum, esto absurda consequantur, quorum Græcos tuos rationibus validis convincere possis, ex ea tamen nihil ominus Græci ratione id faciunt, ut ipse scribis: nostra autem nihil referre debet ex tuo ipsius præscripto, recte ne, an secus, hoc vel illud â Græcis fiat, sed saltim an id apud eos fiat & doceatur. Uter igitur nostrum de more & sensu Ecclesiæ Græcæ rectius loquitur, egone, qui ex propria tua confessione dico, Græcos panem eâ fini intingere, ut etiam hoc modo sub utraque dicerentur communicare, an verò tu, qui id negare quidem nequis, sed tantum stultissimam esse hanc rationem asseris? sive autem stultè sive sapienter agant Græci,

dum hanc rationem reddunt, nihil noſtra intereſt, qui non de veritate dogmatum, ſed de re hiſtorica contendimus.

§. 2. Negabunt inſuper Græci tam ſtultum hoc eſſe uti tu opinaris: Dicent enim ex aſperſione communis vini ſopitas & exiccatas ſanguinis ſpecies quaſi de novo exuſcitari: cùm tu abſurda plurima ex tranſſubſtantiatione fluentia firmiter credas, hanc ſpecierum per omnipotentiam DEI reſuſcitationem pro abſurdo tam grandi reputare non debes. Sed enim verò quid de adverſario refellendo multum laboro, cum id ante me â Doctiſſimo Allatii amico, Jac. Goare præſtitum ſit, totusq; diſcurſus Allatianus ex principiis Græcorum & Papiſtarum confutatus legatur in notis ad miſſam Præſanctif. pag. 208. Verba quidem ſunt longiuſcula, in gratiam tamen eorum, qui Evchologio Goarino carent, diligenter enotanda. Et primo quidem Arcudium, *ex nimio Zelo toleratos etiam Græcorum mores condemnare attentantem, hancq; intingendi conſuetudinem, nulla alia ratione, quam Romanæ Eccleſiæ exemplo, reprobantem*, more ſolito rejicit: rationes deinde moris tolerati duas reddit; & quidem primam; *hunc ritum non eſſe neotericam inſtitutionem*; *alteram*; *in animarum conſolationem, & uſitatam Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie ſumtionem ea fiducia â Græcis poſſe attrectari ſacras ſanguinis ſpecies, qua ſummi Pontifices qui atramentum Chriſti ſanguine diluerint.* Tandem objectionibus occurrit: *Si dicas exiccari, & proinde deperdi penitus & interire, adeoque profane nimis rem divinam tractari, occurrunt (Græci) confeſtim, & vini ſubſtantiam fluiditate, & humore cuncto ſublato, (eo quod accidentia ſint ſine ſubjecti corruptione adventia) conſervari poſſe affirmant, æque facile ac panis natura, ſi liquore reſolvatur & reddatur fluida: at verò communis eſt ille Eccleſiæ, Theologorumq; ſenſus, ſacras panis ſpecies in vinum conſecratum injectas, ejusq; humore reſolutas, & ad ejus inſtar fluentes, â priſtina non recedere natura, & proinde ex æquo ſalvam poſſe vini ſpecierumve naturam, ut ita loquar, conſiſtere, quamvis partibus ejus ſubtilioribus calore appoſito exhalantibus, denſiores & craſſiores, conſpiſſante eas ſiccitate, ſolæ permaneant; quæ deinde in vinum injecta reſolvantur, exſuſcitentur, & de novo emergant, priorique ſemper retenta natura, Chriſti ſanguinem æque ac prius contineant, & ſumentibus exhibeant: non enim minor eſt minima quæcunque ad integritatem*

tatem vini ſuſtentandam, pars hæc condenſata, quam contemplamur, nec magis â vini natura quam coagulum (quod lac immutatum eſſe nullus non videt) â lacte, aliena eſt, â quo proinde lac reſudat, & niſi melius dicas, in lac ipſum reſolvitur. At licet, me judice, & pluribus aſſentiente, vero ſimilius ſit, vini ſpecies urgente nimio calore, & ſiccitate nimia vini naturæ adverſa dominante, funditus deperdi; non ideò tamen temeritatis & irreligioſitatis (ſtultitiæque) *nota temere illis eſt inurenda, ſi pane hujusmodi intincto ſua Præſanctificata peragant: cum enim ſub utraque panis & vini communionem excipere ſint aſſueti, ne conſuetudinis juri, cui (quicquid in contrarium ſuadeat Arcudius* (addo ego Allatius) *præfato lib. 3. c. 56.) *eos renunciare S. Romana Eccleſia non compellit, adverſum quid inducere videantur, cum vini ſpecies ne aceſcant, diutius conſervare nolint, nec illis totum panem inficiendum judicent, ex parte ſaltem & in mica cruce leviter imbuunt; ut & conſuetum communionis ritum, quoad elementorum in quibus ſumitur, natura permittit, obſervent, & hâc intinctione, non ſanguinem ſolum è corpore effuſum, ſed & corpus ipſum ſuo ſanguine tinctum & immerſum expreſſius ſignificent. ſed nec damnat Græcos, quæ objicitur ſpecierum vini evaneſcentium cogitatio: in hominum enim utilitatem, quam Sacramentum reſpicit uſus & conſumtio, cedit quicquid ibi ſacrum & divinum. -- nec legitur (hic mos) à Supremo Eccleſiæ capite anteſchisma revocatus, aut poſt illud in Conc. Florentino, quo levioris momenti res ſunt diſcuſſæ, reprehenſus: eo quod, præter cuncta hucusq; producta, non temere aut profana ratione diſpereunt illæ vini ſacrati ſpecies, ſed aut panis ſpeciebus deinceps adhærent, & perſeverant iis junctæ, aut certe in ipſis pereunt, in eas refunduntur, vel ſaltem ab eis in ſui interitu, nullatenus divelluntur.* Adverte lector, quos nobis ludos faciant, & quæ nobis ſpectacula exhibeant noſtri luctatores ſibimetipſis adverſi.

§. 3. Haud injuria porrò de Pontificiis conquerimur, quod nihil certi nobis referant, quorum teſtimonia ſine ullis cavillis & perverſis expoſitionibus, uti ſonant, nude recitamus. Gabriel Sionita natione & ortu è Libano Maronita, ab adoleſcentia Romæ in Maronitarum collegio educatus, & ultra viginti annos L. L. Oriental. Prof. Pariſ. Regius, ſcribit, *ſe plures caſus nec in praxi obſervaſſe*, nec quod plus eſt, *ex lectione librorum didiciſſe*: ſi Sionitæ non debeo ſtatim credere, qui

certe in peritia rerum orientis haud minus fuit excellens, quam Ecchellensis, Holstenius, Arcudius, Caryophylus; cumq; tres posteriores non fuerint Maronitæ, uni certè Maronitæ Ecchellensi non video cur plus fidei deferre debeamus, quam Sionitæ: Et cur uni Gabrieli fidem in re plurimis scriptoribus tradita denegatam cupis, quam tibi uni frequentissime contra fidem omnium aliorum arrogas? Verè igitur dicimus, nihil certi nos ex relationibus vestris, majori tamen vestro, quam nostro damno & probro, habere posse: Vir, ipso Ecchellensi teste, excellentissimus, Gabriel Sionita testatur, se nescire plures casus, contradicunt alii, & quis scit, annon etiam vos aliquando sitis habituri adversarios ex ipso vestro cœtu? Sæpe nobis aliquid refert Allatius quod negat Arcudius, sæpe Arcudius, quod negat Catumsyritus, sæpe Catumsyritus, quod negat Goar, & quod hi omnes aliquando affirmant, Doctores Eccl. Græcæ hodierni negant. Nihil interim vel parum nobis decedet, sive plures, sive pauciores dentur hujusmodi casus: Solemnis tamen de qua nobis controversia quam maxime est, *synaxeos celebratio*, aliter peragitur, adeo, ut ipse Goar in Epist. ad Nihus. testetur, *se à Cyrillo Archiepisc. Trapezuntino audivisse, vi præcepti Dominici, Nisi manducaveritis* &c. *sumendam esse sub utraq; specie communionem, si modo extremum discrimen, & casus necessitatis, qui excuset, non obstiterit.* Eo ipso autem Pontificios minime excusabunt, multo minus probabunt, qui in publica & ordinaria communione citra ullum necessitatis casum, calicem plebi fidelium subtrahunt. haud minus illud pro nobis facit, quod Goar pariter judicat, Græcos interim *panem consecratum consecrato vino intinctum ægrotis porrigere*; nec officit, quod paucæ vini guttulæ totam intincti panis massam non possint pervadere; Sanguis enim Dominicus est, sive paucas sive multas guttulas sumamus. Si Arcud. 3, 56. audiamus, *optandum esset, ut hic mos apud Græcos abrogaretur, ne Græci putarent, species panis, vel species vini seorsum acceptas, non esse perfectum corpus Christi, & Sacramentum, ac proinde in communione, quod Græci faciunt, necessario distribuendas esse ambas species.* Ipse tamen putat *difficile id persuaderi posse Græcis non unitis.* Abrah. quoque Ecchell. aperte in epist. ad Nih. confitetur, *communionem publicam semper fieri sub utraq;*; qui etiam rationem reddit, quare pane solo ægroti, aliiq; vescantur, nimirum, *quia Sacerdotes non*

semper

semper sint ad manus, neque tuto calix perferri possit ad communicaturos propter durum, quibus Christiani ab infidelibus premantur jugum, quo fiat, ut sæpe quatuor vel sex vici Christianorum, multis milliaribus inter se distantes, unicum habeant Sacerdotem. All.P.C. p.1660.1664. Insuperverò in casibus illis existimant Orientales se ab institutione utramque speciem præcipiente, non recedere; sive existimatio illa sit vera, sive falsa, nobis perinde est. Unde idem Goar narrat; *eos qui panem consecrato vino non intingunt*, nihilominus, *ut ostendant communionem debere secundum receptum apud eos morem sub utraque tradi, particulam illam vino communi dilutum porrigere, quod vini consecrati speciem referat.* Licet adjiciat unicum exemplum, se vidisse morituro cuidam datam fuisse frustulam non intinctam. Sed unum exemplum â praxi ordinaria & lege nihil decerpere potest: fuit fortassis etiam moribundus ille Pontificius Græcus, quod ex eo colligo, quia Goari peccata confessus fuit, ut ibidem refert.

§.4. De corruptibilitate & incorruptibilitate specierum quando disputatur, comune est juxta Allat. axioma Pontificior. cum nulla amplius est species vini, tum desinit sanguis, quemadmodum & specie panis sublata, corp⁹, hinc eidem Allatio non videtur absurdum, vinum, quod erat verè sanguis, exsiccari, & panem, qui erat verè corpus consumi. Scio tibi & Romanensibus non esse absurdum, corpus vivificum Servatoris nostri â muribus comedi, ipsum Deum sacrâ hostiâ conteri, pabulumque fieri brutis panem, qui pascat Angelos, stylo Gramondi l. supra c. Id verò in se est absurdum & impium, corpus Christi glorioſum, ad dextram & majestatem Patris evectum, in quo & per quod omnia gubernat, & in medio quoq; inimicorum dominatur, muribus & petulantiæ hominum sceleratorum esse obnoxium; sed horsum vos adegit monstrosa vestra transsubstantiatio. Absurdum in se est, aërem in verum sanguinem Christi, eundem exiccando, agere posse. Absurdum erit Græcis tuis istiusmodi evaporationem & exsiccationem statuere, cumq; panis jam transmutatus ipsum corpus Domini, & vinum jam transsubstantiatum sit ipse sanguis Christi, nullatenus corruptioni subjecta esse creduntur à Græcis sacra ἀψευα. Male igitur Allatius disputat. de incorruptibilitate corporis detorquet ad quæst. de incorruptibilitate specierum, quod nimirum

Græci non opinentur, quasi species prorsus sint incorruptibiles, sed quod illæsæ diutius perennent. At verò de pane transmutato quæritur, non de specie, colore, vel odore panis. Frustra igitur reponit Allatius, *aliud est* de corruptibilitate corporis Christi, aliud de specierum corruptione sermonem esse, corpus Christi incorruptibile est, species *corruptibilis*. Hinc argumentor: corpus Christi est incorruptibile, panis jam transmutatus est corpus Christi. E. panis jam transmutatus est incorruptibilis. Item, sanguis Christi est incorruptibilis, vinum consecratum est sanguis Christi. E. vinum est incorruptibile: Quod autem est incorruptibile exsiccationi non est obnoxium. Non debuisses igitur cum risu mirari, quare quæsiverim, an sanguis Christi incorruptibilis in tenues resolvatur auras? si vinum quod in ipsissimum sanguinem Christi facta consecratione est mutatum, exhalat & evaporatur in auras, tùm omnino sanguis ipse ex tua sententia evaporabitur. Absurda verò absurdis cumulantur, quando statuitis, species corrumpi; species & accidentia sine subjecto, cui inhæreant, nulli mutationi subjacere possent, imò omnis istiusmodi mutatio subjectum suum afficit. Quando sumuntur Sacra symbola â fidelibus, tum illa quidem absumuntur, thesaurus verò cum illis sacramentaliter collatus non corrumpitur.

§. 5. Ridiculum, vel potius aliud absurdum est illud; etiam post transsubstantiationem in Papatu suũ sensibus relinqui judicium, cum palam species illæ sensibus objiciantur. Quomodo sensibus suum integre relinquitur judicium? species siquidem illæ sensibus objiciuntur, & tamen perhibentur sensus sani & integri, organis illæsis & rectè dispositis, in justa distantia, de objecto proprio, congruo & proportionato, judicare. Odor, calor, sapor, quantitas, figura, forma, materia panis adest, & ita aliâs sensus judicant; per transsubstantiationem autem debent judicare, non adesse panem. Cavillum est non resolutio argumenti mei, quod repeto: Ubi nulla substantia vini remanet, ibi sanguis non sumitur, atqui in bibitione sacrificuli nulla vini substantia remanet. E. in bibitione sacrificuli sanguis non sumitur, adhuc nescio, an missifices Allatio sint concessuri, se in bibitione sanguinem non sumere? ut itaq; me & teipsum rectius intelligas, dico, te ex illa vini evaporatione colligere, communionem tùm fieri sub una, ratio tua, vel medius terminus

hic

hic est, quia ibi nulla substantia vini remanet, quæ dudum exhalavit. Ego arripiens tuum medium ita intuli: Ubi nulla vini substantia remanet, ibi sanguis non sumitur, hanc propositionem tu contra nos & Græcos formasti, subsumo in bibitione missificis nulla substantia vini remanet, sed nuda adsunt accidentia, E. in illa bibitione sanguis â missifice non sumitur. Non ridicule igitur dubitavi, an sacrificuli hanc tibi locutionem vel sententiam sint concessuri. expecto responsionem, quam nondum dedisti. In resolutione alterius syllogismi petis principium, is ita habet: Ubi est odor, color, sapor, humor, fluiditas ipsa vini, ibi etiam est substantia vini, atqui in S. cœna hæc adsunt, E. ipsa adest substantia vini non nuda accidentia. Propositio desumpta est ex ipsissimis verbis Allatii, indefinite posita, quæ universali æquipollet: Ubicunque & quandocunque hæc adsunt, ibi etiam necessario ipsum adest vinum. Quis dubitat, regerit refutator, ante consecrationem? adesse scilicet ipsam substantiam, non verò post consecrationem. hoc est quod probare debebas. Æternum vera est illa propositio, quam ex tuis verbis formavi, major, est catholica & universalis. Viderat Adversarius vim argumenti, & præventum jam esse exceptioni de vino ante & post consecrationem, ideoque minorem propositionem, quam ego expresse posueram, omisit, dicit illa; atqui in cœna Sacra hæc adsunt; ante consecrationem proprie nondum est sacra cœna, locutus ego fui de vino post consecrationem, ubi odor, color, sapor, humor, fluiditas ipsa tàm certo adsunt, quam ante consecrationem: Si igitur tam vere adsunt post consecrationem, quod negari nequit, quam ante consecrationem, sequitur irrefragabiliter ipsam vini substantiam remanere, & hinc non dari transsubstantiationem. *Hoc verò negatur uti ineptissimum.* Quare hoc! quia substantia vini post consecrationem nulla remanet, sed tantum species vini, sub qua sanguis Christi latet. Rogo qualis est ista tua disputatio, & acumen omni pistillo retusius? qualis illa principii iterata petitio longe ineptissima? certe tibi aptum non est absurditates tuas agnoscere. prius negaveras vini substantiam post consecrationem remanere, addita ratione ex fallacia, quam Logici vocant, τὸ ἐν δεχῇ αὐτοῦ, nimirum sola accidentia remanere: postea, cum demonstrarem, eadem requisita & essentialia vinum constituentia omnia, etiam post

conse-

consecrationem remanere, adeoque non factam esse transsubstantiationem, pari modo nodum secas, dicendo, ineptissimum hoc esse, cum sola accidentia remaneant.

§. 6. Tertius Syllogismus, quem ex verbis Allatianis extruxeram, plene sic proponi potest: Ubi vinum vel sanguis sumitur tantum per modum esus, non per modum potus, ibi nulla est bibitio, in communione Græcorum, quæ fit per panem intinctum, vinum, in communione Laicorum apud Latinos, sanguis tantum sumitur per modum esus, non per modum potus, E. ibi nulla est bibitio. major est Allatii, & ipsius quoque veritatis. vult enim Allatius Græcos suos convincere, quod in illo casu non communicent sub utraque, ratio, quia vinum vel sanguis iste non bibitur, sed per modum esus tantum sumitur. minor iterum est Allatii, & nititur praxi Pontificia. Cum itaque utraque præmissarum sit Allatii & immotæ veritatis, inepte ad conclusionem denuo respondetur, In bibitione esse comestionem, & in comestione bibitionem. Ita scil. coguntur παραλογεῖν, qui sapientiores esse volunt ipso Christo, is etenim, si judicasset, sufficere comestionem cui insit bibitio, citra dubium de calice seorsim sumendo nihil præcepisset. Mererentur isti disputatores ut nullum unquam ipsis vinum in mensa & cœna vulgari ministraretur, sufficeret enim ipsis esculenta sumere, quibus vinum esset affusum. Eadem paradoxologia Bellarminus hominibus parum sanis persuadere cupit, Sacerdotes in missis solitariis, quæ adspectante tantum populo, nullo communicante, celebrantur, pro toto populo bibere: mirum, ni ex plebe tandem aliquando faciant chamæleontes, vel equas liberas vento gravidas, vel populos ἀξόμους, ut nescio quis in eos jocatur. Belle cum Bellarmino ageretur, si aliquis loco ipsius sitibundi biberet, diceretque, satis esse quod ipsi aspectus concederetur. Ignorantiam præterea suam rursus prodit Refutator, dum putat, me ex mea hæresi separare sanguinem â corpore. Verum etiamsi ab hæresi tua sim alienissimus, neque putem Christum delitescere sub speciebus panis & vini, neutiquam tamen statuo, corpus Christi esse inanimatum & exsangue, sed corpus Christi vivum & sanguine præditum ab omnibus communicantibus sumi credo, sed id per modum naturalis præsentiæ, vel si ita lubet vocare, concomitantiæ: naturaliter igitur is, qui corpus come-

comedit, simul etiam sumit sanguinem, sed non sacramentaliter. Quæ sacramentalis præsentia unice æstimanda est ex gratioso Christi instituto sive mandato. Corruit igitur vestra exceptio nobilis, tuaq; responsio, neque eidem tibicinem satis robustum supponere potuisti.

§. 7. Postremum est, quod pro Nihusio, quem nobile familiæ Plautinæ columen nominare soleo, cujusq; sycophantias, ineptias, calumnias, amplo satis numero detexi, illud unicum respondere in se recipit, ex qua ratione, præsanctificata in numero plurali dicantur. Cornæus Jesuita in perspicill. & ipse Nihus. apud Allat. p. 1676. putant, Præsanctificata dici in num. plurali, quod plura sint dum consecrentur; quod Allatius quoq; pag. seq. epist. ad Nihus. fatetur: *Quod de Præsanctificatis in plurali numero, ad me scribis, res est mera, Præsanctificata enim dicuntur, quod plura sint dum consecrantur, licet postea in una Missa unum tantum absumatur.* Sed hæc sententia, quæ modo res erat mera, amplius non placet Allatio nunc asserenti, ita dici, *quia Græci sub una specie corpus tamen & sanguinem simul accipiant.* hoc verò probandum esset alicujus probati auctoris testimonio: imò per ea, quæ ad Gabriel. Naudæum diss. 1. p. 29. de libb. Eccl. Græc. scripsisti hoc falsum esse probatur: *Illud etiam ipse observo ex præscriptis Patriarchæ Constantinop. ad Paulum Hypopsephium missis, Præsanctificatorum liturgiam non unam atque eandem apud omnes fuisse, sed pro varietate Ecclesiarum, & temporum variam: in ea enim quam nos hodie habemus, sanguis Christi nullus conficitur, at quam ipse explicat, conficiebatur: ideoque Patriarcha asserebat, non esse opus Præsanctificato sanguine, particulas panis præsanctificatas esse intinctas, quod sanguis in ipsa missa conficeretur, & calix absolveretur: bis enim idem haberetur.* hinc primò colligas, ex variato istiusmodi ritu oppugnari non posse ordinariam & solennem consuetudinem: Deinde, Allatianam nomenclaturam per hoc everti, ait ille, Præsanctificata in plurali dici, quia sub una specie corpus & sanguis simul accipiatur; at verò hic Præsanctificata dicuntur, etiamsi sanguis quoque conficiatur. Refutet verò Allatius seipsum amplius. Ipse in diss. de Missa præsanct. §. 7. rationem nominis hanc reddit: *Dum enim ipsa liturgia dicitur, nullum corpus CHRISTI fit, & nullus sanguis, sed factis,* (corpore scil. & sanguine) *antecedentibus diebus, utitur Sacerdos, & absumit, quæ cum sancta sint,*

nomen Præsanctificatorum Liturgiæ dant. audis, propterea vocari præsanctificata, quia corpus & sanguis, quem diebus antecedentibus Sacerdos, ut loquimini, fecit vel confecit, absumitur, jam vero in illis diebus non confecit solum corpus in quo lateret sanguis, sed sanguinem seorsim. E. sancta dicuntur, non ob rationem ab Allatio recens excogitatam. adde, si Græci dona ista Præsanctificata vocarent ex eo, quod sanguis sit in corpore, supervacaneum esse existimarent, particulas panis in calicem intingere, quod tamen faciunt, creduntq;, se hoc modo & pane & calice communicare, sicuti exserte loquitur Simeon Thessalonicensis apud Allat. de Miss. Præsanct. §. 17. f. Sed vero fortius adhuc nodum constringam, ut elabi nequeat adversarius noster. §. 19. ipse indicat, Græcos Missam Præsanctificatorum celebrantes, *in precibus suis â Domino petere participationem corporis & sanguinis, & post modum utriusque se participes factos esse fateri, id quod etiam ipsum nomen innuat, neq; enim dici Missam Præsanctificati, sed Præsanctificatorum munerum, nempe corporis & sanguinis*, Inde nunc laborat Allatius, qua ratione in plurali dicantur Præsanctificata. Si eorum inter preces effata simpliciter attendamus, res satis est manifesta; verum, quia Allatius id quod omnes vident, videre non vult, fingit ita dici: *quia corpus non sit exangue & emortuum, una secum habens sanguinem, quare, addit, qui corporis illius particeps fit, uno eodemq; tempore & sanguinem bibit, quamvis sub utraque specie non communicet.* Adstipulanturne Græci Allatio hæc comminiscenti? minime gentium, quod ex eodemmet probo, dum verbis modo recitatis hæc adjungit: *Id cum Græcis non arrideret, qui utramque speciem ambiunt, ut sua ab objectis Latinorum tutarentur, excogitarunt cochlearis, sanguine madidi, contactum cum corpore; vel vini, de novo in calicem profusi, solo corporis contactu, consecrationem. quod cum infeliciter succedat, quando nec primus sanguis, cum tempore exsiccatus, sub sua specie conservatur, neque vinum novum contactu illo consecratur; necesse est eos fateri, ad veram & genuinam corporis Christi communionem utramq; speciem non requiri; cum sub unica in Missa Præsanctificatorum, â Sacerdote ipso fiat. Quod utinam Græci animadverterent, & contumacem in communione populi publica sub utraque defendenda, animum deponerent.* Quicquid sit de more, quem me nunc non multum obtinente absurdis premat

premat & urgeat Allatius; nos in eam condiximus legem, unice â nobis investigandum esse, quid Græci inter preces pronuncient, quidque conquisitis undique coloribus defendant, sive rectè id fiat, sive perperam: eos cùm hic iterum aperte pro nostris stantes partibus habeamus, affirmantes, Præsanctificata dici propter speciem utramque, quam intinctione perfici posse credunt, Allatianarum consequentiarum securi esse possumus, sicut ipse p. 1653. monet, *non rationibus & argutiolis hîc agendum esse*, quod tamen hîc solummodo agit, & p. 1655. *obstinatissimos communionis sub utraque assertores Græcos evidentissime redarguere* instituit. Notetur verò iterum consensus; contumacem animum adversus Latinos non deponere, idem significat in cerebro Allatii, quod perpetuo consentire. Habet tamen Allat. p. 1653. quo sententiam suam plausibilem reddat, quando ex officio Præsanct. memorat; *Panem etiam solum Præsanctificatum, antequam in calicem injiciatur, in numero plurium compellari Sancta*; Sed hanc rimam obstruimus ex §. 9. de Miss. Præsanct. Ubi Allatius asserit, *hostiam nondum consecratam adorari posse ob id, quia mox sit consecranda, cultumq; tunc non pani ut pani, sed Regi totius universi, sub panē â Christi fidelibus recipiendo, deferi, Christoque futuro tribui.* Sic; Dicitur Panis ille Sancta in numero plurium, quia mox futurum est, ut cum calice conjungatur. Conferri merentur illa, quæ D. D. Haberkornius in Vindic. Anti-For. p. 500. seqq. de ratione hujus nominis disputavit.

§. 8. Superest ut concludamus, Græcos in parte potissima, nimirum necessitate comunicandi sub utraque in publicis cœtibus nobiscum consentire, etiamsi privatim in quibusdam casibus, secus videantur agere, quod tamen ipsi haudquaquam concedent, sed aperte profitebuntur, se ex animo credere, his quoque modis peragi communionem sub utraque. Manet igitur dissensio inter Papæos & Græcos. Cur verò Missam Præsanctificatorum tanquam ægidem Minervæ Allatius totiens obtendit, quæ tamen â Bellarm. T. 3. l. 4. de Evchar. c. 5. §. quintò. est reprehensa; quem sequitur Becan. cap. 15. de Sacram. q. 1. §. 18. ubi respondet: *In Missa Præsanctificatorum non esse verum sacrificium, quia panis in ea non consecretur & consumatur.*

§. 9. Facit argumenti affinitas ut de Missis solitariis, harumq; occa-

sione de instituto B. Chytræi aliquid disputemus. Cap.15. l.3. operis de perpetuo dissensu destinavit Allatius Chytræo, in quem im̃ani flagrans odio, multumq; atræ bilis effundens, στηλιτευτικῷ λόγῳ hæc & alia effutit: *Finem scribendi feceram; cum ecce mihi offertur oratio D. Chytræi, de Statu Ecclesiarum suo tempore in Græcia, Asia, Africa &c. in qua Lutheranus pessimus, miro astu, & putidissimis mendaciis, Lutheranas hæreses ubique dominari, & literis nonnullorum Orientalium, post orationem appensis, Græcos in Confessionem Lutheranorum, quibus illi in Germaniam scribunt, concessisse, persuadere simplicioribus conatur. Hominis imposturas atque mendacia docte admodum refutavit Nicol. Mylonius Theologus Germanus (est hic ut postea patuit, Ant. Possevinus) sed cum nostri negotii sit, male ab æmulis illi Ecclesiæ appictæ convellere, ex illius Ecclesiæ intimis, quid illis cum hæreticis, quid cum Ecclesia Romana commune sit, dispiciamus.* Animum & stilum Allatii, lector, statim agnoscis, nimirum ferocem illum, protervum, & haud raro ex insano erga curiam Roman. Zelo, furiosum & bacchantem. Unde amabo habes, Chytræum esse Lutheranum pessimum, ii qui ipsum olim noverunt, vel scripta ipsius legerunt, omnes pronuntiant, fuisse virum ingenii mitissimi, quod vel sola hujus orationis adversus imposturas A. Possevini defensio te docere posset, dum proterviam sermonis Posseviniani, & â Christiana mansuetudine alienissimam conviciorum scurrilitatem, de qua tantum̃odo p.5. & 7. conqueritur, ita suffert, ut Loiolitam istum nullibi acerbius excipiat. Fuit iste D. Chytræ⁹ Suevus patria, Regibus, Principibus, Magnatibus aliis, viris dignitate & doctrina eminentibus, ipsiq; etiam gloriosiss. Imperat. Maximiliano II. gratissimus, ut epistolæ ipsius editæ testantur: unde etiam factum, ut ex Rostochiensi usq; Academia laudatissimus Cæsar ipsum evocarit ad ordinandas Ecclesias Evangel. in Austria, in quo negotio non solum Proceribus Austriæ, sed ipsi quoq; sacratiss. Imperatori suam fidem & pietatem ita probavit, ut non tantum Cæsar cum eo coram de variis rebus fuerit collocutus, sed literis quoq; systaticis *eum ducibus suis Megapolitanis commendarit*, affirmaritq;, *omnia sibi valde probari, quæ Chytr. divina auxiliante gratia in Austria perfecisset.* Et licet propter hanc ipsam orationem postmodum à Legato Pontif. Polonico apud Imperator. accusatus fuisset, quasi in illa S.C. M. Lutheranismi insimulasset, sua tamen epistolica

lica purgatione id effecit, ut post aliquot annos ad constituendas juxta normam Aug. Conf. Ecclesias in Stiriam quoq; vocatus, iterumq; in Austriam intromissus fuerit, ad Ecclesiarum contra Pontif. molitiones ordinationem. quæ & complura alia reperias in Or. funebri, itemq; in volumine Epp. satis grandi. Quem autem viri sumates, etiam Pontificii, pro Viro Bono habuerunt, hunc Allat. ex invidia pessimum reddere nequit. Quem verò mihi dicis mirum astum, quæ putidissima mendacia, quibus simpliciores decipere conatus fuerit Chytræus? omnium hominum jure me vocaveris pessimum, nisi probavero, te putidissimis mendaciis famam Chytræi subvertere voluisse. Ostende sodes, ubi Chytræus dixerit, Lutheranam doctrinam ubique dominari? ubi apex, Græcos in confess. Lutheranor. concessisse? projecte nimis impudens & mendax es, dum tám audacter hæc affirmas. Meminit Chytræus sub initium suæ orationis, se hæc partim coram cognovisse, partim ex hominum fide dignorũ nobilium & eruditorum αὐτόπτων & oculatorum testium sermonibus, Viennæ & alibi didicisse. Wenceslaus Budowizius Magister Aulæ Legati Cæsarei apud Turcam ad Chytræum scribit: *hodiernus Græciæ status certè per omnia talis est, qualem tu esse scribis, nisi quis in minutulis illis & mutabilibus ceremoniis inquirendis curiosior esse velit, quod etiam nonnulli sine omni fructu & ineptè faciant.* Mendaciorum igitur fontes, si qui essent, redundarent in nobiles & ministros Cæsareos αὐτόπτας. Hæc cùm ita sint, recte scripsi in exercitatione, Chytræum ab Allatio præter meritum & institutum tam acerbè tractatum esse. De meritis audivimus: nunc de instituto & mente. Voluit ne dominatum Lutheranæ religionis simplicioribus in oratione illa persuadere? nihil minus cogitavit. Ipsa pro se loquatur innocentia. *Mihi quidem in tantis vitæ humanæ & religionum confusionibus, & in tanta multitudine & potentia hostium CHRISTI, & tristissimis dilacerationibus eorum cœtuum, qui de nomine CHRISTI gloriantur, pergrata & dulcis etiam consolatio fuit: quod Ecclesiam Christi, agnoscentem & colentem Verum Deum æternum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, non solum conservari in mundo omnibus temporibus & locis, nec exiguis hisce & angustissimis Europæ finibus tantum contineri; sed in media Turcia,*

in Græcia, Asia, Armenia, Iberia & Intimæ Africæ regnis latissimis, publico Evangelii Christi & Sacramentorum ministerio colligi & propagari. Initio autem æterno DEO conditori & custodi Ecclesiæ suæ, toto pectore gratias ago, quod immensa bonitate & misericordia, Ecclesiam sibi æternam, publica Evangelii voce ex genere humano, passim toto orbe terrarum colligit & conservat. Hoc igitur Chytræo in oratione ista, Rostochii habita, fuit propositum, ut ostendat, Deum ubique terrarum habere aliquam adhuc Ecclesiam etiamsi non omninò incontaminatam: & ne quis calumniari posset, ipsum eò hanc confeciſſe orationem animo, quem Allatius eidem tribuit, aperte proclamat; *Etsi enim de veteris & purioris Ecclesiæ doctrina & ritibus aliquando plus reliquum apud Græcos manſit, tamen alioquin omnia non minus quam apud Pontificios superstitionum plena esse intelligo.* Sed sistamus ipsummet Chytræum de consilio suo contra Possevini impostoras causam suam apud Regem Sueciæ &c. perorantem: *Singulari cum voluptate & lætitia, quod antea mihi & multis in hac Germaniæ parte aliis ignotum erat (ex narrationibus istis) didici, non libros solum Sacræ Scripturæ, & Evangelii Christi, in templis Christianorum in Græcia publice haberi & legi, & ritus à majoribus acceptos servari; verum etiam ordinem & gradus Episcoporum & Patriarcharum veteres, totamq; politiam & jurisdictionem Ecclesiasticam, à Turcico Imperatore tolerari & defendi, ac si non puriorem, certe non minus Christianam, quam in Pontificis Romani Ecclesia, Religionem, in Græcia, sub Turcarum tyrannide reliquam esse.* Hæc donum in Scholam, ad Chronici lectionem revertens, auditoribus nostris, non ut Lutheranam doctrinam adstruerem, aut Pontificias aliarumve sectarum opiniones refellerem, & illic vel alibi dominari ostenderem: sed velut simplicem & nudam præsentis status Ecclesiarum Græciæ & aliarum gentium historiam, nihil falsi fingens, nec quidquam veri in hujus vel illius gratiam recitens, simplici ac bona fide recitavi, μόνῃ τῇ ἀληθείᾳ θύων, solam veritatem cum audientium utilitate & oblectatione habens propositam, nec quicquam suspicans quam post 15 (80 fere) annos primum me publice ὑποθωιον fore. Suæ igitur mentis interpres optimus Chytræus clare satis scopum suum descripsit, nullas quoque impostoras & mendacia commisit, uti mentiuntur Possevinus & Allat. quod ipse erudite admodum ostendit in detectione impostorarum Possevini, quem

quem dum earundem convicit, eadem opera Allatium quoque refutavit; qui sua ex Possevino desumsit, licet de suo plurima addiderit. Sine dubio illa defensio seorsim primò prodiit, verum editio, qua nos usi sumus, reperitur in tomo quinto doctrinæ Jesuiticæ Rupellæ impresso. Hinc potest Allatius, si stipes, si stultus, si delirus non omnino est (sua ipsi verba, quibus Chytræum ornat, reddo) intelligere, quam insipide hanc controversiam non modo auspicatus fuerit, sed etiam pari insulsitate finiverit, quando ex Chytræo refert, Græcos bonam religionis partem in horarum canonicarum recitatione, Sanctorum, Mariæ, imaginum, adoratione, &c. collocare, hoc apposito §. 43. epiphonemate: *Quare ut verum fatear, expugnavit me Chytræus; palmarium habeat, triumphet, coronetur. Sed quid hoc tandem ad hæresin Lutheranam? Id est, Græcos non cum hæreticis sed cum Romana Ecclesia concordare. Et nota, mi Lector, qui suppetias sibi ac suis à Græcis conquisitum ierat, & jam se habere insolenter jactabat, solum destitutumque suppellectili omni, at q; illusum, inter amentes collocari, & fungos putridos. Nihil enim sapuit vel sensit.* Ecce tibi Senem delirum! dixitne Chytræus, se Allatium nondum fortassis tùm natum expugnaturum? an aliquis Lutheranorum hoc de oratione Chytræana dixit? habet jam palmam & coronam suam in cœtu triumphantium, quam ipsi nullus Sophista & calumniator adimet. Illa suppetiarum ab Ecclesia Græcanica petitio, illa insolens & tantum non insana jactatio, neminem magis ferit quam Allatium; non sane Chytræum, qui Possevino pari modo insultanti, deque consensu Græcorum ratione Idolatriæ & fiduciæ justitiariæ triumphanti & quærenti: *ecquid hæc ad Lutheranismi comprobationem faciunt?* respondit: *nunquam mihi ne per febrim quidem somnianti, in mentem venit, quod Possevinus in hac or. propositum mihi fuisse fingit, ut persuaderem imperitis, Græcorum religionem cum Lutherana prorsus convenire, aut ut præsidia & firmamenta nostræ doctrinæ à recentibus Græcis peterem: aut Græcos in Lutheranam confessionem vel aliorum qui ex Germania eam Patriarchæ Græcorum miserant, concessisse: simplicem & nudam historiæ commemorationem, & formam Ecclesiarum Græcorum præsentem, sive nostris sive Pontificiis, sive aliarum gentium Christianarum institutis congrueret, adumbrare auditoribus volui. Confirmationem verò & comprobationem nostræ*

doctrinæ

doctrinæ, non â recentibus Græcis aut Latinis, non Possevinis vel Mylo-niis, sed ex summi Doctoris & Servatoris nostri Iesu Christi, & Apostolo-rum ipsius scriptis oraculis petimus, & primæ ac sincerioris Ecclesiæ, Apo-stolorum temporibus vicinæ, testimonia adjungimus. Non igitur meæ ora-tionis propositum seu scopum, quem subdole & sycophantice transponit & pervertit; sed larvam â se confictam Possevinus (Allatius) oppugnat, & toties in singulis paginis iterat, asseverat, inculcat, quasi quod per se falsum est, crebro asseverando verum fiat, ac mendacium esse desinat, si constanter idem ac subinde mentiaris. Sed quia Possevinum docte admodum di-cis refutasse impostura & mendacia Chytræi; agedum dispiciamus, annon impostor & mendax sit in summo gradu tuus Possevinus, nobilis Gesneri exscriptor & plagiarius. Primum mendacium est, quod se vo-cavit Nicolaum Mylonium, qui vocari debuisset Ant. Possevinus. Se-cundum mendacium, dum se nominat Theologum Germanum, qui fuit Italus. Tertium mendacium habet in dedic. imposturarum sua-rum ad Seren. Regem Suecorum Johannem III., ubi ori vel calamo aliorum mendaci os quoque & pennam mendacem comodans memo-rat: *quæ dum curantur, ecce affertur nuncius, Chytræum non ita multos post ipsas ab eodem* (nec in præced. nec in seqq. verbis meminit â quo, unde quis novum mendacium subesse suspicari possit) *literas acceptas, vel diem extremum obiisse, vel certe in insaniam versum, ac mente captum fuisse: DEO sane misericordissimo, sed & ipso justissimo, nolente non justi-ficari, qui eo quoque novissimo quasi tempore Chytræum ad se (nî renuisset) revocare sategerat.* hoc scripsit & edidit Possevinus An. 1583. quo ipso adhuc anno Idibus Julii responsionem suam ad Regem dedit, & 17. ad-huc annos supervixit Chytræus. ô mendax os, ô caput insanum, & mente captum Lojolitam! sic olim sæpe mentiti fuerunt Papæi, Lu-therum dira morte obiisse, quin â diabolo abreptum esse, quæ menda-cia Vir DEI ipsemet audivit, legit, refutavit. Talia mendacia etiam sunt, quæ idem Possevinus, Allatio propterea approbatus, Regi Polo-niæ narravit de Republica Genevensium, Edwino Sauti refutata c. 27. de statu & conditione religion. Quartum mendacium, quando idem Possev. responsiones ad Nobilissimi Viri Septentrionalis, ut habet edi-tio Ingolstad. interrogationes, qui de salutis æternæ comparandæ ra-

tione,

tione, ac de vera Ecclesia cupiebat institui, & quas ipse in dedic. lib. contra Chytr. ubi se præstantem virum vocat, viro cuidam Septentrionali, non verò vel Daniæ vel Sueciæ Regi, inscriptas esse attestatur, quando inquam has ipsas responsiones l. 6. suæ Bibliothec. selectæ sub hoc inseruit titulo: *Responsiones ad Regis Septentrionalis interrogationes, qui de salutis æternæ comparandæ ratione, ac de vera Ecclesia cupiebat institui*: cumque in edit. Ingolst. quæ in statura duodecima prodiit, interrogatione 14. diceret: *audi verò B. Augustinum*, in editione, quæ in Bibliotheca selecta extat, ait: *Audi verò ô Rex, B. Augustinum* &c. quis hic non videat impostura Jesuitæ, simpliciores nomine regio decipientis. Potest quidem cœna Domini vocari ἁγία πεοτροφὴ, quintum tamen est mendacium, quod Apostoli in Actis ita vocarint, quod Possevinus in detect. impost. 3. audacter asserit. Sextum mendacium se prodit, quando detect. impost. 5. inquit Socratis historiam â Gregorio M. l. 6. ep. 31. tanquam mendacem reprobatam esse: nam Gregorius Sozomeni tantum facit mentionem, non item Socratis. Mitto alias impostura & mendacia maledicentissimi socii, per citationes scriptorum suppositiorum aliorumq; auctorum, in exiguo libello admissa. Habe igitur nunc tibi tuum Possevinum, testem aliâs contra te, non item contra me idoneum, qui dudum illusus, & illaudatus inter amentes cum libello suo collocatus est & fungos putridos, nihil enim vel sapuit vel sensit, idemque fatum olim opus Allatianum manebit. Verum ad missas privatas. Primum refutationis tuæ caput est, *falso scripsisse Chytræum, Græcos missas absque communicantibus non celebrare*. Possevinus non audet hoc prorsus negare, sed cum crambe priore de patrocinio Græcor. resp.; *non omnes tamen Græcos hoc facere, scil. in Corcyra, Creta, Chio, Mitylenis, Calabria sive magna Græcia, Peræ, qui prope Bizantium est, Sicilia*. Chytræus contra: *Atqui non de Italiæ regione, quam ante Christi nati tempora magnam Græciam nominarunt: non de Sicilia, nunc Hispaniæ Regi: aut insulis paucis Venetæ, aut Genuensi Reip. subditis, vel alioquin Rom. Pontificis Imperium Ecclesiasticum agnoscentibus, sed de interiori & vera Græcia, Turcico Imperatori hoc tempore parente, & Byzantini Patriarchæ inspectioni subjecta, me locutum esse intelligit*. In sequentibus postmodum, tum ex Pontificiis, Jo. Hofmeistero, Erasmo, Cassandro,

sandro, tum ex antiquitate diligenter ostendit, missas solitarias primitivæ Ecclesiæ fuisse incognitas, quod etiam ipse concedit Allatius P. C. p. 1582. p. verò 1183 fatetur, *consuetudinem quidem illam, qua populus quotidie Eucharisticum cibum sumebat, in desuetudinem abiisse, sacerdotes tamen & Clericos Græcorum liturgiam celebrantes, simul communicare, & omnes fere Græcor. missas esse solemnes, & non privatas* p. 1585. 1685. 1251. Jerem. quoq; Patriarcha p. 130. seq. missas privatas quæstus gratia institutas reprobat; In quas profectò convenit illud, quod de Missa sicca censet Allatius: *Missa sicca est, ut tradit Eckius in annot. ad lib. oblatum Cæsari, art. 21. Missæ simulatio, Sacerdote agente, quæ sunt celebrantis, cum Introitu, collecta, epistola, Evangelio & canticis: tamen quia non vult communicare, non consecrat: ac proinde vere Missa sicca est, sine corpore & sanguine Domini, & à plerisq. Theologis, Estio, Eckio, Landmetero, & Episcopis Belgis, tanquam recens, & non ante tempora Guidonis Rocheriani, auctoris Manipuli Curatorum, simulata & histrionica, condemnatur, conferturque cum cœnis Heliogabali, in quibus exhibebantur videnda de diversa materia, quæ ille cœnabat: suos nihilominus & ipsa habuit defensores.* §. 10. diss. de Præsanctif. Pari modo plebi in missis solitariis exhibentur videnda, quæ sacrificulus absumit, quin ipsa cœna Papistica sub una, vere est Missa sicca, salutari quippe potu privata. Sed postquam Chytræum ex mandato Refutatoris satis defendi, in viam me recipio.

Articulus III.

De Clerogamia.

Synopsis.

EXigua inter nos & Græcos differentia, inde verò Allatii & Arcudii comissio. Impuritas â Papa Græcis concessa. Uxorem an dimittere liceat? Chytræus defensus. Ridiculũ est Allatio, quod Reformati insinuant, se in reipsa cum Græcis convenire, licet in Rituali aliquo discrepent.

§. 1. Cur ridiculum est, si fateamur discrepantiam in rituali aliquo, de convenientia in substantiali gloriemur? *propterea est ridiculum, quia vos Pontificiis tam sæpe disconvenientiam in ritualibus objicitis?* si dissensum in illo negotio tantum circa ritualia esse dicimus, nihil peccamus, qui

qui ostendere laboramus, in nonnullis rebus Græcos à Latinis differre in ceremonialibus tantum, in nonnullis verò etiam in substantialibus. Quando igitur Græci in dogmate aliquo circa substantialia nobiscum conveniunt, â vobis utiq; dissentiunt in parte præcipua. Virgines ducunt Græci sacerdotes, etiam pleriq; ex nostris ministris Ecclesiæ, non ex trivio, sed honesto loco natas, ipsi quoque ex honestis parentibus nati. *Ducunt Græci ante consecrationem: vestri etiam post consecrationem.* quid inde? tam is qui ante, quam is qui post ordinationem ducit, eum in finem ducit, ut in statu conjugali vivat. Nemini vestrum ante consecrationem ducere licet uxorem, & postea cum illa in conjugio vivere, quod apud Græcos licet. *Episcopi apud Græcos matrimonium non contrahunt, quod faciunt Episcopi Reformatorum.* Id fit, quando, antequam in presbyterium cooptantur, vitam cœlibem se victuros promiserunt. Admittuntur ad Episcopatum tamen illi, qui aliquando uxorati fuerunt. Quod testatur Metroph. Critopulus, eos quoque, qui aliquando in matrimonio vixerunt, ex usu suæ Ecclesiæ nomine Continentium dignatus. Τὰς ἐπισκόπας ἐκλέγει ἡ ἐκκλησία πάντοτε ἐκ τῆς τάξεως τῶν μοναχῶν, ἤγουν ἐκ παρθένων, ἢ ἐκ σοφρόνων. *Episcopos eligit Ecclesia semper ex ordine monachorum, aut ex virginibus, aut ex continentibus. Et virgines quidem vocamus eos, qui nunquam mulierem quomodocunque cognoverunt. Continentes vero, juxta hodiernam consuetudinem Ecclesiæ dicuntur, qui cum una eaque sola legitima fœmina fuerunt conjuncti.* c. 11. Conf. Verum hoc esse constat etiam ex Arcudio p. 611. seqq. Quod stare potest cum perfectione & puritate muneris sacerdotalis, cur id non etiam stare posset cum officio Episcopali? Eadem amborum est conditio, & quod in uno locum habet, quare non & in altero locum habebit. Qua in re habeo suffragantem, tibi verò sibiq; valide adversantem Arcudium 7, 34. Græcosq; ita reprehendentem: *Vitiosus mos retinendi uxores, & procreandi filios in sacerdotio, etiam in quibusdam angulis Latinæ Ecclesiæ paulatim cœperat serpere. Verum nimia solertia, & mirifica vigilantia summorum Pontificum ac veterum Conciliorum, per multa sæcula factum est, ut istud malum â Latinis tolleretur, & funditus extirparetur. Non tanto studio industriaque, posteriores Græcorum evigilarunt, sed tempore procedente corruperat omnis caro viam suam super terram, ac tandem eo res progressa est, ut volentes Græci & suam consuetudinem tan-*

quam laudabilem commendare, & nihilominus canones Apostolicos, & aliorum conciliorum decreta, ut ipsis videbatur illæsa custodire, ejusmodi commentum excogitarint. nim. presbyteris, diaconis, & subdiaconis per statuta Synodica minime fas esse ducere uxores, sed post susceptos ordines; antea verò adeò licitum esse, ut etiam in sacro ordine constituti, maritorum functionem exercere valeant. Dum verò Patres illi Quinisexti Concilii, & posteriores Græci, incaute permittunt usum matrimonii post susceptos sacros ordines, & prohibent tamen contrahendum matrimonium, parum sibi constare videntur. Siquidem sacramentum matrimonii, non repugnat aliis Sacramentis, nisi ratione actus secundi, & copulæ: item propter incommoda, quæ comitantur hoc Sacramentum, & necessario connexa sunt. Quæ cum Græci post susceptos ordines admittunt, non est cur conjugium (scil. ante susceptos ordines) prohibeant. Arcud. p. 579. *In hoc commento & vanissimo figmento*, ut pag. 564. ab Arcudio vocatur, omne præsidium quæsitæ consensionis collocat Refutator meus: cui cogitandum erit, an non ex mente Arcudii parum sibi constare videatur. Sed ne globum quendam desiderare possit synodice id decernentium, Arcudio querulanti auscultemus: *Patres Synodi, quæ in Trullo habita est circa annum Domini* 700. (execrantur Latini hanc Synodum, Græci in hunc usque diem tanquam Generalem magnifaciunt) *sive in contemtum Romanæ Ecclesiæ, sive quod ex odio in eandem cathedram Apostolicam, male intellexerint canones Apostolicos (excæcat enim plerumque odium mentis oculos) hoc veluti dogma & præceptum Apostolicum statuunt canone 13. nimirum eos, qui ad ordines promovendi sunt, debere omninò retinere uxores, & necessario, si fuerint digni, promovendos esse; in eoque accusant Latinos, & damnant Rom. Ecclesiam, quæ hujusmodi homines ad sacerdotium nunquam admitti passa sit, imò verò & admissos ab uxoribus tamen disjunxerit.* Et hi nihilo tamen secius perpetuò cum Latinis consentire, morem eorum nequaquam damnare, suamq; consuetudinem ex permissu Pontificis se obtinuisse finguntur dicere. Collabitur ex hisce aliud Refutatoris præsidium, quando p. 358. de Syn. Phot. argutatur: *Græci ante Photianum schisma matrimonium suis Sacerdotibus non interdicebant, & tamen unio inter ambas Ecclesias continuabatur.* Verum Synodus quinisexta ante Photianum schisma celebrata fuit, ex qua Arcudius non unio-

unionem quandam, sed grande dissidium, & Romanæ Ecclesiæ condemnationem perspicere potuit; inde colligas, Allatium, qui aliàs magis acutum sibi cernere videtur, quam serpens Epidaurius, hîc iterum λημᾶν καὶ ἀμβλύωπειαν.

§. 2. Sed sive virgines ducantur, sive viduæ, sive ante, sive post ordinationem, in matrimonio tamen hoc est, statu impuro, juxta doctrinam dæmoniaco-Papisticam, vivitur. De permissu Papæ siles. de quo Jesuita Turrianus l. 2. de dogmaticis characteribus, scribit: *cælibatum ordini sacro ἐσωθῶς, hoc est substantialiter & lege divina adjunctum esse, nec esse in potestate Pontificis, nec Ecclesiæ, ut conjugii usum sacerdotibus permittant, non magis quam furandi aut latrocinandi*, citante Chytræo p. 60. contra Possev. Et ne mutire possis, Turriani auctoritatem, quem aliàs de libb. Eccl. Gr. p. 274. *Virum gravissimum* appellas, hîc non attendendam esse, nodum hunc ex collatione Arcudii & Bellarmini arctius adstringam, & indissolubilem reddam. Sic autem Arcudius pro polygamia successiva contra Græcos disputans, p. 545. a. *Si trigamia est fornicatio (quod P. P. nonnulli & Græci asserunt) non potest Ecclesia DEI, ornatissima sponsa Christi, quæ sine ruga est, non habens maculam, ejusmodi peccatum permittere. Quod si permittit, igitur non est fornicatio. Quippe fornicatio non est aliquid ἀδιάφορον, ut possit subire rationem boni & mali, sed si fornicatio est, semper mala est.* Jam Bell. T. 3. l. 1. de Sacr. c. 5. ubi mentitur, se mendacia Chemnitii tam propria, quam ex Luthero & Calvino repetita annotare velle, scribit, *conjugium Sacerdotum solo nomine esse conjugium, re autem ipsa sacrilegam impudicitiam.* Si autem simplex fornicrtio nunquam est adiaphora, sed semper mala, quam ornatissima Christi Sponsa non potest permittere: quanto minus sacrilega impudicitia, adiaphora, aliquando bona, & ab Ecclesia permittenda erit, nisi fortean in potestate Pontificis situm est, rem in se malam in adiaphoram commutare. Eaque sine dubio mens fuit Innocentii & Siricii Paparum, qui dictum Pauli Rom. 8. 8. qui in carne sunt, DEO placere non possunt, ad conjugium accommodant, eosq; *qui de conjugiis propriis sobolem procreent, vocandos esse sectatores libidinum, Præceptores vitiorum* proclamant. P. 1. decret. distinct. 82. hodierni igitur Pontifices prioribus contrarii permittunt, ut Græci in carne, h. e. carnalibus & flam̃is

flammis perennicremis expiandis cupiditatibus vivant, patiuntur esse sectatores libidinum,& vitiorum præceptores, & hinc excidium miserorum mirum quantum promoverunt. Nam Possev.Bibl.Sel.6.21. non veretur scribere; *tota hac re diu perpensa, optimos viros secum credere, non minimam id* (matrimonium sc. Sacerdotum) *fuisse causam, cur Deus orientem hosti Christianæ fidei subjecerit, cum mysteriorum sacrorum, imprimis Sacræ Eucharistiæ tractatio summam in Sacerdotibus castimoniam requirat.* Id quod ex Possev. repetit Thom.â Jesu: *Quamvis Græcis Sacerdotibus â Summis Pontificibus matrimonium sit concessum, adhuc tamen re hâc optime expensa, credendum est, non minimam hanc fuisse causam, cur Deus orientem Christianæ fidei hostibus subjecerit. Nam cum divina mysteria,& præsertim sanctiss. Eucharistiæ tractatio, summam animi puritatem requirat, quæ ut plurimum cum corporis continentia & castitate conjuncta est, non mirum si hæc defecerit in Græcis. quod Deus eos non solum corporalibus suppliciis, sed etiam spiritualibus puniat.* Audacter & impie in statum divinitus consecratum! Ecce verò, Papa, qui errare non potest, in cujus corde omnes thesauri sapientiæ sunt reconditi, rem Græcis istiusmodi concessit, quæ iram divinam in Græcos provocavit? Lumen Propheticum Bellarminus inter notas Ecclesiæ Catholicæ retulit, quod hîc longo temporis tractu abfuisse apparet; monuissent enim alias Prophetæ summos Pontifices, ne permitterent sacerdotibus Græcis usum matrimonii, nisi velint ad excidium eorum cooperari; cumq; eodem Thoma p.302. dicente, *calamitates quibus Græci propter separationem ab Eccles. Rom. exercentur, tàm â summis Pontificibus, quam ab aliis Eccl. Rom. filiis fuerint prævisæ & prænuntiatæ*, quí non præviderunt, se isthac permissione cervicibus Græcor. tanta mala attracturos? Quam laudabiliter igitur adhuc hodie Papa Rom. Græcorum clericis impuritatem permittit: videat proinde, ne isthac sua permissione παιολεθρίαν miserrimis Græcorum reliquis tandem accersat. Verum patiamur adversarios sibimetipsis hâc ratione illudere; quæramus interea, ubi extat Pontif. Rom. permissio Græcis impertita? Arcud.7. 33. eodem utens effugio, cum hoc probare deberet, Nicolai I. responsum in medium affert, quo *Græcos in ea re valde reprehensibiles esse* pronunciat. mens & verba Nicolai clara sunt, quæ quidem Arcudius primo obnubilare studet, sed diffi-

diffidens officiis istis, per aliam rimam sed frustra elabi conatur, inquiens: *Quod si alia est mens & sententia Nicolai, tanquam quæ non ex cathedra sit prolata, minus probanda est.*

§. 3. De dimissione uxorum, honestatis & religionis obtentu, sentimus, illam divino & humano juri adversari. Audi canonem V. Apostolorum: Ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα μὴ ἐκβαλλέτω προφάσει εὐλαβείας, ἐαν ὴ ἐκβάλῃ, ἀφοριζέσθω. Ἐπιμένων δὲ, καθαιρείσθω. *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus suam uxorem non ejiciat occasione vel prætextu religionis. Si vero ejicit, à communione pellatur: persistens, ordine removeatur.* Zonaras in expositione rationem decreti dat: ἔοικε γὰρ εἰς διαβολὴν εἶναι τῶν γάμων, ὡς ἀκαθαρσίαν τῆς μίξεως ἐμποιούσης. τὸν δὲ λιμὸν ἡ γραφὴ λέγει, καὶ τὴν κοίτην ἀμίαντον. *Hoc enim videtur in calumniam fieri nuptiarum, tanquam mixtio conjugum faciat immundiciam. Scriptura verò dicit, Honorabiles nuptias, & impollutum cubile.* Canone Eccles. Univ. 63. decernitur: Εἴ τις διακρίνοιτο, ὡς δὴ πρεσβυτέρα γεγαμηκότος, ὡς μὴ χρῆναι λειτουργήσαντος αὐτῇ προσφορᾶς μεταλαμβάνειν, ἀνάθεμα ἔστω. *Si quis discernit presbyterum conjugatum, quasi non oporteat eo ministrante, ejus oblationi communicare, anathema sit.* Mascula, Sapientissimus Cyrenes Episcopus, Synesius ad Episcopale fastigium evehendus, onus illud à se amoliturus, scribit: ἐμοὶ τοιγαροῦν, ὅ τε θεὸς, ὅ, τε νόμος, ἥ, τε ἱερὰ θεοφίλου χείρ, γυναῖκα ἐπιδέδωκε. προαγορεύω τοῖνυν ἅπασι, καὶ μαρτύρομαι, ὡς ἐγὼ παῦτης ἔτε ἀλλοτριώσομαι καθάπαξ, ἔτε εἰς μοιχὸς αὐτῇ λάθρα συνέσομαι, τὸ μὲν γὰρ ἥκιστα εὐσεβὲς, τὸ μὲν ἥκιστα νόμιμον. ἀλλὰ βουλήσομαι τε καὶ εὔξομαι συχνάμοι πάνυ καὶ χρῆσαι γνήσια παιδία. *Mihi igitur & Deus ipse, & lex, & sacra Theophili manus uxorem dedit. Quare hoc omnibus prædico atque testor, neque me ab ea prorsus sejungi velle, neque adulteri instar cum ea clanculum consuescere. Alterum enim nequaquam pium est, alterum illicitum. Sed hoc utiq; cupiam ac precabor, plurimos mihi & quam optimos esse liberos.* ep. 105. p. 248. Idem fuit animus Staniſlai Orechovii Rutheni sive Roxolani, qui sæculo proxime elapso, relictis partibus Græcorum, ad Pontificios transivit; nihil autem minus sufferre potuit, quam legitima uxore carendum sibi esse, rogavitque Staniſlaum Hosium, ut suam in hâc re causam Tridenti ageret, uti legere est

in

in ipsis Hosii operibus pag. 370. De quo Orichovio hanc narrationem instituit Sim. Starovolscius p. 371. *Secundum Concilium Petricoviense, ejusdem Nicolai Dziergovii, Legati Nati, zelo & pietate A. 1552. indictum. Clerus enim tunc temporis passim in lasciviam prolapsus fuit: unde Stanisl. Orichovius Canonicus Premisliensis, cùm esset sacerdos, uxorem palam desponsare (& ejus exemplo complures alii, itidem prout & ille, eruditi & plebani & canonici) non erubuit; quo petulanti facto severius ab Episcopo suo Io. Dziaduscio admonitus, nec dictis sui Præsulis acquiescens, magnam odiorum nobilitatis contra clerum materiam præbuit: jamq; tum cœlibatus sacerdotum contemtui esse cœpit, quasi aliquod irreligiosum nefas. Coegit itaque Archiepiscopus synodum, in qua remedium tot malis reprimendis prövideretur. Ibi Orechovius declaratus hæreticus, ut ab hac lege se expurgaret, insigni oratione & luculenta coram PP. fidei professionem fecit, & cum aliis libris suis contra Lutherum præceptorem suum, omnesque alios quosvis hæreticos, diversis temporibus scriptis, typis promulgavit.* Vereor, ne falsa scribat Starovolcius. Clerus enim Græcus matrimonia contrahit, non Præceptore Luthero, sed universa Ecclesia Græca ante Luthe-rum eadem approbante. Orichovius etiam iste, licet à Græcis (non à Lutheranis) ad Latinos abiret, uxorem retinuit, & An. 1563. adeoque post annos à celebrata Synodo undecim, in favorem uxoris & liberorum ad Card. Hosium scripsit. Neque is solus tùm temporis hoc petiit, sed Legati Ruthenorum, qui seculo proxime antegresso unionem procurare debebant, etiam postulant, *ut Matrimonia sacerdotalia integra consistent exceptis bigamis:* Ἄνευρον certe & impia est hujusmodi conjugii rescissio, quam, quomodo in Episcopis defendere adversus Allatium velint, ipsi videant, nostri interim sunt, quod sacerdotes, qui sacris haud minus quam Episcopi operantur, propter usum conjugii non pronunciant inhonestos & impuros, ut fit in impuro Papatu: nec plus requisiverat Chytræus, de quo Allatius malignè quærit: *An monachorum cœlibatum maligne prætermisit, quibus in ea Ecclesia nuptiæ penitus prohibentur?* nisi malus esset Allatius, nodum hîc in scirpo non quæreret. quis bonus ita colligit, Chytræus duobus vocabulis refert: *Græcos solis monogamis concedere, ut sacerdotio fungantur*, E. monachorum cœlibatum

tum maligne prætermisit? nisi oculus malignus vel nequam esset, vidisset p. 13. *sacerdotes & monachos* à Chytræo nominari.

Artic. IV.

NEc omittenda gravissima inter Græcos & Latinos controversia, de *Insolubilitate Matrimonii*; de qua Allatius in refutatione nihil dicit, sed acturum se promittit in Exercitationibus suis adversus Creygthonum & Syropulum in Historia Concilii Florentini: Quam historiam cum exercitationibus adhuc expectamus. Vereor, ut in manus nostras perveniant, quia scripta Allatii & totius congregationis ad eos tantùm mittuntur quibus non datum est nostra conferre, nobis verò copia eorundem fieri non potest, vel admodum difficulter: ridicula igitur est ostentatio, quam catalogus operum Allatianorum typis congregationis excusorum exhibet, cum diro decreto prohibitum sit, eadem cum exteris communicare, quod ad Doctissimum virum, & Amicorum commodis apprime natum Theoph. Spizelium, nuperrime ex Italia fuit perscriptum. Sed impleat promissa; neque enim promissionem ipsius exagitabo, quemadmodum ipse non semel fecit, sed gratias eidem quoque agam, si tomos Græciæ orthodoxæ & impressos jam, & promissos à Franc. de Combefis in epist. ad Allat. diatr. de Simeon. script. præfixa, aliosque Doctissimi ingenii fœtus, ad nos exire patiatur.

Articulus V.

De Purgatorio.

Synopsis.

PUrgatorii negatio astruitur ex auctoribus probatis, duabus imprimis Synodis, Cyrilli Berrhoensis & Parthenii, in qua posteriori interpres Latinus de mala fide revincitur. Ad Refutationem Refutationis acceditur. Disquisitio de auctore Apologiæ Græcorum de purgatorio, in qua plurimis & invictis argumentis demonstratur, Allatium turpissima hariolatione deceptum esse. Disputatur de consequentiis

Allatianis. An Græci Origenis errorem sequantur, ubi etiam consequentiis satisfaciunt Græci. Vindicatur Conringius iterum, & fraudulentia Allatii detegitur. De missis privatis innocentia Chytræi asseritur, & Allatii contradictio notatur. Concluditur controversia de Purgatorio.

§. 1. Probaveram meam assertionem ex tract. Græcorum contra Latinos, ex Caleca, ex Gabriel. Philadelph. Cores. Bryennio, Episcopo Roffensi, Goare, Allatio, Gerlachio, Crusio, Angelo: concesserunt id hactenus omnes, quotquot in Papatu, in extructione & reparatione purgatorii fuerunt occupati, ut adeò contra Græcos recentiores arma scriptoria expediverint non pauci ex Latinis, istis tamen ictus omnes excipientibus, & plagas plagis compensantibus. Hoc minus candide dissimulare videtur All: quando in frontispicio diss. de purg. hæc collocat: *In dogmate de purgatorio inter Græcos & Latinos haud congruere, multi ex heterodoxis probare conati sunt, & nunc etiam nostra ætate conantur.* E. etiam Goar, Allatius ipse, Caleca, Roffensis, alii innumeri, Allatio sunt heterodoxi? §. 2. Adjiciemus tamen in gratiam veritatis adhuc alios. Pugnare aliâs solet Allatius contra Calvinistas, auctoritate decretorum sub Berrhoensi & Parthenio An. 1639. 1642. editorum, in quibus dogmata Cyrilli Lucaris Calviniana proscribuntur, inter quæ ultimum occupat locum, rejectio purgatorii; *Credimus*, inquit Lucaris, *defunctorum animas esse vel in beatitudine, vel in damnatione, prout quisq; gesserit, migrantes enim ex corporibus, illicò ad Christum vel in infernum migrare, quia, qualis unusquisq; in morte invenitur, talis judicatur, post hanc vitam nulla est facultas resipiscentiæ, in hac vita tempus est gratiæ; ideò qui hic justificantur, nullam amplius post hac subibunt pœnam, qui autem non justificati nominantur, in pœnas destinantur æternas. Ex quo patet commentum de purgatorio, non esse admittendum, sed in veritate statuendum, unumquemq; debere in hoc seculo resipiscere, remissionemq; peccatorum per dominum nostrum Jesum Christum impetrare, Si salvus esse voluerit.* Quid hic Cyrillus Berrhoensis Papista quidem animo, non tamen ausus Papistarum sententiam clare proferre, cum globo Episcoporum & Sacerdotum decernit? num astruit contra Cyrillum Lucarim purgatorium? non sane. damnat aliquid in hoc capite, sed non totum

totum caput. Verba sunt: *Cyrillo dogmatizanti & credenti occulte quodammodo in 18. ejus cap. post mortem iis, qui in fine pio & in pœnitentia dormierunt, non prodesse Eleemosynas, quæ à familiaribus fiunt, & Ecclesiæ preces pro ipsis; ut nempe justis quidem perfectam fruitionem, peccatoribus perfectam damnationem consecutis, & etiam commune futurum in extrema horrendo die judicium & retributionem destruenti; quod alienum à scripturis, à Deo afflatis, atque à nimis concordi Theologorum doctrina, anathema.* Ex his colligas licet, hoc anathemate damnari illud tantum, quod Lucaris occultè insinuare voluit; huncq; errorem in duplici esse differentia, subindicat Berrhoensis, primò quod preces & Eleemosynas defunctis nihil prodesse; justos deinde perfectam beatitudinem, impios vero completam damnationem jam assecutos esse statuat. Rejectio autem purgatorii non occultè sed clarè facta, nec improbatur, nec preces & Eleemosynas, animabus in purgatorio laborantibus prodesse asseritur. Consonat huic decreto illud alterum à Parthenio sancitum: Ἔσχατον δὲ πάντων ἐπὶ προφάσει δῆθεν τοῦ καταβαλεῖν τὸ καθαρτήριον πῦρ, τὰς νενομισμένας, ἡμῖν ἐπὶ τοῖς ἀποιχομένοις μνείας ἐκβαλεῖν, κατεπείγεται, δι' ὧν ἐλπίζομεν ἄνεσιν αὐτοῖς, καὶ ἀναψυχὴν παρὰ Θεοῦ παραπέμπεσθαι τῶν κατεχόντων αὐτοὺς ἀνιαρῶν. *Postremum vero omnium, ut prætextum videlicet quærat rejiciendi ignis purgatorii, id agit, ut repudiet solennes nobis & legitimas pro defunctis commemorationes, per quas speramus requiem iis, & respirationem ab acerbitatibus, quæ illos premunt à DEO esse concedendam.* Suspicari posset aliquis, agnosci hic purgatorium, tum verbis apertis, tum per liquidam consequentiam. Verum de eo mox dispiciemus, utrum respiratio ab acerbitatibus de sublevatione animarum in purgatorio ex Mente Græcorum intelligenda veniat, an vero res secus sese habeat. Clarius ipsa verba videntur indicare, Parthenium reprehendere Lucarim, quod per prætextum aliquem, rejicere voluerit ignem purgatorium, hunc enim versio Latina suppeditat sensum: propterea Lucaris rejicit solennes pro defunctis comemorationes, ut prætextum habeat ipsum ignem purgatorium, qualem nos omninò credimus, rejiciendi. hîc vero appello fidem tuam Allati, & omnium Græcè doctorum, annon hic interpres, quicunq; tandem sit, imponere voluerit iis, qui græca non legunt, & rem infuscare, animumq; lectoris à veri-

tate avertere, nam ἐπὶ προφάσει, non significat id quod interpres ipse vult, sed ita debet verti: postremum vero omnium, sub prætextu rejiciendi ignem purgatorium solennes com̃emorationes repudiat, h. e. fert quidem præ se, quasi purgatorium tantùm rejiciat, sed sub illa σκέψει solennes etiam pro defunctis commemorationes repudiat. Novo hic exemplo discere possumus, quam facilè decipiantur ii, qui versionibus fidunt; solenne id est Pontificiis, ut versiones vel suis adaptent opinionibus, vel interpretationibus fide haud bona confectis nitantur. Hinc ipse Petavius prologo Galeato in T. 1. Th. dogm. scribit: *Quod ad græcos attinet, eorum verba majori ex parte latinè ipsi sumus interpretati: quod complures locos illorum & sententias minus fideliter in Latinum translatos, fraudi fuisse sciremus eruditis de Schola Theologis: ut ex iis placida quædam eorum & dogmata conficerent, ab ipsorum mente prorsus aliena.*

§. 2. Placet tamen Allatio hic quoque perpetuum consensum fingere. Si quæras, quomodo eundem demonstret, audias ex ipso; Græcos istiusmodi tenere hypotheses, ex quibus cogantur purgatorias flammas experiri. Sed cur totiens legem, quam ipse fixisti, refigis? Non disputatur inter me & te, quid colligere, vel quorsum adigere possis græcos tuos, sed quid illi pleno ore buccinent, & publicè profiteantur: jam vero pleno ore ebuccinant, se nescire purgatorium aliquod esse: ipsorum igitur negatio omninò præponderare debet tuæ collectioni. Sed refutatorem sequemur in refutando, licet hoc labore ferè supersedere possemus, vix enim aliquid supererit, quod in ipsa exercitatione nostra non jam fuerit solvendo præoccupatum. Verba nostra quæ citat Allatius, imperfectè nimis & sine sensu, forsan ex incuria typographi Romani sunt expressa; sic enim sonant: *Purgatorii negatio, quod apparet ex Concilio Florentino ex tractatu Græcorum edito Allatius hariolatur. Quam vero in sua hariolatione eruditus Vir hallucinetur, haud difficulter monstrari aliquando poterit. Expecto demonstrationem.* Verba hæc nullum præbent integrum sensum, corrigenda igitur & supplenda ex disputatione, hunc in modum: Purgatorii negatio V. est dogma, quod Romani in Lutheranis & per horum latus in Græcis damnant, quod apparet ex historia Conc. Florent. ex tractatu Græcorum cum Libellis Nili, olim inter ortho-

orthodoxagrapha sub inscript. Apol. Græc. Bas. Concilio exhibita, edito. Allatius hariolatur desumtum esse ex penu hæreticorum, quos vocat Lutheranorum, quam vero in sua hariolatione, &c. Et sic jam sensus est integer. Demonstrabo igitur deceptum fuisse Allatium in sua hariolatione, librumq; istum, non compositum esse ab aliquo Lutherano.

§. 3. Librum illum dicit Allatius tractatu de purgatorio c. 33. *è penu hæreticorum esse desumtum concinnatumq;, eo tempore, quo Lutherani de Ecclesia Græca sese benè mereri existimabant, cum illam conarentur defendere, adversus Romanam Ecclesiam & una cum ea σύσσωμοι fieri procurabant*, putatque, *è Latina ut plurimum in L. Græcam conversum.* Nonne hoc est hariolari, dum putas esse ex Latina in Linguam Græcam conversum? quid vero est illud, ut plurimum? innuere videris ex parte esse conversum è Latina in Græcam Linguam, ex parte non conversum, hæc sanè vertiginosi hominis phantasmata mera sunt. Sed ex te ipso tam manifestè mendacii te revincam, ut ipsa impudentia nihil sit habitura quod obvertat. Dicis libellum istum, à Lutheranis eo tempore concinnatum, quo procuraverint, ut corpori Ecclesiæ Græcæ agglutinentur; jam verò secundum te (in illa quidem assertione etiam falsiloquum, quod infra ostendetur, sed magnam contra temetipsum testem) Lutherani istiusmodi quid procurarunt diu post editum istum libellum: Dum enim in P. C. 3, 8. 2. dentes tuos in nostros stringis, inter cætera hæc profers: *Pertentarunt sæpiùs occidentales hæretici Græcorum animos maximis pollicitationibus allicere ad proprias hæreses; Confessionem propriam in Linguam Græcam versam mittere Patriarchis & aliis conati sunt; sed inani labore. Primus, qui id conaretur fuit Phil. Melanchthon, qui Augustanæ Confessionis Græcè à Paulo Dolscio Plavensi conversæ, exemplum ad Josaphatum Patriarcham Constantinopolit. A. 1559. per Demetrium Mysum Diaconum ejusdem Ecclesiæ misit. Irrita Melanchthonis studia promoverunt postea Mart. Crusius & Jacob. Andreæ; qui ejusdem Confessionis aliud exemplum A. 1574. ad Ierem. Patriarch. miserunt.* Nunc attendamus quo anno libellus Græcan. stylo Latino donatus fuerit; est is annus 1545. quam spissè igitur errat Allatius Chronologus & Chronologorum acris censor (edidit enim etiam tract. de mensura

sura temporum) fingens, Lutheranos A.1559. vel 1574. confinxisse librum, qui Heidelbergæ A.1545. à Johanne Hartungo jam erat conversus, & in publicum emissus: qui in dedicatione memorat, *exemplar suum perperam fuisse descriptum, ut necesse habuerint Phorcemi Archetypum consulere.* Et nisi Bibliothecæ Pfortzheimensis pars maxima in funesto superiori bello Germanico, à Capuccinis invito Domino, Weilerstapium fuisset ablata, ibique in expugnatione flammis consumta, amicorum gratia ipsum archetypon mihi quoque consulere licuisset. Sed tempus editionis Hartungianæ, cujus Allatius, figmentorum suorum parum memor, ipse mentionem facit, Criminationem illam fortissimè à nobis depellit. Non tamen sine ratione insanire cupit Allatius, ideoq; aliquam subnectit: *Nemo siquidem Græcorum adeò impudenter rem pertractasset, qui & Auctoritatem SS. PP. demisse venerantur, & eorum dicta velut eloquia divina osculantur, & cum de iis agunt cum omni reverentia, nomina eorum inscriptis referunt. At is, quisquis sit Auctor, testimonia PP. contemnit, dicta pessime calumniatur, & eos hæreseos nota non veretur infamare. Et, quod magis est, ad solam sacram scripturam rejectis PP. scriptis, provocat. Unde haud immeritò non nemo suspicatus est, non aliam esse quam Orationem illam, quæ visa à M. Crusio pag. 186. nimirum responsum græcorum ad positionem Latinorum, opinionem ignis purgatorii fundantium & probantium, quod lectum & datum fuit Rever. & Rev. PP. ac Dnn. Deputatis die Sabbati XIII. d. mens. Jun. 1438. in Sacristia FF. Minorum Basileæ præsentatum Nic. Cusano.* Quam me miseret tui, Allati inconsideratissime, ceu petauro enim excussus, ex animis concides. Disputabo igitur tecum ad hominem iterum ex tuis scriptis primo, deinde ad rem accessurus sum ipsam. Græci quibus nos scriptum illud assignamus fuerunt schismatici, qui *audacia, atque omnia tentandi libidine vetera antiquorum PP. monumenta, novis suis deliramentis inspergere, temeratas manus, in intemeratos Ecclesiæ ritus imponere, sententias PP. à quibus se cernunt manifeste constringi, corrumpere, vel fanaticis, vesanis, ridendis interpretationibus exponere,* ex ore tuo diss. de libb. Eccl. Gr. p.139. seq. 229. seq. de P.C. pag.891. *non Erubescunt*, ipsamq; unionem domum reversi mox resciderunt, tales cùm sint schismatici, cur incredibile est Leoni, eos tam impudenter rem non fu-

isse

isse tractaturos. Verum absit ut Auctori istius Apologiæ, quisquis etiam fuerit, hos impunè ab Allatio patiamur infringi colaphos, quin audacter Refutatori nostro in os dicimus, videri nobis ab ipso omnem veritatis amorem esse ejuratum. Volvi, revolvi libellum, inquirens ubi nam dicta PP. calumnietur, eosque hæreseos nota infamet, ubi ad solam scripturam rejectis Patribus provocet, ubi in perexiguo & vix septem pagellarum tractatulo, *Sexcenta alia* (ut dicit Allatius) *occurrant, quæ nec acerrimi Latinorum hostes scripto notare fuissent ausi*, nihil simile invenire potui, sed contraria omnia. *Pergamus*, inquit Apologiæ auctor, *ad locum pervulgatum D. Pauli, excutiamusq; maximè vero divinis explicationibus nostrorum doctorum innixi*, μαλιστα μὲν ταῖς τῶν διδασκάλων ἀκολουθοῦντες ἐξεγήσεστι τε καὶ Θεωρίαις τῶν ἡμετέρων. Subjungitur explicatio Chrysostomi in 1. Cor. 3. ab Apostolo Paulo, vel ipso DEO, referente Proclo accepta, quam hac coronide coronat: οὕτω μὲν οὖν οὗτος ἐξεδέξατο ῥητὸν τοῦτο, οὕτω δὴ καὶ τῶν διδασκάλων οἱ πλείους οἷς οὐ χρειὸν ἀπιστεῖν. *Atque hoc modo dictum D. Pauli intellexit ille: Hoc modo plerique doctorum, quibus non decet fidem derogare.* Iterum ubi ait, *Doctores variare in expositionibus Scripturæ, neque omnes exactum assequi sensum, æquum esse* censet, *principaliores & dogmatibus Ecclesiasticis maxime consonas eligere.* S. Augustinum, Beatum vocat, nec sine honorifica ejus mentione ab ipso discedit, dicendo, *non versa vel lecta esse sibi opera S. Viri, præterquam libros de Trinitate; videriq; Augustinum aliquibus difficultatibus involutum, purgatorium non contentiosè astruxisse, sed indulsisse. Græcos PP. insuper sermonem & sensum Apostoli Græcum melius intelligere potuisse quam Latinos, Augustinum, B. Ambrosium & B. Gregorium.* in Gregorio Nysseno hæret, *cujus sententiam Origenicæ opinioni affinem esse putat*, tandem vero sanctum virum excusat propterea, quod *illa assumenta sint supposititia*, qua ipsissima responsione in defendendo Nysseno Allatius utitur. Dic mihi nunc quisquis es, an hoc sit PP. rejicere, testimonia eorum contemnere, hæreseos nota infamare? At vero dicit etiam, *Nyssenum hominem fuisse, ab homine autem quantumvis sancto, errare non esse alienum, præsertim in istis, ubi res nondum est in concilio definita?* Verùm optimè novit Allatius, Romanenses sæpissimè ita respondere: PP. fuerunt homines; potuerunt errare; controversia

sia nondum erat definita. Immo teipsum quem nunc actorem experiuntur, patronum habebunt Græci, sic enim Tu de Libb. Eccl. post rejectas & explosas PP. quorundam de prædicatione Christi apud inferos sententias, constituis; *Patres multa dixere & monumentis editis fassi sunt, quæ cum recta Ecclesiæ norma non conveniunt. Non enim S. Scriptura sunt, quæ omninò est infallibilis, & sempiternæ veritatis, in quo à dictis PP. differt.* p. 313. Insignis hominis Pontificii confessio, quæ quomodo cum aliis Papæorum dictis, & præsertim cum hoc Allatii effato: *majus crimen esse ad solam scripturam provocare, quam PP. hæreseos nota infamare*, stare possit, ipse non intelligo. Quid? Quod græci non audent facere, id facit Allatius. Insignem Ecclesiæ Patrem Clementem Alexandrinum nota hæreseos haud obscurè infamat, quando libro appellato pag. 267. scribit: *Clementis Alexandrini, si præter aliorum SS. mentem & Ecclesiæ decreta loquatur, auctoritas nulla est, scatet enim ubiq; erroribus.* Interim novum argumentum ex interpretatione loci Paulini Chrysostomiana in apologia Græcorum approbata & magnificè dilaudata, desumimus, non potuisse libellum isthunc à nostratibus conscribi, quia Græci dictum Apostoli de igne sempiterno impios cum operibus suis combusturo accipiunt, quæ interpretatio à Nostratium expositione est alienissima, nedum ut statuerint & confinxerint, Paulum, ut ibi habetur, à Chrysostomo multis precibus in adjutorium fuisse invocatum. Et ut magis eluceſcat, sensum loci Paulini solorum esse Græcorum minimè vero Lutheranorum, Fratres Prædicatores, qui Anno 1252. tractatum suum ediderunt, testimonium rogabimus: *Græci* (inquiunt in probatione purgat. p. 567.) *nobis veritatem, quam tenent & ignorant, prædicantibus quasi falsariis scripturarum, & nova inaudita dogmatizantibus contradicere non verentur. Alii vero obducto supercilio grandia verba trutinantes, Authoritatem Apostoli ad Corinthios repugnantem pro se exponere conantur. Dicunt enim: fundamentum aliud ponere nemo potest, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus, fundamentum unum est ille lapis angularis Christus. Aurum, Argentum, Lapides pretiosi, sunt Evangelica præcepta. Super illud fundamentum conati sunt malitiosi sectatores, hæresiarchæ, omnem materiam pravæ doctrinæ superinducere. Sed veniet secundus Domini Adventus sive apparitio: & inutilia*

inutilia quædam ædificationis opera cæterorum doctorum cum detrimento consumentur, sive comburentur. Ipsi autem sic salvi erunt, quasi per ignem inextinguibilem scilicet. Salvabitur E. talis, sanabitur, servabitur, per ignem, sicut Adamas, qui nunquam consumitur per ignem. Sic & ipsi hæretici, & malitiosi sectatores salvabuntur, i.e. conservabuntur, non ad purgandum, sed cruciatus æternos sustinendos. Hæc est, inquiunt Græci, expositio bona, vera, & hic sensus Authorum. Videri, ante annos 400. & amplius hæc fuit Græcorum illius dicti interpretatio, à Lutheranis nunquam admissæ. Et tu, tam audens es, ut inconsideratissime effutias, hæc esse à Lutheranis noviter conficta? ubi nunc frons tua Allati? quod si vero FF. Prædicatores contemnis, sicuti etiam præ te uno omnes despicere soles Pontificios tibi non adstipulantes, testimonium contra te, quod nullo poteris repudiare modo, petam ex Sess. 1. Conc. Flor. & Ferrar. T. 4. Concil. Sev. Binii pag. 412. b. ubi Græci in pleno consessu has voces emittunt: *Paulus ad Corinthios scribens, si quis autem superædificat supra fundamentum hoc aurum &c. hominum vitam & opera intellexit, videlicet, an pravæ studiosæve sint, ita, ut cujus opera in igne combusta permanserint, is bonus censeatur, de operum suorum Mercedem accipiat: cujus autem opus arserit, i.e. cujus opera frivola fuerint combusta, ipse detrimentum patietur, hoc est damnabitur, & salvus erit, sic tamen quasi per ignem, i.e. in igne semper salvabitur, in eo luens pœnas æternas, ita, ut ignis ipse de quo Paulus loquitur, non purgatorius, verum æternum supplicium sit, de quo etiam inquit Evangelista, discedite à me maledicti in ignem æternum.* Sic Græci in Conventu Ferrariæ habito, cui an Lutherani interesse, vel eidem ova subventanea supponere potuerint, expedire fortassis poterunt ii, qui de mensura temporum scripserunt. Porrò credis, *haud immeritò non neminem fuisse suspicatum, Apologiam istam non aliam esse, quam Orationem à Crusio visam.* Eam autem vidit Crusius loco à te citato, in manuscripto quodam Capnionis libro: Jam v. Jo. Capnio An. 1522. obiit, & bibliothecæ suæ partem Patriæ Pfortzhemio legavit. haud immeritò igitur, non suspicor modo, sed firmissimè credo, Lutheranos, cum Unionem Græcorum, procurare vellent, libros Capnionis MSS. non potuisse concinnare. Et uti ne quidem hiscere amplius audeas, ecce locum ex Apo-

logia Græcorum à Capnione l. 2. de arte Cabal. fol. XXXII. cit. Agitur ibi de vera salute, veroq; salvatore, contra Philolaum Pythagoræum, ostenditurq; Ethnicorum sic dictos Salvatores, veram salutem, h.e. incorruptionem, æternitatem & insolubilem rebus transitoriis permanentiam, humano generi conferre minimè potuisse, sed solius id esse summi Rectoris: definitio vero hæc veræ salutis probatur ibi ex Aristotele & Platone, dicituq;: *Ecce non tantum Peripateticis, sed etiam Platone ipso & Platonicis testatum recipimus, sola DEI voluntate permanentiam concedi rebus quibuslibet pro captu suo, & hæc est vera salus, nam salvari dicimus, à læsione servari, ut res tranquille permaneant. Quod unanimi consensu Græcorum, quondam magnifici & ornatissimi legati An. à Nativ. Jesu 1438. universali Concilio Basileensi illustri quadam & disertissima Oratione exposuerunt his verbis dicentes:* Τὸ γὰρ σωθῆναι καὶ σώζεσθαι καὶ ἡ σωτηρία ἁπλῶς ἄδειν ἄλλο παρ' ἡμῖν ἕλλησι, ἢ τῇ ἡμέτερᾳ βέλτιον γλώττῃ, ἢ τὸ διαμένειν εἶναι. i. e. *Ipsum autem salvare & ipsa salus simpliciter nihil aliud apud Græcos & in nostra vult lingua, quam permanere & esse.* Hæc sunt ipsissima apologiæ verba, quæ Capnio in ea legit: jam vero liber iste Reuchlini de arte Cab. impressus Hagenoviæ Anno 1517. mense Martio quo tempore ne unus quidem sic vocitatus Lutheranus, qui hanc Orationem ad conciliandos animos Græcorum conscribere potuisset, in toto orbe reperiebatur. *Multa vero tunc ab hæreticis conficta* (occinit Allatius, mirus & vanus fingendi artifex) *& Græcè publicata, alias fusissime demonstravi.* pro, fusissime, scribendum: falsissime. *Quemadmodum & postea, & potissimum hoc infelicissimo Græciæ tempore, quo non veriti sunt publicis typis mandare & confessionem & anathematismos Cyrilli Lucaris, & Zachariæ Gergani catechesin, pestilentissima scripta; quæ, vix dum nata, ab iisdem Græcis, veræ pietatis cultoribus, scriptis doctissimis suffocatæ sunt.* De Cyrillo Lucari supra actum est. Anne Parthenius, Romanorum inimicus, qui in Lucari confessionem de processione Spir. S. ex Filio condemnavit, est veræ pietatis cultor? Zach. Gergani, Episcopi Artensis Græci catechesin Lutheranam tuus refutavit Caryophilus, nullo apud Græcos honore conspicuus, nescio autem an etiam suffocaverit. Et ita quidem sufficienter comprobavimus: apolog. Græcorum non esse fœtum Lutheranorum; reliqua, quæ disputat

contra

contra Cl. Conringium, an libellus à Græcis, qui Florentino Concilio interfuerunt, profectus, & ab ipso Marco Ephesio compositus fuerit, in promisso libelli tui examine fortassis ipse discutiet; nos, licet in proclivi esset aliquid ea de re pronunciare, falcem in alienam messem non immittimus. Hoc interim historia Concilii Flor. à Sguropulo, qui interfuit, scripta, Sect. 5, c. 13. seqq. diserte testatur, compositos fuisse à Græcis, præcipue à Marco Ephesiorum Antistite, libellos de igne purgatorio, & Latinis transmissos, illaque paucula, quæ c. 18. de sententia Gregorii Nysseni & Basilii, deque interpretamentis textus Apostolici variis commemorat, non levem ingerere possunt conjecturam, apologiam hanc illo fuisse scriptam tempore, licet inscriptio variet. Famæ igitur suæ rectius consuluisset tantus scriptorum omnium Censor & Aristarchus, si cum Stevartio, ad Calecam p. 359. Græcis indefinite, vel cum Arcudio, Barlaamo, vel alii cuidam, hanc apologiam restituisset, quàm quod ex ἀμετρία τῆς ἀνθολκῆς, nimis audacter & petulanter nostrates ejus reos agere voluit criminis, in quo Pontificii totiens sunt deprehensi. Quinam enim indices expurgatorios ediderunt? quinam loca PP. corruperunt, mutilarunt, truncarunt? quinam spurios fœtus pro genuinis supponere solent? quinam nothos istiusmodi scriptores frequentius citant & laudant? quinam Euchologia expurganda, loca in iis expungenda, immutanda, suadent? Pontificii sunt, qui se horum criminum convictos esse norunt, & tamen sua nobis probra objectare non verentur. Tempus nunc est, ad verba nostræ Exercitationis ab Allatio proposita recurrendi.

§. 4. Illis vero (Caleca, Roffensi &c.) inconstantior Allatius, apud quem ex Gabriele Philadelphiensi, Josepho Bryennio, Georg. Coresio, videre est, Græcos istos à flam̃is ustulatoriis tantopere abhorrere, ut malint in perniciosissim. & origenicum errorem incidere. *Res bene se habet, quod fateris nonnullos schismaticos & hæreticos purgatorium negasse inter hos fuerunt & sunt adhuc hodie, Patriarchæ, Episc. Doctor. Eccl. Græc. qui, quia negant hæretici sunt, & ꝑ hoc à vobis dissident.* Neq; vero pauculi quidam ita sentiunt, sed ut in exercitat. indicavi, cum doctorib. suis promiscua plebs & integræ Ecclesiæ, quicquid sit de noñullis, qui in gratiam lati-

latinorum contrarium scribunt. Quod vero dicis te evidentissime probare, fatendum esse Græcis, esse purgatorium ex eo fundamento, quia pro demortuis quibusdam orent, id mihi nullo modo officit, qui totiens jam in memoriam tibi redegerim latam à te legem, nostrum non esse anxiè quærere, quid Græci teneantur credere, si opiniones suas salvare velint, sed quid publicè profiteantur, & clamitant & scriptitent, videlicet, non esse purgatorium, res igitur est confecta. Si dicas, firmissima tamen id ego argumentatione probabo ex vestris inter preces effatis, necessariò sequi vel elici purgatorium: illi clamitabunt contra; negamus sequi, quin nec curamus, quid tu elicias contra nos, qui assa tantum fide credimus nullibi extare purgatorium, quale Pontificii fabricaverunt.

§. 5. De cætero nunquam scripsi Græcos verbis claris amplexari Errorem Origenis, sed ex verbis tuis probè intellectis rectissimè collegi, eos malle in hunc errorem incidere, quam purgatorium affirmare, id quod contra te obtinendum erat. Audi teipsum. (Diss. 2. de libb. Eccl. pag. 333.) *Cum Communi PP. sententia viderent suffragia pro mortuis, & necessaria esse in Ecclesia, neque frustra à Christianis fieri, quando ea in emolumentum animarum vertantur, quas à pœnis liberant, Et hoc negare, esset universa SS. PP. monumenta de medio tollere, ne cogerentur ex una parte purgatorium fateri, à quo animæ piis operibus extrahuntur, in perniciosiorem sententiam versi sunt, ut dicerent, illas animas illis operibus, non à purgatoriis pœnis, sed inferni liberari, quo quid dici potest immaniùs? quid à Patrum & Conciliorum doctrina magis alienum? Ne purgatorium fateri compellaris, cruciatus omnes æternos, & æternitati supparestollis, & inextinctum illum ignem temerè satis & contra Ecclesiæ Decreta extinguis, eodemq; momento errorem de reparatione dæmonum renovas, & à faucibus orci, in quibus tam diu damnatus inhæserat, inter vivos restituis.* Quod si igitur etiam scripsissem, Græcos amplexari potius errorem Origenis, quam errorem Pontificiorum, non male id scripsissem: si enim, juxta sermonem tuum, versi sunt in perniciosiorem hanc sententiam, & errorem Origenis restituunt, ejusdem utique hæresin amplexantur. Veriissime igitur ex tuis verbis collegi, tantum abesse, ut purgatorium concedant, ut tua opinione malint in illud alterum

rum origenicum commentum prolabi. Si vero tibi noluisses contrarius videri, in opusculo tuo de purgatorio ponere debuisses; verbis quidem condemnant errorem Origenis, sed, si purgatorium negant, eundemmet fovent, vel fovere coguntur. Verum negabunt Græci, te evidentissime id probasse, ad majorem tuam respondendo: Quicunque dicunt animas, & quidem promiscuè omnes, etiam illas, qui in peccato mortali excesserunt, una cum dæmonibus post pronunciatam in judicio illo extremo & universali sententiam, adhuc ex inferno, cujus longa quidem, sed non infinita sit duratio, liberari posse, illi hæresin Origenis tuentur, majore sic limitata, minorem mox negabunt, inquientes, theatro nondum clauso, misericordiam sperandam esse asserimus animabus, quæ in claustro infernali fuerunt detentæ. Non fingo hæc, sed Philadelphiensis tibi citatus id dicit: (Diss. de ll. Eccl. p. 334.) *Cum adhæc usque tempora sententia postrema atque universalis in peccatores lata non est, infernus invenitur reseratus, & infinita DEI misericordia ad miserendum parata. Quapropter animæ non tantum ob effusas pro illis ad Deum preces remissionem accipiunt & Consolationem, sed absolutam libertatem, & liberationem à pœnis.* Neque contenti sunt ita respondere, sed addunt, quod majus est, ignem purgatorium propterea quoq; non esse concedendum, ne in errorem Origenis prolabamur. Auctor Græcus in Apol. Græcorum de purgat. apud All. diss. p. 134. *Si vero nunc noviter*, ait, *temporarium etiam vocaverimus ignem: verendum est, ne fideles hunc existimantes æternum, etiam omnem jam talem esse ignem putent; atque hinc in Origenis errorem prolabantur, æterniq; supplicii memoriam animis suis excutiant finem pœnæ statuentes.* Et Georg. Corcyrensis Metropolita. syntagm. contra Latinos de purg. *Sed ô admirande, ego inquam, qui ita sentis, & ita doces, Origenista plane mihi esse videris.* Sunt quidem secundum Græcos mortuorum tria genera, sed non itidem tria nominatim distincta loca, quorsum secundum Græcos commigrent. Bryennius etiam tibi citatus, cum dubium proposuisset, quonam in loco nunc temporis animæ sanctorum degant, respondet: (Diss. cit. p. 137. it. 340.) *De mortuorum animis duo loca in quibus degunt assignata sunt, sanctorum quidem cœlum, peccatoribus terræ centrum, infernus scilicet. Differunt tamen in hoc, quod animæ sanctorum libertate potiun-*

tiuntur, quando & mundum Vniversum & Edem deliciarum, loca pro sede habent. At quæ in inferno permanere animæ condemnatæ sunt, inde egredi ad judicii diem, & luminis vel alterius consolationis participes fieri præpediuntur, non, quod antequam in judicium adducuntur pœnas subeant, nam, neque ante judicium, æternis illis bonis perfruuntur, neque peccatores indesinentibus cruciatibus addicuntur, sed quod in obscura custodia mancipati, crudeles, efferatos, ac immisericordes præsides dæmones experiuntur, qui nulli è phylacæ emergere permittunt, ignem intuentes, ignem spirantes, facie nocti non absimiles, quod triste possident ingenium atque inhumanum. Frustra itaque, ingerit Allatius, *tot Ecclesiæ preces, suffragia, sacrificia, nisi velimus dicere, etiam post judicium pro mortuis peccatoribus, quando pœnis subjicientur orandum esse, & preces, quas modo effundimus, post judicii tempus in usu futuras, quod nemo dixerit.* Regeret tibi Bryennius, mi Allati, non frustra esse sacrificia & Eleemosynas, pro mortuis expensas, hæc omnia enim valere ad mitigandam sententiam, & liberandum in judicio eum, qui sine sufficienti pœnitentia olim fuerit demortuus, in quam sententiam adducti forsitan fuerunt loco Paulino 2. Timot. 1. 18. regeret: *Preces non quidem post judicium in usu futuras, sed in judicio.* Expressè hoc afferit idem Bryennius: (Diss All. p. 342.) *Intercessionem eo tempore futuram cum Angeli pro aliquibus supplicabunt, & sancti multoq; magis ipsa mundi domina. Non pro omnibus tamen indistinctè, neque pro aliquo qui in peccatis demortuus est. Sed pro illis solis omnes deprecabuntur, pro quibus supplicationes accipientur, pro iis nempe, qui, dum delictorum pœniteret vitam finire contigit, nec peccatorum maculas perfectè expurgare potuerunt. Ita est adhuc durante judicio; postquam enim theatrum dissolutum & unusquisque in locum sibi destinatum cruciatuum abactus fuerit nulla intercessio erit, neque unquam futura sit. Nihilominus intercessio hæc, non tum solum erit, sed nunc quoque fit; cum viventes intercessores nobis comparamus, præcipuè inter alios Matrem Domini.* Ex his verbis, ait, Allatius, pag. 341. Se *ab hostibus ipsis etiam invitis veritatem extorsurum*, habere enim se ex ipso Bryennio, preces sanctorum non fieri pro sanctis, neque pro demortuis, sed tantum pro illis, qui, notare jubet verba τῶν ἐν μετανοίᾳ μὴ φθασάντων μεταλλάξαι τὸν βίον ἀπὸ τῆς τῶν ἁμαρ-

ἁμαρτημάτων κηλίδας διωκβέντων πλείως ἐκπλύναι. (p. 343.) *Dum pœnitentiam agunt vitaq; finem posuere, ideoque delictorum sordes perfectè non potuerunt expurgare. Si quid erit purgatorium dic sodes Briennii, si hoc non erit?* profectò dicet Bryennius, quem aliâs prudentem & sapientem hominem vocas, minus tu prudens & sapiens es disputator, qui doctrinam de purgatorio ex his verbis extorques, quæ nullis fidiculis extorqueri potest. Dic sodes Allati, an is qui statuit, preces & intercessiones sanctorum juvare eos, qui dum pœnitentiam agerent, è vita excesserunt, adeoque per illam pœnitentiam, sordes peccatorum in vita sua non perfectè potuerunt expurgare, an is, inquam, exinde flammas post mortem purgatorias statuere cogatur? nam preces illæ valent juxta Bryenium non ad extrahendas animas ex purgatorio, quod nullum credit, sed ad eas in extremo die cruciatibus, quibus aliâs addicendæ essent eripiendas Et hæc ex Græcor. sententia adeò sunt manifesta & certa, ut ipse Allat. de libb. Eccl. p. 289. seq. Græcor. orationem, qua intercessionem B. Virg. in horrendo judicii extremi die efflagitant *contra Calumniatores Græcorum* defendat.

§. 6. Cum ergo Græci non tantum apertissimis verbis purgatorium aliquod Pontificium esse, negent & pernegent; cùm precum suarum, & dictorum ex PP. desumtorum, aliena à Pontificiorum mente Interpretamenta propugnent, cùm & consequentias Allatianas refellant, Adversarius tamen tract de purg. c. 18. perfrictè negat, Græcos de mitigatione rigoris in die extremo aliquid docere, sed id esse *somnium Conringii*, quem in fine capitis ita affatur: *Si in rebus Græcorum exercitus non es, & eorum preces nescis, cautius tibi loquendum fuerat, ne notam mendacii incurreres.* Sed heus tu, quæ est ista mentis alienatio, mendacii accusare eum, qui te assertionis suæ ducem habet. Indue hominem, dumq; inter homines loqueris fac sis intelligamus te mentem hominis non deposuisse. cap. vero 11. ejusd. tract. fronte ferrea contendit, Græcos ipsos conspicuam & necessariam suæ consequentiæ vim agnoscere, nimirum *Manuelem Calecam, doctrina & dignitate præcellentissimum Gennadium, & Io. Matth. Caryophilum.* Verum optime novit Allat. hos esse Pontificios homines, quorum postremus Allatio est amicus. Concedo enim omnes Græcos λιπόφρονας, sive eos qui Romanorum Castra

Castra sequuntur, vim consequentiæ admittere; nequaquam vero λαλυνομάχας, sive eos, qui Romam aversantur. Hoc perpendens Refutator, unum ex Schismaticis Manuelem Rhetorem, tanquam Consequentiæ isti suffragantem, tribus illis associat. *Medii*, dicit ille, *qui à levioribus & venialibus peccatis immunes non sunt, in aerem ascendentes, & teloniorum libramentis appensæ, ita bonis Angelis permittentibus, ut delictorum memoriam habeant, postmodum divinam Misericordiam, precibus pro ipsis fusis, & sacrificiis sacrosanctæ Ecclesiæ & Eleemosynis assecutæ per æthera ascendunt, Auxiliis Ecclesiæ opem ferentibus. Atque ita sentimus & firmiter tenemus de animabus.* Sic Manuel in tractatu suo de purgat. contra Latinos apud Allatium. Non credo post enatas inter nos & papæos controversias, ullum scriptorem hominibus in tantum illusisse, ut eos in caudices transformare studuerit, quemadmodum id de Refutatore nostro citra injuriam effari possumus. Quis sanæ mentis compos credere posset, hominem contra purgatorium scribentem argumentum purgatorium adstruens admissurum, id tamen de Manuele enunciat Allatius? Quibus vero verbis vim tuæ consequentiæ tribuit Manuel? Affirmo tibi, me non oblocuturum, si caudicem me es appellaturus, ubi tuam consecutionem in Manuele demonstraveris. estne purgatorium vestrum etiam in aëre? appenduntur ne animæ teloniorum libramentis? imò omnes, quotquot tibi credunt, adunco suspenduntur naso.

§ 7. Obiter hic notamus fraudem Allatii contra Chytræum disputantis: dixerat optimus vir p. 14. *ex narrationibus hominum fide dignorum constare, nec missas privatas absque communicantibus ab eis celebrari solere, nec ullum in eorum canone sacrificii corporis & sanguinis Christi pro redemtione vivorum & mortuorum oblati, mentionem fieri,* mox tamen aliam subjungit narrationem, dicens: *intelligo & opiniones de applicatione sacrificii missæ pro vivis & defunctis alicubi inoleviſse, & pecunia missas emi, ac Basilii Liturgiam duobus aureis, Chrysostomi vero paucis denariis redimi.* Deniq; ait: *Recentiores etiam Missarum formæ, etsi mortuorum animas in requie & luce vultus divini collocari petunt, tamen oblationem pro animabus, ex igne purgatorio liberandis nullam faciunt.* Fraus ergo est, dum hæc tantum verba Chytræi citat: *Pro mortuis non offerri*

offerri sacrificium, nec eorum fieri mentionem, addita solenni formula, *falsum est*. Chytræus non simpliciter dixit, mortuorum nullam fieri mentionem, sed in Canone non fieri mentionem sacrificii corporis & sanguinis Christi, pro Redemtione vivorum & mortuorum oblati. Cur hæc verba tam malignè prætermittis? ego, si simile quid facerem, non dubito acclamares, hoc sycophantarum est. Cur omittis verba Chytræi, oblationem saltim pro animabus exigne purgatorio liberandis fieri negantis? Non igitur ait nullam fieri mentionem corporis & sanguinis Christi, nullam oblationis, nullam mortuorum mentionem, sed hæc omnia non fieri pro Redemtione animarum in purgatorio captivarum. Et tamen ex vesania mentis inquis, *vesanum istum virum in tantum desipere, ut quæ videt, non videat, & quæ audit non audiat*. Quod profecto in te quadrat. Sed præstat audire Chytræum, Allatio in Possevino respondentem: *Insigne puerilis sycophantiæ & cavillationis frivolæ specimen in hac Possevini collectione video. mentionem sacrificii corporis & sanguinis Christi pro mortuis è purgatorio liberandis in missa oblati, in his Basilii & Chrysostomi dictis ab eo allegatis, ut nec in toto canone missæ utriusque nullam omnino quisquam vel oculis præditus viderit. Quæ enim hæc consecutio est, Basilius in suo Canone meminit eorum qui in fide & spe resurrectionis & vitæ æternæ obdormierunt & benè eis precatur, ut in pace & luce vultus divini quiescant. E. Basilius sacrificium corporis & sanguinis Christi in Missa, pro mortuis, & ex igne purgatorio liberandis, offert, & hanc oblationem eis prodesse ex opere operato affirmat*. Cætera, quæ ex Basilio, Chrysostomo, Dionysio adducit Allatius, illa omnia in quantum contra Chytræum adducuntur, ab ipsomet Chytræo pag. 25. seqq. it. p. 61. seqq. eruditè sunt exposita, & contra pseud hermenias adversariorum vindicata. Iniquitas autem est hominem sua sponte aliquid affirmantem tanquam malitiosum, & qui de studio verum reticere voluerit, sugillare, id vero Allatius Chytræo fatenti opiniones de applicatione sacrificii missatici alicubi inoleviſſe, iniquissimè impingit, dum ipsum *testem parum memorem, iniquum & malitiosum* nominat. Quis enim credat Chytræum, Virum ipsorum quoq; Pontificiorum judicio doctissimum, nullam nec memoriam, nec oculos ullos habuisse, ut neque meminerit vel viderit, quid in una eademque, ferè

pagella scriberet? sed etiamsi sui parum memor fuisset in aliqua parte, nunquam tamen Allatius ex verbis Basilii habebit Redemtionem animarum ex purgatorio per sacrificium missæ. Verum quid agas cum istiusmodi homine, in quo ne unica mica & humanitatis & mansuetudinis Christianæ? Nos igitur ad nostram revertamur exercitationem, ubi prius contradictionem Allatii notaverimus, ad Jo. Morinum ep. 1. de templis Græc. recent. §. 23. scribentis: *Missa præterea pro mortuis apud Græcos nulla alia est, nisi ea, quæ Jo. Chrysostomum* præfert: in disputatione vero contra Chytræum §. 4. dicit, *& Basilianam & Chrysostomianam modo in usu esse*.

§. 8. Jubes me porrò attentè legere tractatum tuum de purgatorio, in quo conspicere possim Græcos Deum exorare, ut mortuorum animæ liberentur à tenebris &c. Attentè legi; sed in ea persisto sententia, nihil ferè in illo ab Allatio allatum esse, ad quod in tractatu Conringiano non antea fuerit responsum: quod amplius etiam cognosces ex libelli tui examine, quod D. Conringius, tutissimus scriptionis suæ Patronus, in epist. ad Cl. Joh. Horneium, Metrophanis libro præfixa jam promisit. Tu verò attentè quoque legito nostram exercitationem, & conspicies, me hanc objectionem dudum tibi eripuisse, & ostendisse, quid sibi velint istis precibus, in quibus DEUM rogant, ut animæ liberentur à tenebris, mœstitia, tormentis, pœnis, addis, *ut expurgentur etiam flammis & pœnis ustulatoriis*, id, inquam, addis, ego in precibus illud nullibi conspicere potui. Perdiligenter legi in Euchologio officium Exequiarum, officium funeris, Monachorum, Sacerdotum, Virorum secularium, Mulierum, puerorum, negry quidem usquam reperitur de purgatorio: contra vero, si opus esset, argumentorum contra purgatorium numerum satis amplum ex iisdem officiis brevi digerere possem: cum E. Græcorum inter preces effata ne unicam de purgatorio contineant syllabam, autoritate nunc Euchologiorum iterum superior evasi. Operæ autem pretium est legere eruditissimam Chemnitii nostri de ista objectione vestra, levi sane & frivola, commentationem, quam habet P. III. Exam. Concil. Trid. p. m. 163. seqq. ubi ostendit quam vanè Pontificii ex precibus pro defunctis purgatorium accendere conentur. His ita tum in exercitatione, tum etiam in hac defen-

defensione pertractatis, in quibus Græci à Latinis, tàm quoad dogmatica, tum quoad ritualia capitaliter dissentiunt, & excussis maximi momenti controversiis, in quibus nostris adversus Papæos partibus accedunt, ad alia progrediendum fuerat, & nunc quoq; confirmandum erit verè & rectè nos scripsisse: in Ecclesia Græcanica sequiore in quibusdam occurrere apostasiam à vetere orthodoxia.

SECTIO VII.

ARTICULUS I.

De Mutabilitate Infernali.

SYNOPSIS.

Liberatio ex igne sempiterno. Allatius sibi contrarius esse demonstratur. Digressio contra P. Barrium.

§. 1. Disputatio nostra egit de Ecclesia Græcanica in genere, prout illa quædam ex orthodoxa antiquitate retinuit, nobiscum adversus novitates Pontificiorum defendit; quædam vero docet, quæ & vestram & alias hæreses sapiunt: hinc nusquam in exercitatione legas, omnia & singula eum in finem fuisse producta, ut probarent schisma Græcorum cum Pontificiis, immò exceptis duobus capitibus, de mutabilitate infernali, & reali differentia operationum divinarum à substantia DEI, ex professo affirmo, Græcos Latinorum in reliquis erroribus sequaces, eandem fere cum Latinis ex verbo divino mereri censuram. Sed ad quæstionem de mutabilitate infernali in qua crambem tractatu de purgat. c. 39. appositam, quod insipidi aliàs tantum liguriones facere solent, recoquis. Quæro itaq;: hortaturne Eccl. Rom. fideles Christũ exorare, ut animas fidelium mortuorum ex igne sempiterno liberet? fateor, me hoc nullibi legisse, qui Allatio recte nuper dicenti, *ex inferno nullam esse redemtionem*, credideram: Si autem ex inferno nulla est redemtio, nulla quoque erit liberatio ex igne sempiterno qui ipsissimus est ignis infernalis. Per solam enim sempiternitatem ignis infernalis ab igne purgatorio discernitur, dicente Gregorio de Valent. *pœnam purgatorii*

non differre à pœna inferni, nisi sola duratione T. 6. disput. 6. q. 17. punct. 5 pag. 819. quod mox infra All. ipse fatebitur. *Manent autem in illa pœna (nisi aliunde juventur) donec perfectè expiatæ sint, proportionata reatui temporalis, cui obnoxii sint. Vnde sicut aliæ cum majori reatu pœnæ temporalis, aliæ cum minori veniunt ad illum locum, sic aliæ citius: aliæ tardiùs inde liberentur.* Becan. man. lib. 1. c. 8. q. 2. §. 5. Similia leguntur apud alios, hactenus verò non inveni quemquam, qui purgatorium ignem vocarit sempiternum. Non concessi autem ἁμάρτημα μνημονικὸν tantum à te commissum esse, sed aperte dixi, non posse non Allatium in argumento paradoxo transversim abripi, & sibi contradicere; neque adhuc capio, qua ratione *ex opinatione Græcorum stultissima* Allatius tanquam sapiens Architectus purgatorium extruere velit. Immò si vel Græcorum, vel Latinorum sententia ex stultissima hac opinatione elicienda foret, tum utique Græcorum potius exinde emergeret, hunc in modum: si animæ excommunicatorum, quæ in peccato mortali decesserunt, & proinde cruciatibus dæmoniorum (qui an in purgatorio Latinorum animas infestent & torqueant, Bellarmino nondum constitit, sed inter secreta suo tempore revelanda ponitur) traditæ fuerunt, per preces & absolutionem liberari possunt à tormentis, tum sequitur dari liberationem ex inferno. Dicit vero Allatius: atqui ex inferno nulla est Redemtio; reponit Græcus; concedo, post judicium peractum; est, ante judicium, & in judicio. Quin Georg. Coresius respondet: *non dixisse Prophetam in inferno non esse liberationem, sed pœnitentiam; quandoquidem qui ex inferni vinculis liberantur non propria pœnitentia, sed viventium precibus inde exeunt.* apud All. diss. pag. 335.

§. 2. Sed nullibi Allatius sibi contradixit, quippe, qui argumentatus tantum fuerat, Græcos vel fateri debere purgatorium, vel in opinionem Origenis ire, hancq; suam mentem nec me, nec alios assecutos esse. Venia igitur dignus ero quam maximè, cùm alii quoque Allatii obscuriores paulò dicendi & colligendi modos non satis percipere potuerint: & certè ex confusa ista variarum opinionum colluvie, quicquid elicitur confusum, atque cœnosum esse necesse est. Fidem tac.am assertioni, injuriam me Allatio non feciisse, cujus verba recitabo,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747224897/phys_0212
DFG

tabo, ex quibus dilucidissimè αὐαυλιβρήτως ostendam, hominem validissime sibi contradixisse, & adhuc contradicere. *Primus error* pag. 116. seq. (*tanquam hæreticus ex Triodio expurgandus* pag. 113.) *est, qui pœnarum inferni aliquando finem esse, & damnatorum redemtionem insinuat. hortatur enim Christi fideles, Christum exorare, ut animas fidelium mortuorum ab igne sempiterno liberet. In his videntur Origenis errorem ab Ecclesia Græca etiam decreto Synodali atque œcumenico damnatum, secuti, qui finem aliquando infernalibus pœnis statuebat. Et in nonnullis Orientalium nationum à piis viris confectis, & cui* (forsan quibus) *id onus incumbit, traditis relationibus, ubi instituta ac mores & fides illarum nationum exponantur, inter alios earum errores, hunc quoque vidi adnotatum, eos tenere firmiter, pœnas inferni aliquando finem habituras.* Attende Lector, istam animarum ab igne sempiterno liberationem Origenicum damnatumque errorem vocat, & nihilominus in refutatione modo dixerat, idem facere Ecclesiam Romanam, & hinc utriq; Ecclesiæ convenire, in hæresi sc. Origenis. Porrò: *hinc facilius suadeor, sive id Origenistarum sive aliorum fraude factum sit, in Ecclesiam Græcam præter Catholicorum mentem irrepsisse & postea latenter fuisse propagatum. Adde Græcos illam mordicus tueri sententiam, preces à sanctis Viris DEOq; gratis effusas, infidelibus & æternis cruciatibus damnatis proficuas esse, quibus & recreantur, & aliquando etiam earum ope à pœnis liberantur. Exemploq; multorum sed præcipuè Trajani & Theophili Impp. & Ethnici, quam allocutus Sanct. Macarius narratur in Synaxario ejus d. diei: Jo. Damascenus,* (probatissimus Allatio Author) *miraculum Germanum & irrefutabile ab Oriente & Occidente comprobatum vocat, illam de Trajano historiam* p. 119. & licet plerisq; apud Latinos, quibus historia *de salute Trajani cordi est, ut similem errorem evitarent, multa commenti sint ridicula, tamen Græci apertis velis & sine ulla dicti sui emollitione, quin etiam factum aliorũ exemplis comprobantes in eam iverunt sententiam, animas æternis pœnis condemnatas, si sanctor. preces intercedant, salvari posse, & sanctor. precibus detrahere, qui id neget, quasi nullius essent roboris apud Deum.* p. 144. Si apertis velis in hanc iverunt sententiam, sine ulla utique circuitione mutabilitatem pœnarum infernalium statuunt, ut ineptum sit, per multas demum consequentias

contrarium velle demonstrare. Cumq; ex Baronio nonnulli excipere velint, *Theophilum Iconomachum in fine vitæ, erroris pœnitentem imaginem sacram adorasse.* Negat id Allatius & respondet p. 125. seq. *Quod si verum esset, nulli dubium est SS. pro ipso preces ita invaluisse pœnitentia Theophili confirmatas. Sed hoc ad rem propositam nihil facit, cum Græci dicant mortuis infidelibus impœnitentibus, & in peccatis mortuis, preces sanctorum proficuas esse. Et manifestè colligitur ex Io. Zonara in vita Theophili. Quid plura? Paulus Monachus Monembasiæ Episcopus in suis narrationibus tradit, matrem adulteram damnatam, à pœnis liberatam fuisse à filio precibus & orationibus. p. 127. Non dissimile est, quod multorum sententia, famaq; ad sua usque tempora producta, narrat auctor vitæ S. Cosmæ Melodi de Patre Ioh. Damasceni, qui Mahometanæ legi addictus obiit, is nihilominus precibus SS. liberatur, & inter participes gloriæ Christi collocatur. Niceph. quoque Blemmidas refert Ignatium Monachum in nefario scelere trucidatum & condemnatum precibus fratrum societati beatorum redditum* p. 128. Subinde eadem pagina omnem Græcis suis elabendi rimam præcludit: *Et ne hiscere tandem audeant in nonnullis eorum Euchologiis habetur officium S. olei in quo apertissimè preces illæ à sacerdotibus effunduntur, & reliquæ ceremoniæ peraguntur, ad liberandam de mortui animam, non à Gloria Paradisi, tunc enim desiperent, non à pœnis purgatorii, quas ipsi nullas agnoscunt: E. à pœnis inferni: & id se consecuturos esse illis supplicationibus Thrasones isti existimant.* pag. 129. *Græci precantur DEVM, ut de mortui animam liberet à sempiternis vinculis, & carcere*, ex quo colligit Allatius, eos non de purgatorio, sed de infernali & sempiterno igne agere, eumq; in finem *verba Basilii depravare.* An non per hæc Allatius violentissimè secum dimicat: violentius tamen in eo, quod pro consensu vel vi, vel fraude obtinendo, contra me scripsit; Ecclesiam Romanam etiam Christum exorare, ut animas fidelium ex igne sempiterno liberet, qua assertione respicit verba, quæ post Evangelium in missa recitantur, *libera Domine animas fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu, libera eos de ore Leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum* &c. Hîc respondet pag. 131. Allatius: *Neque eadem est cum ista Græcorum formula illa apud Latinos. Illa siquidem de purgatorii pœnis, à quibus orat Ecclesia, ut qui illic detineantur,*

antur, liberentur; ut non detineantur, videlicet diutius in illis, & quasi à divina clementia destituti, à tartaro absorberi videantur, commodè accipi potest. Pœnæ enim inferni pro pœnis purgatorii sumi possunt, cùm non minus infernus, quam purgatorium subterraneum quid sit. Nisi etiam dicere velimus (vides, non satis se expedire posse Allatium, cum preces etiam Latinorum secundum literam magis faveant Græcis quam Latinis) pro illis animabus orari secundum quandam anticipationem, seu repræsentationem: statum enim illarum animarum Ecclesia repræsentat in eo puncto, quo à corpore exeunt, & ad judicium referuntur. tunc namque orat pro illis, ne absorbeat eas Tartarus, &c. sicut etiam nunc, quando Christi adventum repræsentant, intercedit, Rorate cœli desuper &c. At illæ Græcorum in hanc sententiam trahi non possunt, cùm pœnæ illæ æternæ sint, & indesinenter excrucient, quo pœnæ purgatorii à pœnis inferni differunt. Et modus iste loquendi, non nisi pœnas inferni nobis indicare, ex eodem autore manifestum fit. Ipse enim in sequenti Synaxario, de damnatis, eorumq; pœnis verba faciens dicit: Vermis eorum non cessabit. Et ignis eorum non extinguetur. E. si damnatorum pœnæ æternæ, & vermis indesinenter puniens sunt, & preces ideo effunduntur, ut ab hisce liberentur, quemadmodum & Trajanus infidelis, & Theophilus damnatus, & alii liberati sunt: ergo de pœnis inferni, non de Purgatorii sermo est. p. 135. monet; has formulas, cum sententia plana sit, & exemplis confirmentur, ne pœnis æternis finem aliquando unà cum Origine statuere videatur, omnino tollendas esse. Nunc quæso Te Allati doctissime, ne semper lectorum tuorum, ad quos libros tuos transmittis, abuti velis simplicitate: ipsemet cogita, añon hæc sit inconstantia & apertissima contradictio, quando in refutatione ais; Triodium hortatur fideles, Christum exorare, ut animas fidelium mortuorum ex igne sempiterno liberet. Id ipsum facit Ecclesia Romana, & tamen non dicitur; mutabilitatem inferni tenere, E. utriq; Ecclesiæ convenit: Contrarium scripsisti loco citato, asseverando, formulam illam apud Latinos non esse eandem cum istis Græcorum, easq; in hanc sententiam ne trahi quidem posse. Dum ergo uno in loco negas posse accipi in sensu Latinorum, in altero autem affirmas, planissimè tibi contradicis; quod si vero hæc non sit contradictio, næ profecto divinare nequeo, quid amplius nomine contradictionis venire possit. Ut vero

vero contradictiones suas nova semper accessione multiplicaret, tract. d. purg. c. 17. falsissimum esse asserit, *Græcos orare pro iis, qui in inferno detinentur. nam, quæ dicuntur de anima Trajani &c. uti meras nugas, multorum opinione, explosueris. Græci enim sciunt, & ut certissimum tenent, in inferno nullam esse redemtionem.* Non quid tu cum aliquibus Pontificiis explodas, afferre debes, sed docere, Græcos fabellas istas explodere. Verum, quoniam ita vis, retine tibi tuum claucoma, ut quod vides, non videas. alias enim ex istius tui libri c. 29. seqq. perspicere posses, Græcos à te vocari *stultissimos, ineptissimos, hæreticos, quod liberationem ex inferno petere ausint.* Quandoquidem itaq; terminationem aliquam pœnarum infernalium pertinaciter in libris Ecclesiasticis & alibi tuentur Græci, (nam & Jeremias Patriarcha Tubingensibus fabellam de salute Trajani & Falconillæ persuadere voluit) earundem quoq; mutabilitatem credunt, id quod ex Allatio contra Allatium erat probandum, probatumq; nunc esse confidimus, unà cum illo capite, ex hisce disputatis Allatianis fortissime everti omnia, quæ alibi extruit, pro formando consensu Græcorum, circa quæstiones purgatorii: Alia adhuc in Exercitatione de hac materia fuerunt annotata, quæ cum Refutator transmiserit, occupatiores circa illa esse nolumus.

§. 3. Quandoquidem vero Allatius confessus fuerit, plerosq; Latinorum easdem fabellas etiam credidisse, & pro defensione illarum *varia ridicula*, (uti mos fert Papistarum) *commentos fuisse*, non ingratem erit Lectori, si ex Lud. Montalt. ep. provinc. 9. similem sed impiam oppido næniolam papisticam narravero. Paulus Barrius, homo ex ea societate, quæ sensum Ecclesiæ Rom. præ aliis optime vult callere, libellum edidit hoc titulo: Paradisus hagiophilo apertus per centena erga DEI matrem pietatis exercitia, in quo in calce opusculi satis esse dicit, *ad aperiendum aditum in sedes beatorum, si quis unum modo ex illis officiis*, stultis certè, ridiculis, superstitiosis, idololatricis, ad atheismum deducentibus, *usurpet.* Refertur autem pag. 34. illius libri, *fœminam quandam fuisse, quæ nullum intermiserit diem, quin quotidie B. Virginis imaginem salutaret; & tamen ad finem usque vitæ lethali peccato manserit obnoxia, ac ita mortem quoq; demum obiisse, hujus tamen obsequii præsidio nihilominus salutem adeptam esse: Dominum enim eandem è mortuis,*

tuis, ne damnaretur, resuscitasse. Ideo, inquit Jesuita qui Montaltio hunc librum commendavit, *perire non potest, qui aliquo istorum officiorum fungitur.* Anima hujus mulieris necessum est fuerit in quarto aliquo loco. In cœlo non fuit anima nondum purgata: non in inferno, alias non potuisset ex eo remeare, non in purgatorio, lethali quippe peccato infecta: E. in quarto loco suspensa entibus hoc modo affabre multiplicatis. Bene, licet insufficienter, judicat de hac re Wilh. Wendrokius, Theologus Salisburgensis in not. ad illam epist. *Stulte & insipienter in ejus patrocinio confidunt, quicunq; in hoc statu constituti, ne enituntur quidem inde surgere; sed fallaci futuræ emendationis spe, volentes interim in flagitiis suis perseverant. Qui vero ejusmodi spem illis ingenerant, quocunque habitu incedant, publici impostores habendi; nec Evangelicæ, sed diabolicæ pacis autores; prorsusq; illius consiliorum socii & ministri qui cum custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet.* Sed de cultu S. Mariæ, Scripturæ & puriori Antiquitati prorsus incognito, hoc est, de infanda illa & inaudita olim, quæ hodie in regno Pontificio viget Mariolatria, speramus nos aliquando prolixius bona cum pace Allatii acturos esse.

Artic. II.

De nimia Exaltatione Traditionum Synodicarum.

Synopsis.

Honor Bibliis Sacris quinam apud Græcos deferatur: deq; Iconoclasia & reliquiis breviter disputatur, ac Allatii & Jeremiæ imperitia redarguitur.

Non scripsi, Græcos aspernari sacras scripturas, easq; à veneratione & fide deferenda excludere; sed traditiones synodicas nimis exaltari, hominibusq; non θεοπνευστίας infallibilitatem adscribi: Etsi igitur legant in Ecclesiis suis pericopas ex novo Testamento, in disputationibus tamen ostendunt, plus se deferre traditionibus Synodicis, à quibus ne latum unguem discedunt, quamvis clara litera & contextus Scripturæ aliud suadeat. Verum, num Jeremias non potest à me contra Allatium tanquam testis produci, quia ipsum hîc loci reprehendo: immo eò

magis, quoniam hoc ipso eluceſcit, Jeremiam nihil in favorem noſtrum reſpondiſſe, ſed ſuam Eccleſiæq; ſuæ mentem nude declaraſſe, in quibus ſcil. articulis vel nobiſcum conſentiret, vel à nobis diſſideret. Quam dure autem hunc meum teſtem tracto? tam imaniter, ſicut Allatius non Patriarchas modo, Epiſcopos, Doctores Græcorum Schismaticos, quorum autoritate totiens conſenſum ſtabilire nititur, ſed etiam ſuæ religionis homines excipit, caudices, ſtipites, aſinos, inſanos vocitando? minime, inſcitiam & imperitiam ipſi ſine ulla acrimonia objicio. annon enim inſcitiſſime Hebraicæ linguæ Schiſmata imputantur? annon imperitiſſime credit, Hebræos Schiſmata apud nos diſſeminaſſe? Inſcitiam tamen & imperitiam Patriarchæ, tua, ignoſce verbo, rerum Græcarum peritiſſime, Germanicarum vero imperitiſſime Allati, imperitia adhuc ſuperat: Non dicam; quam inſcite loquaris; hoc plane verum eſt, ſi hiſtoriæ non fallunt: Germani iſtius modi locutionem hoc ſuo proverbio rident: hic equus plane præſtantiſſimus eſſet, ſi non claudicaret. dum igitur hiſtoriis diffidis, non plane verum ipſemet aſſeris. Non dicam, nullum eſſe ſenſum in his verbis: *& Schiſmatum inter Græcos, & Lutheranos appingit, τὸ* Schiſmatum in caſu gignendi à quo nomine regatur, non video; ſi dicas, referri ad vocem antecedentem, contemtum, iterum, nullus erit ſenſus, quid enim eſt, *Jeremias opponit Judæis contemtum imaginum & reliquiarum, & contemtum Schiſmatum inter Græcos & Lutheranos appingit?* quibus appingit? vel, quid eſt contemtum Schiſmatum appingere? niſi forſan typothetæ negligentia, omiſſa eſt vocula, initiũ, quamvis & ſic ſatis adhuc obſcure. Sed hæc morari nos non debent. Scribit Jeremias ex mendaci rumore Hebræos aliquos ſchismata apud Lutheranos pietatis ſimulatione introduxiſſe, ac diſſeminaſſe. Verum hoc videtur Allatio, ideoq; mandat, ut repetam hiſtoriam Iconoclaſtarum, & perpendam Lutheranorum dogmata. Etiamſi ab ovo repetere velim, nullibi tamen invenio, Hebræos aliquos Schiſmata inter Lutheranos diſſeminaſſe, nimis igitur credulus, & rerum Eccleſiaſticarum imperitus eſt cum ſuo teſte Jeremia Allatius. Dogmata Lutheri & Lutheranorum quando perpendo, aliud nihil deprehendo, quam eos ſerio improbare & condemnare Iconoclaſtas; cumq; Carolſtadius illam hæreſin reſtaurare vellet, graviter eam increpavit & repreſſit B. Lutherus? quî

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747224897/phys_0218
DFG

quî igitur dogmata Lutheranorum cum turbelis Iconoclastarum conferenda essent? Reliquiarum contemtum cum Jeremia apponis Hebræis; vel igitur intelligis veteres Hebræos, quasi ab illis promanaverit contemtus reliquiarum, vel recentiores: Si veteres, cur Bellarminus exasportatione ossium Josephi, ex sepultura Mosis, ex contactu ossium Elisæ, ex mandato Regis Josiæ de non comburendis ossibus Prophetæ anonymi, cultum reliquiarum astruere laborat? Si recentiores, cogitare debes, ex consensu ipsorum efficacissimum sumi posse argumentum: vel igitur appellas Patronos tuos non debes incusare, vel patrocinio eorundem alio in loco non uti. Quoniam vero refutator doctissimus mentem opponentis sæpe non assecutus est, hinc ait; *Qui bene verba admetitur, Græcam Ecclesiam cum Pontificiis, non cum Reformatis convenire reperiet.* Quis negat in istis capitibus Græcos vobiscum, inprimis in idololatria consentire?

Artic. III.

De reali Differentia operationum & proprietatum divinarum à Substantia DEI.

Synopsis.

Dissensus à Petavio & Allatio agnitus Palamas ab eodem è numero SS. ejectus. Controversia Palamitica recensetur. Dissensus generaliter oculis objicitur.

§. 1. Cur vero, Allati sapientissime, hoc dogma Græcorum inter errores non erat à me referendum, cum in sectione illa, quæ agit de Ecclesia Græcanica sequiore, apostasiam quandam à vetere orthodoxia taxare voluerim, sive deinceps errores isti, à nobis solis, vel à vobis, vel ab utrisq; condemnentur? Cur mihi dogma illud, quod Petavius & Allatius inter hæretica reposuerunt, atro carbone non licuit notare? *Sed dudum ante te ab iisdem Græcis condemnati sunt patroni illius hæreseως, cui igitur bono eos resuscitas?* Si Allatio & Petavio licuit recensere

istam controversiam, & quidem prolixissime, si Demetrii Cydonii librum Græce & Latine Arcudio licuit nuper contra Palamam dudum mortuum edere, & *hæreses ejus fusè prosequi*, uti refers p. 147. Cur mihi non liceret eandem breviter tangere? Sed nunc ex ipso Allatio cognoscemus, an istud dogma nihil ad dissensum faciat. *Quintus error* (in Triodio, libro Ecclesiastico, in quo officium in Ecclesiis eorum recitari solitum, à Septuagesima, quam ipsi vocant Dominicam publicani & Pharisæi, ad Sabbatum sanctum continetur, All. diss. p. 113.) ait p. 143. *ordine erit, quem si multorum errorum, quasi in unam congeriem dixeris, verum dices. Est enim veluti secunda mater errorum multijuga sobole fœdissimus. In secunda namq; Quadragesimæ Dominica, quam ex restituto imaginum sacrarum cultu, & hæreticis profligatis, ἐρθοδοξίαν, quasi rectæ fidei nominant, ubi veræ rectæq; fidei professionem emittunt, & singula religionis capita, palàm & in aperto, voce alta confitentur, sectarios eorumq; hæreses iteratis anathematis damnant, nescis qua ratione dæmon malus impiè ita omnia confudit, ut hæreseon potius protestatio, quam rectæ fidei dicenda sit. Pro libidine enim sanctissimos quosq; viros, qui fidem vita & sanguine tutati sunt, iniquo silentio involvunt; pessimos quosque & fidei hostes odio & adulatione, mirificis laudibus extollunt. Ideoq; non immerito conditionem* modernorum *Græcorum, quæ similibus addicta in Ecclesia recitaret, deplorabat Georg. Trapezuntius:* cujus verba leganturin Exercitatione. *Novem* in isto Synodico Allatius capita vehementer reprehendit & castigat tanquam *hæretica & intoleranda, multasque in ea parte potissimum hæreses contineri* queritur, *ubi contra Iohannem Italum, & Barlaamum & Acyndinum insurgit, eosq; multiplici anathemate ferit, omnes è penu Gregorii Palamæ, ac similium prognatas.* p. 147. *Quinimò Gregorium Palamam, etiam judicio Græcorum, ob hæreses condemnatum, summis laudibus & acclamationibus prosequitur, quasi ille solus, plusquam cæteri omnes alii Patres in Ecclesiam contulerit*, p. 191. Idem P. Cons. p. 839. *Pulso Ioanne Patriarcha, subrogatoq; Isidoro, Palamitis addictissimo, favore etiam Imp. Cantacuzeni, adeo Byzantii Palamitarum factio invaluit, ut nihil ad corroborandos proprios errores intentatum reliquerint, & coactis Synodis, & tomis editis, Barlaami & Acyndini omnia anathemati subjecerint, sua, uti pia & Catholica promulgarint; quæ postea etiam propugna-*

pugnarunt Calliſt. & Philoth. Patriar. ejusdem inſtituti cum Palama. Hunc improbiſs. hominem (Palamam puta) nonnulli ex Græcis inter Sanctos collocarunt, & hymnis ac aliis canticis editis, in Eccleſia celebrarunt, & nunc quoq; celelebrant, All.ib.p.823.ſeq. *Collectoris enim, ſive Editoris incogitantia factum eſt, ut in T. IX. Bibliothecæ PP. in duarum orationum titulo, quarum ipſe auctor fuerat, Sanctiſſimus nuncupetur. Quod maximè improbavit Gennadius Patriarcha, Græcos alloquens pro Concilio Florentino: Vos, Græcos quamvis flagitioſiſſimos & ſtultiſſimos, ſi ſolum adverſus Latinos dicant, omnium ſanctiſſimos arbitramini, inter alios quidem multos, quendam qui vocatur Palamas, & Epheſi Marcum, hominem nec ſatis mentis compotem, ſed tumidum ſapientiæ oſtentatorem; nulla virtute vel ſanctitate ſubnixos, quia loquuntur & ſcribunt ſolum contra Latinos, extollitis & celebratis, eorumque imagines exornatis, feſtumque agentes diem colitis, & veluti ſanctos adoratio. Quod pace tanti viri liceat dixiſſe*, excipit Allatius, *falſum eſt. Excepta enim Theſſalonica, & nonnullis in monte Atho Monaſteriis, nullus ex Græcis hoc ævi, jam prædictos dignos tanta commemoratione exiſtimat, imò etiam decreto vetitum eſt, ne quis in poſterum de iis officia in Eccleſia celebret.* Quod pace tanti viri liceat dixiſſe, falſum hoc mihi videtur. Quí enim Gennadius, homo Græcus, Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſed factionis Latinæ, Græcis ſuis hoc falſo imputare, eosq; mendaci accuſatione exaſperare voluiſſet? Odoric. certè Raynaldus, cujus tomus 18. demum poſt Allatii librum (quem ipſe Odoricus legit, citat, & laudat in hac materia) editus eſt, nihilominus teſtimonio Gennadii probat, *ſceleſtos & blaſphemos, quales ſint Palamas, & Epheſius, à Græcis poſt unionem Florentiæ tentatam & occupatam Conſtantinopolin, coli, eosque maluiſſe à feris diſcerpi, quam ad gremium Rom. Pontificis redire* conqueritur ad A.C. 1453. n. 14. 15. Etiamſi enim hoc ævo pauci hoc officium recitent, Gennadii tamen ætate, qui ante duo ſecula vixit, veriſſimum eſſe potuit, quod ipſe aſſeruit: centum enim anni tantum effluxerunt ad tempora Gennadii à contentione iſta Palamica. Rectius etiam feciſſet, ſi decretum ipſum, quo Palamas & Marcus Epheſius configuntur, protuliſſet, quam quod ſine teſte id nudè affirmavit. Accedit, Jeremiam Patriarcham ſuperiori demum ſæculo, non apertè tantummodo idem cum Palama ſenſiſſe, ſed rationi-

bus quoque propugnare voluisse. Quæ omnia & singula si diligenter & sine studio partium perpendantur, luce meridiana clarius apparebit, hunc Græcorum errorem non immerito obelo notatum esse, eundemq; insuper quoddam cum Ecclesia Latina dissidium declarare.

§. 2. Adjuvat me in hoc negotio, versatissimus in omni antiquitate Jesuita, Dionys. Petacius, eruditione omnigena T. 1. l. 1. c. 12. 13. Th. Dog. Allatio neutiquam secundus, ex quo nonnulla in nostrum comodum, & Lectoris cui hæc ignota, *haud sanè*, ipso Petavio judicante, *multum vulgata sunt*, usum, excerpemus. *Græci quidam recentiores putarunt esse in DEO quiddam reipsa distinctum à DEI substantia, eâq; ut inferius, ita minimè creatum; sed medii cujusdam inter Deum ac res creatas ordinis; quam DEI ἐνέργειαν, id est, operationem vocarunt, ab οὐσίᾳ diversam. Omnes hinc intelligent*, addit Petav. *quantis ista natio, quanque densis tenebris accæcata, & ad quæ opinionum portenta dilapsa sit, ex quo Romanæ ab Ecclesiæ societate discesserit.* Cave tibi Petavi ab Allatio, qui talia in Græcos, & per hos in Romanam Ecclesiam libras, ne te Glauco stupidiorem & Chorœbo stultiorem pronunciet. *Origo hujus erroris refertur ad quosdam Monachos, qui à dæmone, ut apparet, illusi affirmabant, se, cùm ad pectus vel umbilicum caput ac mentum appressissent, & oculos contorsissent, suppresso spiritu mirabilem lucem intueri, ardoremq; Spiritus Sancti concipere, ac per nares efflare, istamq; lucem esse illud ipsum lumen, quo DEVS indutus sit, adeoque ipsum Deum, dicebat Gregor. Palamas præcipuum hujus sectæ columen, primo monachus, postea verò episcopus factus Thessalonicensis. Ad hujus oppugnationem ex Italiæ venit Barlaamus monachus, post velitationes ad tertium jam annum protractas, cogitur synodus, in qua Barlaamus condemnatur, vincit Palamas.* Habitæ sunt etiam aliæ Synodi, in quibus Barlaam cum discipulo Acyndino, & fautoribus omnibus iterum damnatus fuit. Quæ omnia ex Tomo Synodico, Jo. Cantacuzeno, & Nicephoro Gregora desumit Petavius, & argumenta Palamitarum refutat, sine ulla mentione, quod Palamas condemnatus fuerit. l. 5. c. 11. §. 11. Palamitarum Græculorum rursus meminit, & Græculos, Jeremiam Patriarcham nominatim *in rei adeò tritæ insciti à non mediocriter insanientes, eorumque nugas & illepidas fabulas exagitat & refellit.* Unde igitur Allatius habeat condemnationem Palamæ,

lamæ, & an is ipse sit tomus, ex quo solius Barlaami & assectarum, non vero Palamæ improbationem memorat Petavius, equidem ignoro. Nihil quoq; de condemnatione Palamæ reperio in Continuatore Annal. Baronianorum *longè sapientissimo, doctissimo, humanissimoq;*, quo eum honore afficit Allatius, Odorico Raynaldo, Congregationis Oratorii Presbytero; Is T. 16. ad A. C. 1341. n. 119. de hæresi Palamitarum ea tempestate exorta scribit: *Divulsi Græci à Romanæ Ecclesiæ, extra quam ut nec doctrinæ puritas, ita nec vera sanctitas constare potest, conjunctione, in eam infelicitatis abyssum sunt collapsi, ut qui ab hominum segregati commercio, rerum cœlestium tractationi, ac sanctimoniæ vitæ comparandæ, vacare præ se ferebant in monte Atho, in quo plurimi erant anachoretarum & monachorum greges, ludibrio hostis humani generis expositi, dum fundendis precibus erant intenti, dormiebantve, dæmone in angelum lucis se transformante, ingenti splendore circumfunderentur; ex quo se magna suavitate delibutos sentiebant.* Posthæc nonnulla subdit de condemnatione & fuga Barlaami in Italiam, nihil addens de condemnatione Palamæ. Et quamvis errores Palamitarum ad A. C. 1347. n. 25. 26. iterum profligatos cupiat, nihil tamen affert de anathematizatione eorum; quemadmodum ipse etiam Allatius in diatr. de Simeonum scriptis p. 173. seqq. ubi rerum gestarum narrationem repetit, de condemnatione Palamæ prorsus silet. Quoniam igitur Patriarcha Jerem. qui nec in monte Atho monachus, nec Thessalonicensis, sed Constantinopol. Papa est, eodem adhuc errore imbutus fuit suspecta nobis aliquatenus est relatio Allatii, sine auctore, abrogationem istius degratis comendntis. Non tamen ita sumus invidi, ut non malimus & exoptemus, & hajus & aliorum errorum in Ecclesia Græca depositionem.

§. 3. Tandem comendo regulam Allatii, quam ad dijudicandas controversias hasce dedit: *Non facit dissidium, quicquid unusquisq; inconsideratè, & secreto ab aliis coquit, sed quod sapientiorum, & doctior. Præsulum consensus, non sine sui Patriarchæ approbatione ab omnibus excipitur & defenditur, quæ pauciſſima admodum fuerint.* Hac regula stante, dissensum liquidiss. hactenus ostendi: qui non adea provocavi, quæ inconsideratè & secretò ab aliquibus coquuntur, sed quæ à Patriarchis Præsul. sapientioribus & doctior. proponuntur, excipiũtur, defendũtur, in ritualib⁹ &

pre-

precationibus publicè enunciantur, & nonnunquam Synodicè defenduntur, & anathematismis muniuntur. Quæ cum Allatius dicat esse paucissima, fatetur saltim in paucissimis illis agnosci à sapientioribus Præsulibus, & Patriarchis aliquod dissidium, paucitatem vero capitum controversorum, gravitas compensat eorundem. Solius Primatus impugnatio omnem consensum tollit, & fundamentum Religionis Christianæ, juxta Pontificios, convellit, & destruit.

Articulus IV.

Synopsis.

EXponitur Græcorum sententia, Lutheri doctrina de B. O. à calumnia Ecchellensis vindicata.

§. 1. De Fiducia propriæ Justitiæ, ac operum meritis, præcipuè eleemosynarum &c. *Quo porro deserviunt hæc annexa? an hæc etiam dissidium augent? fortasse tibi oculatissimo &c*, si paulo fuisses oculatior, vidisses me hinc dissidium per omnia cum Romana Ecclesia non voluisse stabilire: sed fortassè, dum nimis præacute omnia perspectare & ὀξύτερον τοῦ λυγκέως cernere cupis, habetudinem aliquam visus contraxisti, prout sæpè contingit, sensum & intellectum caligine aliqua obduci, si in objectum nimis excellens, vel in rem attente & curiosè nimis acies intendatur. Causam in præcedentibus jam indicavi, ex qua factum sit, ut ea quoq; commemorarem, quæ de nullo vel parvo inter vos dissidio loquuntur. Certè, si mihi unicè de vestro dissensu, scribere propositum fuisset, & non de statu Ecclesiæ Græcanicæ in genere, deq; præcipuis dogmatibus, quantum fieri poterat, omnibus, sive in iis propius ad nos accederent, sive propius à vobis abessent, tum potuissem, vel debuissem parcere similia ex Græcorum doctoribus exscribendi & notandi, sed cum alia mei consilii fuerit ratio, Allatius dentes suos alibi exercere potuisset. Ubi quæso ad Græcos, quando mihi accinunt, accedo, tanquam ad venerandos augustos patres? nudè & simpliciter eorum dicta recito, & ex iis contra vos insurgo: quod si etiam cum augusta veneratione ad ipsos accederem, id tum non fieret, vel mei, vel ipso-

ipsorum causa, sed quia eos cum augustissima Scriptura Sacra, & veneranda antiquitate, in articulis quibusdam adhuc consentire gauderem. Quando vero contra me tinniunt, breviter & modestè ab iis discedo, interdum ipsos redarguo. Habuimus supra exemplum in Jeremia. quid enim Lingua Hebræa peccavit, ut ejus cognitionem nostris exprobraret? In hoc loco de bonis operibus dixi, bonum virum putare, nos fide mortua contentos esse, neq; vivam perq; opera declaratam fidem exigere, alibi ipsum ἀμεθόδως confundere non confundenda, sanius tamen alio in loco de nostræ sententiæ orthodoxia sentire. Sic enim Steph. Gerlachius Constantinopoli scripsit: *Græcos existimasse nos fingere nudam quandam credulitatem absq; operibus, & propterea quæsivisse, an quis fide salvari possit, qui nihil boni operaretur? sed veræ fidei cum charitate perpetuo junctæ definitionem, ejusque in operibus in negotio justificationis distinctionem danti assenserunt.* Hinc non prætereundum illud, Græcos cum animadvertissent, articulum de Justificatione & bonis operibus dilucidius à nostratibus postea explicatum fuisse, in tertio suo responso nihil amplius objeciisse pag. 303. 368. hæc talia placidè monueram, quæ quid ad illum animi accentum, pænè dixissem furorem, quo totus debacchabundus misellis Græculis millies insultas? Vobis hoc proprium est, ut Græcos, quando vestræ adblandiuntur opinioni, in cœlum extollatis, hinc passim apud te invidendis onerantur elogiis, hinc tuæ exclamationes, ô calamum divinum! quando vobis obloquuntur, tunc aculeos eisdem infigitis vestros, tùm nebulones, catharmata, &c. sunt. Arcudius hîc tui similis est, cui *Græci Doctores ubi cum Latinis consentiunt, non ineptas ad probandum aliquid rationes afferre dicuntur. Vbi verò Rom. Eccles. petere volunt, solidissimæ illisi petræ, supra quam illa fundata est, miserrimum naufragium faciunt, h. e. nugas nugantur, & desipiunt.* l. 3. de Conc. c. 38 f. Majorem quidem in Spiritu Domini percepturi essemus voluptatem, si Græci in omnibus relig. Christianæ articulis, cum Sacra Scriptura & nobiscum concordarent, sed vero, ubi manifestè diversum tenent, favorem eorum nulli aucupamur, nec quærimus tantum quod volupe est, & arriserit, sed fideliter quoq; propalamus errores, in quos deinceps placide inquirimus.

§. 2. Occasione hujus disceptationis detergenda est Ecchellensis

tui calumnia, qua nequiter Lutherum prægravat, quasi bona opera vetuisset, Cum enim in Catalog. libb. Chald. Hebedjesu commeminisset, *Dositheum Samaritanum, hominem corruptissimis ac sceleratissimis moribus, Samaritanum legis textum* (quem tamen Ecchellensis cum aliis Papistis præ codice Hebræo magni facit) *innumeris pænè locis, fœdissimis corruptionibus ad sua comprobanda commenta, contaminasse, hæcq; non ad legis accommodasse normam, sed legem ad suam concinnavisse hæresin*, addit: *Forsitan verò desunt & nobis ejusmodi Dosithei, Scripturarum corruptores & adulteratores, & qui eas ad suas digerunt nænias? utinam deessent. Sed audi novatorum Prophetam & coryphæum, Lutherum, & quam tradat de Scripturis intelligendis rationem tenendam, Comment. in Psalm. V. Hæc tibi*, inquit, *norma & regula esto, quam in Scripturis Sacris intelligendis sequaris: Vbicunque Scriptura jubet bona opera facere, tu id sic intelligas, quod Scriptura prohibeat bona opera facere. Vbi id inter utrumque interesse videtur, quod ille literam, hic sensum præcidit; ille corpus, hic Spiritum jugulat; ille clàm & subdole intrudit & insinuat, iste palàm & impudentissime imperat clamitans:* paginam non notavit Abrahamus, quod propter prolixitatem commentarii istius facere debuisset, ut adeo verba illa reperire non potuerim: hæc interim ἀλαζονήδην in isto Comment. Tom. 3. Lat Witt. pag. 189. b. leguntur: *Verum hæc (spem in meritis nostris non esse collocandam) insolita sunt multis, objicerent fortassis: E. tantummodo peccandum est, & bona prorsus omittenda: seu (ut Apostolo quoque eadem docenti objiciebatur) faciamus mala; ut veniant bona, videmus enim sic docentes, viam aperire peccandi, & bona opera prohibere velut noxia ad salutem. Respondemus, Bona opera* non modo non prohibentur, *sed maximè commendantur istis verbis, & peccata optimo magisterio penitus tolluntur, dum ab intra bona procedere, & peccatum intus occidere docent. Solus enim affectus ille (serpentis antiqui caput) occultissimè & subtilissimè carnalis* (qui istis operibus confidit, & spei quæ est in DEI solius misericordia, contentiosissimè resistit) *conterendus, eruendus, perdendus est: Et intelligendum, quod si bona vita acta non fuerit, non ideò desperetur, nec ideò speretur, quia acta bona fuit: at illud difficile, hoc autem difficilius, quia in illa solum pugnatur contra peccata, in hac autem simul contra*

bona

bona opera & peccatum, id est, affectum præsumtionis in bonis operibus; in quem sensum plura & egregia admodum subnectit. Haud minus insignia sunt illa, quæ p. 192. b seq. ad interpretationem verborum Lutheri (si modo Ecchellensis, homo, ut mox iterum patebit, in citandis adversariis, nullius omnino fidei, non fallit) facere possunt: *nulla ergo sunt merita? cur tot præceptis Christi & Apostolorum docemur bona operari, seminare, ædificare aurum, argentum, gemmas &c. Respondeo. Hoc est quod dixi, plurimos falli falsa bonorum operum intelligentia, vere enim bona opera sunt facienda, & arbor spiritus suos fructus ferre debet, de quibus Gal. 5. scribitur. Sed illud Christi non intelligitur Ioh. 12. Nisi granum frumenti in terram cadens mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, fructum nullum affert. Et Ioh. 15. Omnem palmitem in me ferentem fructum purgabit, ut fructum plus afferat. Hæc enim mortificatio & purgatio (quæ fit infusione fidei & spei & caritatis) facit, ut homo operibus suis exutus discat in solum Deum fidere, & opera bona facere, jam non sibi, tanquam merita, quibus præmium quærat, sed gratuito & libero spontaneoq; affectu placendi Deo, nihil in ea fidens, sed per ea in gloriam Dei serviens, sicut dicit Matth. 5. luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Et quæ alia ibidem dicuntur plura & p[l]ana. Conf. Comm. enucleatissimum in Gen. c. 9. p. m. 429 seqq. in 8[a]. Longe plura adhuc comportare & αὐτῷ τῷ ὑλάκῳ ex Luthero effundere possem, verum cui hæc non sufficiunt, nec alia suffecerint. Licet autem Lutherus, Augustana Confessio artic. VI. & XX. qui ex cap. 6. inter 17. articulos à Luthero præscriptos & in Tom. 5. Jen. extantes, formati sunt, & Doctores nostri omnes semper sint conquesti, per calumniam impietatem istam sibi impingi, licet ipsi Pontificii contrarium in scriptis nostris legant, & in praxi videant, spiritu tamen maledicentiæ & mendaciorum afflati, non desinunt identidem vociferari, prohiberi à nobis bona opera. Si aliud nihil Pontificios revocare posset ab hac calumniandi libidine, leges saltem politicæ de bonis moribus latæ, & pœnarum in prævaricatores utriusque tabulæ constitutiones, aliud eos edocere possent. Id vero ab ipsis tantum non potest expectari, ut Nihusius, homo non maledicus & rabiosus, sed ipsa rabies & maledicentia, qui procacitatem

tatem diſertitudinem & maledicere omnibus bonæ conſcientię ſignum arbitratur apud Calixt. de Arte Nova p.158. ſcribere auſit: *Nullos Lutheranos, Reges etiam & Principes conſcientiam habere.* Candore haud abſimili, h. e. conſcientia reclamante Ecchellenſis p. 599. execrando mendacio inflat intonatq; : *Lutherum Satanam invocaſſe. Porro qui non cohorreat* (ait) *impius cum Veielio Sanctorum invocationes condemnans, ad has ſui Lutheri execrandas voces & formulas, non ad B. V. Mariam, aliosq; SS. conceptas, ſed ad ipſum Satanam in colloquiis ita intonantis: S. Satan ora pro nobis, minimè tamen contra te peccavimus clementiſſime diabole? Hæc eſt quæ Hottingero arridet λατρεία, non B. V. & aliorum SS. δουλία.* Quid hîc Abrahamus iſte reliqui faciat ad exprimendam ſummam animi malignitatem & nequitiam, equidem non video: ſic enim Lutherus in colloquiis menſalibus (qui quidem liber à Luthero nec viſus, nec lectus fuit) titulo de Diabolo & operibus ejus, c. 24. p. 206. *Mi diabole,* (ſic per contemtum repello ſuperbum hoſtem) *ſi non ſufficit ſanguis Chriſti pro peccatis meis effuſis, oro te, ut tu pro me Deum deprecari velis.* Et c.26. tentation. *Quando Satan inſtat, meq; tanquam peccatorem accuſat, tum ipſum contemno, ac dico, S. Satan ora pro me; Tu enim nihil unquam mali perpetraſti, ſolus es ſanctus; quin ipſemet adi Deum, & gratiam tibi impetra; quod ſi enim tu me pium reddere cupis, illud tibi dictum velis, Medice cura teipſum.* p.313. b. edit. al. p.222. Non dubito, quin hoc cavillandi ſtudium ab ipſis honeſtioribus Papiſtis improbetur, quis enim unquam audivit, verba illuſoria & farcaſtica, quibus alteri inſultamus, ſignificationem habere aſſertivæ orationis, inprimis in contextu manifeſto? aperta igitur hæc eſt & diabolica διαβολή, & malitia Satanica: cujus quidem generis innumeras reperire licet in Papiſtarum, Piſtorii, Scheffleri, & aliorum feculentis ſcriptis, de vita, doctrina, moribus Lutheri: Sed quas poſt alios plures ſolidiſſimè contrivit, Cl. Theologus, D. Joh. Müllerus in Luthero defenſo, & defenſione defenſi Lutheri contra Jeſuitæ Caroli Creutzii, hominis prodigiosè mendacis, latratus & furias. Sed mittamus hos homines. Poſſemus autem retorquendo perquam facile demonſtrare, in Papatu bona opera vetari, per fiduciam, in ſolam B. Virginem collocandam, qua de re ſupra.

Art.

ARTIC. V.

De Septenario Sacramentorum Numero in genere; & in specie de Confirmatione.

SYNOPSIS.

SAcramentum Baptismi & Eucharistiæ immediatè à Christo institutum, reliqua ab Ecclesia, ex & pro Cauco. Logodiarrhæa Allatii. Veteris Ecclesiæ de Confirmatione sensus ex Chemn. explanatus. Dissensus merus ex Arcudio propter iterationem Confirmationis contra All. evincitur.

§. 1. An ex numero Septenario Sacramentorum, consensum eum Græcis vestrum, quod mihi affingit Allatius, convellere voluerim, non opus esset, ut aliquid superioribus adjicerem. Ut autem in hac controversia, quandoquidem ita vult adversarius, dissensum demonstremus, esto mecum Lector paulisper. Amplectuntur hodiè Græci numerum Septenarium, ita tamen, ut solummodo duo Sacram. Baptismi & Eucharistiæ institutioni Christi immediatæ imputent, cætera ab Ecclesia Christi sponsa protecta esse scribunt. Ant. Caucus asserit, *hanc hæresin esse recentioribus Græcis cum Mart. Luthero, Calvino, & cæteris hæresiarchis communem*, Allatius contra inclamat; *hoc purum putum mendacium est de Græcis; de aliis hæreticis nulli dubium esse.* En, Caucus *est os durum, stygium, & non nisi mentiri gnarum*, All. P. C. 3. 17. 1. huic tamen de nobis aliquid scribenti fidem nequaquam adimeret. Sed estne hoc purum putum mendacium, quo Caucus Græcos recentiores onerat? Allatius ait, & negat, sorbet, & flat. Mox enim addit; *poterat Caucus in sui probationem adducere testem Jobum Monachum, Jeremiam Patriarcham, Gregorium Hieromonachum, & Proto-syncellum, natione Chium*, Refutatoris nostri popularem, qui demum Anno 1635. Synopsin Dogmatum Ecclesiasticorum scripsit. Quorum opinionem suo calculo approbat Metrophanes Critopulus c. 5. de Sacram. cui *duo dicuntur esse Sacramenta, quibus præcogniti de gratia prædestinantis certificentur, sacrum nimirum Baptismum & S. Communionem. Cum vero DEUS*

sciverit τὸ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως εὐόλισθον, καὶ πρὸς τὴν ἁμαρτίαν εὔτρεπτον, *humanæ naturæ in lapsum pronitatem, & mutabilitatem in peccatum, infinitam ejus sapientiam lapsus remedium excogitavisse, pœnitentiam, ita ut mysteria, quæ ad salutem necessaria sunt,* τὰ πρὸς σωτηρίαν ἀναγκαῖα μυστήρια tria existant, Baptisma, Communio, Pœnitentia. παρὰ ταῦτα δὲ τὰ τρία ἀναγκαῖα μυστήρια, εἰσὶ καὶ τινες τελεταὶ μυστικαὶ, μυστήρια κἀκεῖναι ὁμονύμως καλούμεναι παρὰ τῇ ἐκκλησίᾳ. *Præter hæc tria necessaria Sacramenta sunt etiam ritus aliqui mystici, & ipsi mysteria homonymè ab Ecclesia appellati, propterea, quod mysticum & spirituale aliquid iis contineatur, cujusmodi est, quod statim post S. Baptisma, suscipitur S. Chrisma, Ordo Sacerdotum, primæ nuptiæ, oleum precum, de quibus postea dicam.* Idq; præstat c. 14. scribens: *De Sacris itaq; mysteriis, eorumq; ceremoniis jam satis abunde fuit dictum. Demonstratum namque est, mysteria esse ex mandato DEI, horum verò ceremonias, traditiones, esse antiquæ & primitivæ Ecclesiæ, collectas nihilominus ut plurimum ex S. Scriptura.* Distinguit igitur Patriarcha inter Mysteria sive Sacramenta propriè & æquivocè sic dicta; vel inter μυστήρια & τελετὰς, sacramenta & mysticas ceremonias; inter illa, quæ ex mandato DEI, & quæ ex institutione S. Ecclesiæ dependent. Si ergo hi Scriptores ita senserunt, purum putum mendacium non commisit Caucus. Commisit verò, regerit Allatius, *nam hos non esse reliquam Græcorum Ecclesiam.* Non dubito, quin Caucus, si adhuc viveret, pari verborum acerbitate colaphos tibi esset impacturus, reponendo, bis se scripsisse, recentiorum Græcorum hunc esse sensum, non Ecclesiæ Cyrillo, quem frustra citas, coævæ. Interim commonstret nobis Allatius locum aliquem, vel Synodum, ubi hæc recentiorum scriptorum inter suos satis celebrium, opinio, tanquam reliquæ Græcorum Ecclesiæ adversa fuerit oppugnata?

§. 2. Potuisset autem Allatius parcere labori notandi, exscribendiq; loca Patrum, quæ loco minimè opportuno hîc intruduntur, & accumulantur, tum quod facile concedo, & firmiter credo, Veteres Eucharistiam & Baptismum pro Sacramentis propriè sic dictis habuisse: quid igitur opus ista tua admonitione. *En Eucharistiam, En Baptismum?* egone id unquam negavi? tum, quod nemo Protestantium inficiatus fuerit, & chrismatis, & pœnitentiæ, & matrimonii, & ordinis, & rerum adhuc

adhuc plurium, sub nomine Sacramentorum vel mysteriorum, mentionem fieri apud antiquos, sed reliqua, præter S. Eucharistiam & tinctionem, à vobis dicta Sacramenta, pro verè & propriè talibus Sacramentis agnita fuisse, id probandum esset. Videris autem mihi neminem prorsus vel ex Lutheranis, vel Reformatis hac de re legisse, qui te nostram edocere potuissent, sententiam.

§. 3. Cumq; nullo modo opus sit, ut singula PP. de *Confirmatione* loca excutiam, fecerunt id cumulatissimè tùm Chemnitius, tùm Dallæus, his respondeo, si vir es, breviter hîc me expedire potero, Chemnitium sequendo & commendando. Sic autem ille P. 2. Ex. p. m. 105. *Primo præcipuæ sententiæ sumtæ sunt ex scriptis suppositititiis. 2. Quædam ex Schola Montanici Paracleti prodierunt. Ex professo enim Montanicum est, quod Tertull. de Baptismo inquit, eos, qui baptizantur in aquis, non consequi Spiritum Sanctum, sed in aqua mundatos, sub Angelis tantùm præparari Spiritui Sancto: qui demum, postquam egressi sint de lavacro, per benedictam Unctionem, & impositionem manus advocetur & invitetur. 3. Faciunt quidem PP. Unctionis mentionem, sed eum in modum, sicut alias multas ceremonias, quæ suo tempore in actione Baptismi, sine mandato divino, ex Ecclesiastica traditione, usitatæ fuerunt, recensent & describunt. Non autem efficaciam illam, quam Scriptura Baptismo tribuit, ei vel detrahunt, vel partiuntur inter tales ceremonias, & ipsum baptismum, sicut Pontificia Confirmatio facit: sed dicunt, istis superadditis signis significari & declarari ipsam baptismi efficaciam: ut adeò apud Veteres unctio Chrismatis non fuerit peculiare Sacramentum, sed ceremonia actioni baptismali annexa, quæ deinceps successu temporum à baptismo divulsa & distracta fuit;* occasiones hujus disjunctionis, item, quis possit esse legitimus usus ritus confirmationis eruditè pro more suo ostendit Chemnitius.

§. 4. Supra quidem de immediata Chrismatis cum Baptismo conjunctione, deq; ministro confirmationis Refutatorem abunde refutavimus: hîc vero novum eundem de confecto consensu refellendi submini-stratur argumentum ab Arcudio, in hac eadem materia, & alias nobis sæpius jam advocato auctore. Sic autem 2. 17. iste: *Si quæramus, an character* (per Confirmationem impressus) *deleri possit, Latini ex simi-*

similitudine characteris baptismatis, & sacri ordinis merito negant. Nonnulli tamen Neogræcorum sua doctrina & praxi effecerunt, ut res indubitata in quæstionem verteretur. Cap. seq. Recensetur *error posteriorum Græcorum, iterantium Confirmationem*, dicitúrque: *fundamentum eorum pro confirmandis hæreticis esse auctoritatem 7. Canonis I. Concilii Constantinopolitani*, ad quem Canonem, ut potest, respondet. *Alterum fundamentum* esse dicit, *auctoritatem Ritualis Græci per totam Græciam ab omnibus recepti, in quo extant precationes reconciliatrices, modus recipiendi, forma hujus Sacramenti. Unde Græci hoc tempore sine ulla religione iterant hoc Sacramentum.* Quæ omnia invicta mihi suppeditant argumenta, essentialem dissensionem demonstrandi. Confirmatio characterem juxta Tridentinos Novatores imprimit indelebilem, cujus respectu eam iterare non licet, qui contra faxit vel docuerit, quod facit & docet Ecclesia Græca, anathemate confoditur, ô concordiam pulcherrimam! Neq; licet tibi excipere, pauculi id faciunt, qui sunt cathartmata, uti cohonestantur ab All. de Syn. Phot. p. 315. nam, Arcudius hîc ad auctoritatem Ritualis per totam Græciam ab omnibus recepti provocat. Habemus E. hîc nobis faventes libros Rituales, & Græcorum inter preces effata, quæ nostratum disceptationum norma secundum Allatium esse debent unicè: quo fundamento Græci innixi, religioni sibi non ducunt, hoc Sacramentum contemto anathemate Tridentino iterare. Non tamen Arcudius à responsione ad hoc quoque fundamentum est denudatus, respondet enim; *Methodium illum, qui preces istas composuit, sive fuerit Sanctus ille, sive Schismaticus Patriarcha, non esse tantæ auctoritatis, ut contra S. Scripturam decernat.* Deinde *verisimile esse, rubricas à posterioribus Græcis additas fuisse. Fortassis etiam auctorem hujus ceremoniæ chrisma non per modum Sacramenti conversis ad fidem administrandum censuisse, ut ex nonnullis verbis Euchologii innuere videatur: Interim hæreticum minimeq; ferendum hæc continere errorem.* Quam indignaturus esset nobis Allatius, si pari libertate Euchologiorum & Ritualium auctoritatem sollicitare vellemus? Sed esto, sint illa à Schismaticis addita: hoc ipsum argumento est, post patratum Schisma consensum expirasse, dissensumq; per omnem hodie Græciam publicè in libris Ritualibus decantari. Præstigias igitur istiusmodi extermi-

terminari velim, atq; ad Sophistas ablegari. Idem Arcud. c. 19. 20. 21. Jobum Monachum, Simeonem Thessal. & Nicol. Cabasilum in hoc dogmate refellit. c. 22. *fraudem Gabrielis Philad. Antistis*, qui sæculo currente Venetiis floruit, *detegit:* ait hic, *Baptisma & Sacerdotium præbere characterem indelebilem, Latinos tamen piè & rectè idem quoque de divino unguento asserere.* Arripit hoc Arcudius, & in Gabrielem retorquet: *Si piè rectè q; quidam asserunt Confirmationem imprimere characterem, male utiq; Græci nostri temporis, atque impiè iterant istud Sacramentum. Non enim est ἀδιάφορον, ut nihil interfit, hoc vel illo modo quis faciat. Sed ut est sacrilegum iterare baptismum, ita etiam confirmationem. Quare Gabriel cum Concilio Trident. Sess. 7. can. 9. immò cum Apostolo Paulo absolutè & necessario debuisset affirmare, Confirmationem imprimere characterem, & nullo modo esse iterandam, eos verò, qui hoc inficiantur, anathemati subjectos esse.* Hac demum coronide librum secundum claudit: *Itane verò (dixerit aliquis) reconcilias Ecclesiam Græcam cum Latina? egregia sanè concordia. Ego verò satis superq; habeo, si Sacri Doctores Græci* (vetusti) *cum Romana Ecclesia sint concordes. Quorum vestigia si sequatur nova Græcia, ut sequi se jactat, en nobiscum est. Sin doctrinam eorum respuat, jam non est amplius prisca illa florentissima, & eloquentissima Græcia.* Sanè, magis cautus & candidior fuit Arcudius Allatio, qui Concordiam inter Ecclesiam utramque ex Antiquitate venari, & per hoc novam Græciam ad gremium Ecclesiæ Romanæ allectare, non vero perpetuam in hunc usque diem concordiam procaciter stabilire conatus est: idcirco etiam lib. 1. c. 4. *de ineptiis Neo-Græcorum circa Sacramenta* agens, *non quid senserit Schismaticorum & hæreticorum turba, scire, laudare, defendere gestit; sed ex Veterum PP. monumentis veritatem eruere, aliisque proponere animus est.* Hæreticos autem ex Græcis illos intelligit, *qui malè sana mente Concilium Oecumenicum Florentinum rejiciunt.* Incassum quidem in eo etiam laboravit, quod summa cum violentia PP. vetustos Græcorum, Latinas opiniones sonare coegerit; benè tamen vidit, hodiernam Ecclesiam Græcam nequaquam cum Romanensi consentire.

ARTICULUS V.

De Pœnitentia & Confeßione Auriculari.

SYNOPSIS.

POenitentia à nobis quatenus recipiatur. Multum diſſidere Græcos hac in parte à Latinis oſtenditur. Caucus contra All. defenſus.

§. 1. Hic iterum labore exſcribendi potuiſſet ſuperſedere Allatius, ſi ſententiam Eccleſiarum Evangelicarum intelligeret: tribus igitur verbis reſpondere poſſum: hæc omnia concedo. Pœnitentia cõmendatur ab antiquis; commendatur & ab Evangelicis. Fruſtra igitur tot loca Patrum congeruntur, quæ nobis adverſa non ſunt: id unum probare debuiſſet Allatius, pœnitentiam pontificiam eſſe ex mente & ſententia veterum, Sacramentum propriè ſic dictum.

§. 2. De ſpeciali peccatorum enarratione confeſſus fui ipſe in Exerc. Græcos eandem laudare, & in eo quadantenus vobiſcum facere: non potui tamen non notare in conſenſu aliquem diſſenſum. 1. quod Jeremias ſolennem Pontificiorum Sacerdotum quæſtum improbat. 2. quod tam rigidè non exigat omnium peccatorũ enumerationem, quo minus liceat nonnulla, quæ aures caſtas inceſtare poſſent, prorſus reticere, ſine periculo damni ſpiritualis. In quo etiam Germanus Amathuntis Epiſcopus, Jeremiæ adſtipulatur, & in Oratione Condonatoria apud Goarem p. 681. Euch. *peccatorum ex oblivione aut pudore tacitorum* remiſſionem pollicetur: nec minus idem facit Michael Antiochenus Patriarcha, qui Th. Zygomalam â ligamine peccatorum abſolvit; paremq; indulgentiam, juſta reprehenſione non carentem *in aliis quoque Patriarchæ Conſtantinopolitani diplomatibus ſeſe legiſſe*, *meminit* Arcudius Concord. p. 373. *quem abuſum, ut qui auricularem confeßionem planè deſtruat, non ferendum eſſe* dicit, pag. ſeq. Unde non judicant neceſſarium eſſe de jure divino omnia & ſingula peccata, quorum Confitens meminiſſe poteſt, ſigillatim confiteri; multo minus omnes & ſingulas circumſtantias, quod quidem ſub pœna anathematizationis exigunt Tridentini, enarrare. Ἐρωτῶσι, μὴ ἀναγκαίως τῆς τῶν ἁμαρτημάτων ἐξο-

μολο-

μολογήσεως, καὶ εἰδῶσι τὰ ἁμαρτήματα; *Interrogant quidem illi, qui peccatorum confessionem audiunt, de peccatis in specie, & horum qualitate, ut conveniens medicamentum afferant ægrotanti: non tamen de personis quibuscum peccatum commissum sit, modoq; & loco.* Περιττὸν γὰρ ἔστι, καὶ λίαν πονηρὰν ὑπόληψιν τῷ πολυπραγμονοῦντι καὶ περιεργαζομένῳ προσάπτον. *Supervacaneum enim hoc est, & valdè malam existimationem ei tanquam multis iisq; nihil ad se pertinentibus negotiis sese implicanti, & nimis curiosè in aliena inquirenti concilians.* Metrophan. Critop. p. 507. Allatius quidem ex eo, *quod Græci omnes dicant, peccata remittere solius esse DEI, Pastoresq; à peccatis absolvere ex potestate à DEO sibi facta*, contra Caucum vult inferre, *falsum esse*, quod Græci statuant, *Confessionem auricularem esse juris positivi seu arbitrariam, & non juris divini*: Sed rectè eidem respondet D. D. Haberkornius: (Vind. Anti-For.) *Etsi remittere peccata sit solius DEI Auctoritativè, & Pastores peccata remittant ministerialiter, confessio tamen nihilominus tali modo, scilicet seorsim ad aures facta, potest esse institutionis Ecclesiasticæ, non verò mandati divini, quod & ipse Allatius pag. 1297. 1298. ex Cauco, Jobo Monacho, Jeremia, Gregorio Hieromonacho, & Protosyncello elicuit.* Quid verò dixisset Jeremias, quamq; dissensum suum fuisset contestatus, si audivisset, in Papatu non tantùm ex verecundia non licere quicquam reticere, sed novos Catullos, Martiales, Petronios, istiusmodi Priapeia & fescinnina teneris etiam auribus & mentibus proponere, de quibus antea ne quidem cogitassent unquam, nedum ut quicquam obscœnitatum illarum perpetrassent. De quo dedecore, probro, & spurcitie Casuistarum, aliquotiens graviter conqueritur homo Pontificius, Ludov. Montaltius, nec minus ipsa Sorbona verbis P. Aurelii, de fœdissimo Scripto Sanchesii Jesuitæ, censuram ferens. Inexcusabiles excusationes Jesuitæ Cornæi protrivit D. Dannhawerus in Vale Triúmph. p. 22. Defensio Jesuitarum contra Montaltium ab Amadæo Guimenio Lomarensi, Lugduni Anno 1664. edita, nihil aliud est, quàm amplior obscœnitatum denudatio, & impientissimarum Opinionum non tam propugnatio, quàm propalatio. Utrum ex his duobus spectarit Auctor, pronuncient alii. Notavi 3. Goarem non de uno alterove, sed de Clero & Sacerdotibus in genere loquentem, contemtum confessionis infamem, & ferè

repudiati Sacramenti notam Græcis esse inustam dicere. Verba Goaris integra hæc sunt: *Minimè respuunt, ut falso quidam suspicantur, confessionem Græci, quam hîc commendatam legunt, & cujus virtutem paræmia sibi familiari, peccatum esse irremissum, quamdiu manet ἀκαινόνιστον, Canonum rigori per confessionem non subjectum, profitentur: rarius tamen hujus Sacramenti ab eis frequentata devotio, infamem ejus contemtum, & ferè repudiati notam inussit. Hinc renovati de illo Canones in Actis Synodalibus Germani Amathuntos Episcopi.* Eandem infrequentiam Arcudius 3. 60. huncin modum taxat: *Inprimis Græcorum presbyteri liturgiam celebraturi fermè nunquam confitentur. At neq; extra sacrum per reliquum vitæ spatium solent confiteri, sed tamen migraturi ex hac vita Sacramento ἐξομολογήσεως & pœnitentiæ errata expiant, & se perpurgant.* Quod nec l. 4. c 2. repetere veretur: *Pontifices & Sacerdotes Græcorum ferè nunquam confitentur. Quo eodem vitio laborant Russorum presbyteri, Græcorum videlicet velut hæreditario quodam jure in omnibus imitatores. Veram causam, ob quam hic abusus irrepserit, hanc esse reor. Quia nim. Canones Antiqui Clericos in fornicationem lapsos perpetuò suspendunt ab executione Ordinum, & quodam modo in sortem laicorum redigunt. Ne itaque Clerici cessent ab officio, & gradu priventur, immò & eorum peccata, ob interdictum ministerium aliis patefiant; ideò confiteri recusant. Sic miserè impœnitentes vivunt, & in longè plura, & graviora peccata in dies prolabuntur.* 4. Arcudius duplici nomine Græcos reprehendit, & prorsus ambigit, an Sacerdotes Græci absolvere possint. Honoratus Fabri p. 356. valdè dubitat, *utrum Græci Sacramentum Pœnitentiæ rectè administrent, cum in eo parùm ab iis differant, qui perperam censent, institutum esse ad remissionem pœnæ, non culpæ.* Quæ omnia si ad concentum retulissem, me sanè, & alios decepissem.

§. 3. Clarissima hæc sunt Goaris & Arcudii testimonia, Virorum, qui ante annos non ita multos in Græcia omnia diligenter inspexerunt: ipsi verò deliberent, annon convicia & maledicta, quibus A. Caucus Archiepiscopus Corcyræus, Arcudii popularis, ab Allatio discerpitur, in ipsorum quoque caput recidant. Sic autem apud All. P. C. 3, 17. 5. Caucus: *In Sacramento Pœnitentiæ, ad remissionem peccatorum, hodiè palam*

docent

docent recentiores Papates Græci, non esse necessarium jure divino, confiteri omnia & singula peccata mortalia Sacerdotibus, quorum memoria, cum debita & diligenti præmeditatione habeatur. Eo pervenit Laicorum Græcorum petulantia hisce temporibus, atque peccandi licentia, ob id præcipuè, quod ad Sacramentalem Confessionem ab Ecclesia sua non adstringantur singulis annis, ut in peccatis & erroribus senescant. Cognovi Corcyræ multos Græcos homines, 50. & 60. annos natos, adeò impios, ut nunquam peccata sua Sacerdotibus confessi fuerint, nisi in articulo mortis. Audiamus Confutationem Allatii immanè frementis: *Nondum exsaturatus est Græcorum infamia; adhuc jugulum petit, sitit sanguinem, & carnificinam per summum ludibrium meditatur. Vt mittam reliqua, quibus Calumniator iste insanit, hæc vel recitasse, refutasse fuerit. Verbo ipse dicit; verbo ipsi negamus. Et, dum ex cerebro malè sano loquitur, non est, quod nos tempus teramus in eo refellendo. Vsus & Experientia ipsa, ad quæ provoco, contrarium docent. Et, aliàs sæpius prolocutus mendacium, id lucratus est, ut etiam cum vera loquitur, fidem non promereatur. Tantum abest, cùm continuat.* Hîc sibi ipse caveat Allatius! Videat ipse, ne Caucus tela contra mendaciloquium emissa, in adversarium suum retorqueat! Miseret me Cauci, Goaris & Arcudii, qui cum Cauco loquuntur. Ne verò sine ratione Caucus vapulet, obvertit Allatius: *Sibi non de Corcyrensibus, sed de Græcis, qua late per orbem patent, sermonem esse; extare in Bibliothecis Canonaria, in quibus quid Confessori, quid Pœnitenti conveniat, præscribatur; annoq; 1572. Man. Malaxum maximè accuratum Canonarium concinnasse; verisimile autem non esse, tantum ejusmodi hominem sumsisse laborem, rogante etiam Metrop. Thebarum, pro sola confessione, si, ut scribit Caucus, tantùm apud Græcos ea viluisset.* Validè! Cauco de suis Corcyrensibus sermo fuit, quod ipsius sufficiebat instituto. Goar & Arcudius de reliquis, qua latè patet Orbis, idem referunt. Ante Lutherum in Bibliothecis extabant codices Biblici in L. Vernacula, & nihilominus lectio Bibliorum viluerat in Papatu. Malaxus propterea novum Canonarium concinnavit, ut ritum obsoletum postliminio restitutum iret. Hinc etiam longè ante Malaxum Canones in Actis Synodalibus Germani Amathuntos Episcopi renovatos fuisse, memoravit Jac. Goar.

Sic ob idipsum, quia doctrina de Pœnitentia, & digna ad percipiendam Eucharistiam præparatione, in regno Papistico eviluit, Ant. Arnaldus, Doctor Sorbonicus, auctoritate & approbatione Episcoporum Gallicanorum armatus, contra Jesuitas commemorabile Opus edidit de frequenti Comunione, & in eo concinnando firmandoque, haud levem sumsit laborem. Iisdem rationibus motus Mich. de Marolles, Abbas Gallicanus, quod videret lectionem Bibliorum, in lingua Materna magis magisque vilescere, non veritus est Novum Test. in Gallicam Linguam transfundere, qui & in Præfatione sua Romanorum Pontificum Interdictum saluti valde pernicioſum, de inhibenda translatione & lectione Bibliorum in Vernacula, masculè & doctè refutavit. Barbarie proximè antegressis seculis regnante, quibus studia bonarum artium putidissimè viluerant, repertus tamen fuit unus & alter, qui in legendis & emaculandis bonis scriptoribus aliquod tempus poneret. Multi Auctores Græci hactenus oblivione sepulti, & inhonorati jacuerunt, quos nunc Allatius pristino restituere nitori non parùm laborat: & utinam liberatiori manu eos nobiscum etiam in Germania comunicaret. Synodus Cypria, Jo. Nesteuta, Damascenus Thessalonicensis, Christ. Angelus, Cauco, oppositi de debito, & de more alicubi adhuc usitato loquuntur, unde verò non licet colligere, nullibi hæc in desuetudinem abiisse. Plura addere possem, sed homini sano hæc sufficiunt, ut intelligat, infirmissimam esse responsionem illam, nemo magnum sibi sumit laborem, multumq; desudat in revocando aliquo dogmate vel ritu, vel re alia quacunq;, quæ hominum temporumve socordia eviluit.

Artic. VI.

De Extrema Unctione.

Synopsis.

Suppositiis Scriptis nititur Allatius, sed & ab iis frustratur. Dissidium utriusq; Ecclesiæ in hoc Sacramento. Goaris officiæ.

§. 1. Mirum est, Allatium, Virum doctissimum, hæc tria loca ex Augustino afferre, cum tamen neutiquam ipsum præterire possit, istos libros

libros, ex quibus loca desumta sunt, partim pro suppositiis, partim pro dubiis & suspectis haberi, ab Erasmo, Bellarmino, Maldonato, Martino, Lipsio, Parisiensibus & Lovanienſibus Editoribus. apage igitur sis istiusmodi fraudes. Maldonatus tuus vehementissimè negat in Com. ad Marc. VI. 12. 13. Sacramentum Confirmationis sedem suam in loco Jacobi habere. Cum isto, & aliis tuæ professionis hominibus transige. Si vero docilis es, adi nostros, qui te tum de genuino sensu hujus loci, tum de sententiis Veterum rectissimè informare poterunt. Ex hisce tamen scriptis nothis ego Veritatem contra te exprimam. De Infirmitate corporali accipiunt hunc locum Chrysostomus, Cyrillus, Victor, Augustinus, ipsamq; Unctionem Jacobæam ad curationem corporis referunt, quam Vos ad animum pertinere dicitis. Nosti fortassis ipsemet melius vehementer tuos socios dissentire in definiendo fine hujus Unctionis, in eo tamen omnes consentire, quod negant, eam ob sanitatem restituendam primario vel præcipuè usurpari. Imò Maldonatus planè negat, Unctionem illam Apostolicam propter curationem corporis adhibitam fuisse. Reliqui licet concedant, sanitatem corporis esse finem Unctionis, inficiantur tamen, esse finem per se & propriè, absolutè, primario, & necessariò, verùm per accidens & conditionaliter, si animæ ægroti expediat, quod c. 8. l. 1. de Extr. Unct. jam monuerat Dallæus. Quid verò tuus Augustinus? primam mentionem facit de sanitate corporis. Quam bellas igitur probationes affers ex Patribus. Quid si enim infirmus corpus & sanguinem Christi accipiat? quid si sanitatem recipiat? quid si indulgentiam peccatorum obtineat? quid si preces de se & pro se fieri roget? quid si olei sacrati delibutio significet Spiritus Sancti, in Baptismo opulenter in nos effusi, Unctionem? quid si illa delibutio sit ipsa typicalis Unctio? quid si ægroti non debeant præcantatores quærere? quid si non debeant exerceri per fontes, arbores, phylacteria? quid si in sola DEI misericordia confidere jubeantur? quid si non sanitatem solùm corporis, quæ per Unctionem illam primò intenditur, sed animæ etiam, per misericordiam DEI, per Eucharistiam cum fide & devotione acceptam, per orationem fidelem, accipiat? & quid tandem inde? probatore Allatio evidentissimè hæc in dias luminis auras emergit definitio: Extrema Unctio est Sacramen-

mentum necessarium, â Presbytero collatum, Christiano graviter infirmo, adulto, non excommunicato, in septem corporis partibus, nimirum oculis, auribus, naribus, ore & manibus, propter quinque sensus; deinde renibus, ubi est sedes concupiscentiæ, & tandem pedibus ob vim progressivam & executionem, per oleum ab Episcopo consecratum, quod est ex oliva, cum certis verbis, per istam sanctam Unctionem, & suam justissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per visum &c. institutum ad abstergendas peccatorum reliquias, & ad corporis interdum sanitatem reparandam, si ita expediat animæ.

§. 2. Hæc omnia, ut audivimus, cùm ex Augustino, sive vero sive personato, parum interest, tam clare & exacte probet Allatius, nemo mirari debet, non defuisse laudatores Allatii, tam strenuè & fortiter contra hæreticos militantis, & concordiam utriusq; Eccl. tam firmiter demonstrantis: cujus demonstrationis novum capiemus Exemplum. Latini severè interdicunt, ne extrema Unctione sani & bene valentes delibuti reddantur; quod Latini strenuè prohibent, id Græci strenuè factitant. Simeon Thessal. Job Monachus, Jerem. Patriarcha, Philadelph. istud defendunt ab Arcud. 5, 4. qui addit: *Favet multùm nominatis Auctoribus auctoritas Euchologii, in quo non tantùm ægrotus, sed etiam sanus, qui sit ungendus, introducitur. Favet etiam præsens Græcorum consuetudo, quæ quidem viget non in aliquo angulo Græciæ, sed ubiq; passim, quam eandem retinet hac nostra ætate tota Russia, universaq; Moschovia.* Censuram adjicit: *Ego præsentem morem Græcorum nulla ratione probare possum. Cum enim Subjectum non sit aptum ad recipiendum Sacramentum, frustra, temereq; ac non sine sacrilegio illud Græci administrant. Est itaq; merus abusus omninò reprobandus, & abrogandus.* Qua verò ratione huic malo occurri posse existimat? *nonnulla omittenda, nonnulla verba ex rubricis Euchologii omninò esse expungenda* dicit p. 391. a. Lib. dict. c. 6. varia tentat, quibus excuset *iterationem formæ ac materiæ in hoc sacramento Græcis consuetam*, postremò tamen *ipsi fit verisimile, præsentem consuetudinem esse abusum, ab iis introductum, qui alios non dissimiles abusus introduxerint.* De Partibus in corpore inungendis c. 7. aliqua etiam reperitur differentia.

§. 3.

§. 3. Quæcunque hîc habet Arcudius, veriſſima ſunt omnia, & Euchologio Goarino, Praxíque Græcorum conformia, Goari tamen, numerum Septenarium Sacramentorum curæ habenti cordiq; minimè arrident, cum verò ſuo ipſius Euchologio & Praxi reclamare non poſſit, fingit, *deeſſe Miniſtris Sacramentum pro recuperanda ſanitate conferendi animum:* verùm hoc non tantummodo ſine teſte præfidenter aſſeritur, ſed etiam totum S. Olei officium, & integræ precationum plurimarum ſtrues faciunt, ut hîc haud immeritò candorem in Viro docto deſideremus. Sicut & in illo altero, quandò ait: *Plures autem difficultatum ſpinas ingerit, difficilius à reprehenſione vindicatur ille ritus, quo gravioribus ſubditi peccatis, licet ſint ex omni parte ſani, quia tamen ægrotorum delicta ſanctam Unctionem curare noverunt, illam deinceps pro Canone, i. e. Pœnitentia acceptam, & à Sacerdotibus impoſitam, in delictorum ſatisfactionem ſubeunt; & exinde Sacerdotibus tota precum harum ſerie ſe expiandos, & Infirmorum Unctione velut adverſa animæ valetudine affectos, & medendos offerunt. Reſpuit idcircò ritum iſtum, & omni animi contentione deteſtatur Arcudius.* Ad hoc frivolè iterum reſpondet: ⌣*Arcudium non poſſe demonſtrare, Græcos conferendi Sacramenti propoſitum habere*⌣. An igitur Goar poteſt demonſtrare, Græcos hoc propoſitum non habere? Conſideratius itaque ſubjungit: *Quanquam Sanct. Roman. Eccleſiæ, quorumcunque fidelium Matri & Magiſtræ, mori gerendo, ſint potius Græci ab hac conſuetudine deterrendi, ne aut imprudenter Sacramenti conferendi animum aſſumant, aut erronee (quosdam enim ita ſenſiſſe non diffiteor) anticipata gravis morbi occaſione, à recta valetudine utentibus ſacramentum illud præveniri poſſe arbitrentur; vel tandem leviſſimo morbo curando adeò pretioſum hujus Sacramenti remedium impendant, & Pœnitentiæ uſum in Extremæ Unctionis ſusceptionem illegitimè convertant: atque ita ex indiſcreta & promiſcua ſacramentorum, & Sacramentalium ſuſceptione, Sacramenta violent, & ſuperfluo nefandoque cultu Sacramentalia quæque proſequantur*, pag. 432. ſequent. ubi in fine judicat: *Græcorum præcipitatam nimis ac inutilem quandoque Unctionis hujus ſuſcipiendæ aviditatem cohibendam vel penitus deponendam eſſe, ſeque Græcis caſtigatione dignis nimis faviſſe agnoſcit.* Sed & hæc cumprimis notatu digna ſunt Goaris pag. 428. verba:

pluribus diligenter & curiosè evolutis MS. Romanis Codicibus vix unum reperire potui, in quo Unctionis Extremæ Scriptum manifestè reperirem officium: Unde & in doctissimi Allatii paratus ire sententiam, qua censet Orientalem Ecclesiam hoc ultimo Sacramento destitutam, (ubi igitur Septenarius alibi ab Allatio Græcis adscriptus Sacramentorum numerus) *cùm plures passim in illis preces pro ægrotis adhibita Olei unctione legerem, indubitanter decrevi,* (*ne dignissimam Ecclesiæ portionem uno vel Sacramento, cum aliis ita pro libito sentientibus, privarem*) *preces illas olim Sacramento de quo loquuntur administrando fuisse accommodas vel proprias, quæ quia à Christo Domino, vel ejus Apostolo Jacobo non fuerunt speciatim determinatæ, potuerunt pro Ecclesiæ jure in alias mutari, atq; ita à posteris recentior & verbis diversus hujus Sacramenti conferendi ritus, in lucem edi potuit.* Egregia sanè certitudo, & pulchra Allatii, Goaris & Arcudii conspiratio. Metrophan. Critop. hîc iterum juxta mentem & Praxin Ecclesiæ Græcæ Pontificiis adversatur: Καλεῖται ὃ ἅγιον εὐχέλαιον οὐκ ἐσχάτη χρίσις, *Cæterum hoc Euchelæum non vocatur Extrema Unctio; neque enim extrema ægroti expectamus, & tunc ad hanc accedimus: verùm benè adhuc de valetudine ipsius sperantes, utimur isto mysterio, sive mystica cerimonia, precantes Deum, ut sanare eum velit, atq; à morbo quàm citissimè liberare,* c. 13. f. Multiplicem aliâs & pænè immanem Græcanicæ Unctionis à Latina diversitatem explicat Eruditissimus Dallæus, ubi & fidem in Editore Euchologii nostri, officium Extremæ Unctionis, cujus Græci defunctis etiam copiam faciunt, prætermittente, sollicitare videtur, lib. 2. de Extr. Unct. c. 21.

Artic. VII.

De Ordine.

Synopsis.

Loca PP. impertinenter adducta. Magna difficultas & disconvenientia de Materia Ordinis ex Fagnano. Numerum septem Ordinum non observant Græci ex Goare & Arcudio.

§. 1. Cui bono, quove judicio hæc recitentur, iterum non video: sume enim Verba Originis, Cõcilii Ancyrani, Nysseni Gregorii, Chrysostomi,

soſtomi, & conclude, E. Ordo eſt Sacramentum propriè ſic dictum. Tr. ctatus de Cardinalibus Chriſti operibus non eſt Cypriani, ita cenſentibus Pontificiis, Bellarmino, Joh. Heſſels, Rigaltio. De Auguſtino mox videbimus.

§. 2. Sed in hoc quoq; Sacramento multùm diſſident Græci â Latinis, ratione materiæ hujus Sacramenti. Proſper Fagnanus in 2. Part. primi decretal. de ſacra Unctione cap. cum veniſſent, prolixè diſputat, an Calicis & Patenæ traditio ſit de eſſentia Ordinis Sacerdotalis, & in eam, multis munitus argumentis, abit ſententiam, *materiam Presbyteratus eſſe calicem, & patenæ cum hoſtia, hocque non tantum ex determinatione Concilii Tridentini, ſed ex ipſa etiam inſtitutione Chriſti, neque enim admittendum eſſe, quod dicunt Henriquez & Bellarminus, materias Ordinum fuiſſe inſtitutas â Chriſto generatim, & indeterminate. Cæterum conſultius videtur*, inquit Fagnanus, *ut in præſentia ſedes Apoſtolica neutram ex his opinionibus approbet, aut reprobet, ſed tantummodò jubeat ſic Ordinatos iterum ordinari ſub conditione, &c. Hoc enim modo evitabitur difficultas Eccleſiæ Orientalis, quæ ſanè graviſſima eſt: nam ex Euchologio, ſeu Rituali, quo Græci utuntur, apparet, eos non uti porrectione Calicis & patenæ, ſed ſola manus impoſitione, non tantum in Ordinatione Presbyteri, ſed etiam ſubdiaconi, qui in Eccleſia Latina & Africana, manus impoſitionem non recipit, juxta Pontificale Romanum, & Concilium Carthaginenſe c. 5. Etenim in prædicto Euchologio â Græco Idiomate in Latinum translato â P. Arcudio Corcyræo in tract. de Concord. Eccl. Or. & Occid. in ſeptem Sacramentorum adminiſtratione, l. b. de ſacr. ord. cap. 2. non ſit ulla mentio traditionis libri Evangeliorum, de porrectione autem calicis cum vino, & patenæ cum hoſtia, ne verbum quidem ſc. habetur. In ſola Epiſcopi conſecratione Græci præter manus impoſitionem utuntur impoſitione libri Evangeliorum, ad inſtar Eccleſiæ Latinæ & Africanæ. Ex his apparet, in Eccleſia Orientali ordines conferri per ſolam manus impoſitionem abſque ulla Inſtrumentorum traditione. Unde Pet. Arcudius d. l. 6. de Sacram. Ord. c. 5. concludit, apud Græcos præter manus impoſitionem nullam aliam reperiri materiam, & ſupra in cap. 3. reprehendit Philadelphienſem, qui dixit, materiam apud Græcos eſſe ſacrum panem, & certum inſtrumentorum numerum. Et quamvis etiam apud Græcos in Ordinatione*

sit usus nonnullorum instrumentorum, tamen hæc non adhibentur, nisi post absolutam Ordinationem: ideoq; non possunt esse materia hujus Sacramenti. Et dum celebrat Episcopus, præbet presbytero particulam abscissam ex majori particula, quæ est in patena super altari. Et propterea idem Arcud. eod. l. 6. c. 3. [Instrumenta, inquit, apud Græcos exhibentur quidem, quia tamen exhibentur sine ullis verbis, peractis jam sacris Ordinibus, & nulla fit eorum mentio in orationibus consecratoriis, non videntur de facto, & ut nunc se res habet, esse materia, quamvis possent esse, ut sunt apud Latinos si aliter & unà cum forma exhiberentur] Hæc ille. Nec refert, quod in traditione Panis consecrati proferantur illa verba, quæ habentur in Euchologio; [accipe depositum hoc, & serva illud usq; ad adventum Domini nostri Jesu Christi, quandò debet abs te illud repetere.] Etenim non propria illa sunt forma, neque panis consecratus est materia, quod probatur evidentissima ratione: nam antequam Pontifices eum porrigant, ipsemet Presbyter tanquam perfectè ordinatus unà cum Episcopo eum consecrat, ut in Euchol. At consecrare non posset, nisi jam recepisset characterem sacerdotalem. Vnde in eodem Euchol. qui accedit ad accipiendum panem, appellatur Ordinatus jam; & consecratus per manus impositionem, ut in Rubr. ordo qui observari solet in Ordin. Presbyteri. Porrò in antiquo Patriarchali Euchol. ut ipse Arcud. testatur c. 2. sic habetur: Archiepisc. porrigit ordinato unum panem. Et secundum eum (Arcud. lc.) differentia inter Euchologia MSS. & typis excusa, hæc est; quod in Manuscriptis panis datur Presbytero ordinato non consecratus, & putat ipse corrigendum esse Euchol. impressum ab Euchologio antiquo Manuscripto, & dandam esse particulam panis, quam ipse nuper ordinatus consecrare debeat, sicuti observant Rutheni. Sed nihilominus etiam inspecto hoc ritu Euchol. Manuscripti, panis non consecratus non potest esse materia Ord. Sacerdotalis, quia datur Presbytero jam ordinato, ut habent verba Euchologii, nec in traditione hujus panis profertur Forma. Forma autem in Sacramentis non potest præcedere materiam. Præterea quicquid sit de his, illud certissimũ est, plerosq; ex Græcis juxta Euchol. sive MSS. sive impressa, in Ordin. Presbyteri non porrigere calicem cum vino, atque ita non adhibere materiam integram à Conc. Flor. diffinitam in traditione Presbyteratus. Porrò, an hic mos ordinandi per solam manus impositionem servaretur in Eccl. Or. planè non constat. Nam etsi in Conc. Flor. Georg. Vari Cretensis Presbyter Græcus exhibuerit

buerit Juliano Presbyt. Card. S. Sabinæ, Euchol. Patriarchali manuscriptum, quod eundem prorsus modum præscribit ordinandis, quem hodiè ad unguem servat Græcor. Eccl.; quod quidem Patriarchale dicitur asservari in Monasterio Cryptæ Ferratæ, manu ejusdem Cardin. subscriptum, ut refert Arcud. in eod. tract. l. 6. c. 5. Ignoratur tamen, quanta fides ejusmodi Euchol. (arrige aures Allati) sit adhibenda, nec ullam illius rationem habuit Conc. Florentinum, cum diffinierit, Materiam ord. Presbyteratus esse porrectionem calicis cum vino, & patinæ cum pane. Et quamvis hæc doctrina in specie tradita fuerit Armenis, tamen decretum illud continet fidem orthodoxam, ut patet ex principio decreti ibi: unde fit, ut adstringat etiam Græcos, neq; enim alia fides esse potest apud Græcos, alia apud Armenos, alia apud Latinos. Cap. loquitur dominus, c. 24. q. 1. Extravag. Vnam, Sanctam, de major. & obed. cum concord. Neq; obstat, quod in eo decreto fuerit traditum Armenis symb. cum illa additione, Filioq; hoc autem præceptum Græcos non arctet. Id inquam non obstat: nam quod Symb. PP. decantetur in Ecclesia, cum illa additione, Filioq;, non est de jure divino, sed ex constitutione Eccles. ut scripsi in cap. 1. n. 32. supra de summa Trin. & fide Cath. Vnde à præcepto illo juris positivi Græci justè eximi potuerunt ab Eccl. Romana, sicut fuerunt exempti. At verò in his, quæ ad fidem pertinent, & sunt de jure divino, sicut sunt materia & forma Sacramentorum, ut patet ex dictis n. 59. & 80. Illud certum est, etsi Græci, qui Venetiis degunt, adhærentes Philadelph. calicem, & patenam ordinandis tangenda porrigant; tamen in Or. Eccl. innumeros ferè Sacerdotes fuisse initiatos per solam manus impositionem, quorum ordinationes irritas nunc decernere non videtur expedire. Christiana charitas suadet, ut ordinatio saltim conditionaliter repetatur ob periculum animarum, præsertim in Sacram. Pœnitentiæ, quod non proderit attritis, si absolvantur ab eo, qui non habet characterem ordinis sacerdotalis, ut patet ex decreto Concil. Trid. c. 4. de contrit. vers. & quamvis sine sacramento, sess. 54. de sanctiss. pœnit. & Extr. Vnct. juncto cap. 7. ejusd. sess. Hæc ex Fagnani Com. p. 299. §. 80. 89. seqq. quoniam admodum commemorabilia, & paucis visa sunt, excerpere, & lectoris judicio, utrum hæc consensum Allatianum arguant, relinquere volui.

§. 3. Haud minorem diversitatem conspicias in numeratione Ordinum; Tridentini namq; Septenarium numerum sub denunciatione Anathematis fixerunt: Quid verò Græci? Jacob. Goar in notis in

Ord. lect. & Cant. p. 237. *Lectoris hic solitariè lecta promotio, quam videlicet Ostiarii vel Exorcistæ non præcedit, aut Acolyti non sequitur inauguratio, animam confestim mentem reddit, utrum ad memoratos Ordines, Ecclesia Græca sibi subjectos quondam admiserit, & quid causæ fuerit, ut deinceps illos conferre omiserit?* Nomina tamen & officia horum apud Antiquos reperiri, demonstrare conatur, hac adjecta epicrisi: *Quamvis Ostiarios, Exorcistas, & Acolytos, inter Ecclesiæ ministros à Græcis quondam fuisse recensitos, nullus sanæ mentis inficias ierit: vera tamen vel Sacramenti, vel ordinis à Christo instituti, dignitate seu nomine, ab eis fuisse propterea affectos, vix, ut quidem reor, quisquam tueri poterit. Ut itaque, quæ in hac re mea sit sententia, proferam, indubiè dicendum arbitror, Ostiarios, Exorcistas, & Acolytas, licet hoc nomine non insignitos, etiam Orientalem Ecclesiam primis maximè temporibus penes se habuisse, sed eorum munera minori forsan quàm par erat attentione circumspecta, inter officia tantùm Ecclesiæ, qualia sunt Fossariorum, Primicerii, Sacellarii, &c. recensuisse; vel ex eo, quod eorum exercitia, officiorum vel ordinum aliorum provinciis adjunxerint; eos deinceps quasi minus necessarios Ordines censuisse, vel ex negligentia nullatenus sub ordinis ratione respexisse. Quod cum S. Rom. Ecclesia alibi quàm in Cypro non reprehenderit, nullo penitus pacto defectuosæ ordinum administrationis Græci videntur incusandi, etiamsi tribus prædicti gradibus hucusque caruisse dicantur.* Sed profectò nimis peccaret aliquis in leges Arithmeticas, qui numero septenario ternarium adimens, nullum tamen in septenario defectum esse, hominibus persuadere vellet. Hujusmodi mira latibula quærere coguntur viri aliâs acuti & eruditi, si quando præconceptis opinionibus ubique velificari allaborant. Arcudius lib. 6. c. 9. plurimas sibi difficultates & tricas objiciens, sed easdem extricare non valens, pag. 471. tandem horsum devenit, ut dicat: *Et certè nihil esset tutius, immò & optabilius, quàm si Græci mandatum Pontificis exequerentur; ea tamen res non est ejusmodi, ut si in aliis rebus, & dogmatibus fidei, Græci cum Rom. Ecclesia convenirent, hac in re tolerari non possint. Illud:* si exequerentur; si convenirent; optabilius esset; argumento est, nec exequi Græcos, nec convenire cum Latinis.

ART.

Articulus VIII.

De Matrimonio.

Synopsis.

Matrimonium quomodo vocetur Sacramentum. Numerus Septenarius quandò cœperit. De Synodo Cypria. De libris ineditis, mutuis Romanensium altercationibus, & Dallæo.

§. 1. Incassum hîc quoq; laboravit noster Senex. Omninò Sacramentum, vel ut in textu Græco legitur, mysterium est grande, quod Christus cum Ecclesia matrimonium spirituale contraxerit. Inq; hunc sensum, minimè Papisticum, Ecclesiæ suæ sententiam exponit Metrophan. Critop. c. 12. *Vocatur (conjugium) etiam mysterium apud Apostolum: non quod vitæ æternæ, sicut cætera duo mysteria conducat; sed quod Christo atque Ecclesiæ assimiletur.* Quantum hæc distant à Canone Tridentino? *Si quis dixerit, Matrimonium non esse verè & propriè unum ex septem Legis Evangelicæ Sacramentis, à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesiam invectum, neque Gratiam conferre, anathema sit.* Gratiam autem hoc Sacramentum juxta Costerum confert *1. Justificantem sicut cætera Sacramenta, 2. auxiliarem ad ferenda matrimonii onera.* Enchir. p. 139. Rectè contra omnes hæreticos dignitas & honestas matrimonii asseritur, cui Christus ipsemet benedixit, inter illos autem vos meritò referimini, qui Matrimonium statum vocatis carnalem, in quo qui vivant, DEO placere non possint; statum impurum, qui cum puritate muneris sacerdotalis consistere nequeat. Præcipis, ut videam Methodium à te editum, vellem illum ipsa lubentiâ lubentius videre, sicut & alia omnia tua scripta, & Congregationis vestræ opera, si modo voti compos fieri possem per vestram vel invidiam, vel diffidentiam; Insolentissimæ autem insaniæ esse judico, ex nuda rei alicujus nominatione naturam Sacramenti propriè dicti tam præfractè extorquere velle: talis vestra est disputatio: Mentio fit Ordinis, Matrimonii, Pœnitentiæ, apud Patres, Ergo sunt Sacramenta? at verò nominantur Sacramenta. Quid inde? alia quoq; mysticum quid significantia

cantia & adumbrantia dicuntur Sacramenta, Ergone propriè sic dicta, uti sunt Baptismus & Cœna dominica? Augustinus pœnam uxori Lothi inflictam vocat Sacramentum, de Civ. DEI lib. 10. c. 8. item arcam fœderis, c. 17. Virginitatem Mariæ. c. 32. oleum regale l. 17, c. 6. Salviano pag. 73. & Cypriano passim, varia fidei Christianæ capita dicuntur Sacramenta. Is ipse Cyprianus p. 77. edit. Rigalt. *Crucem* vocat *Sacramentum salutis nostræ*, ferè sicut eandem Hieronym. T. 2. p. m. 326. eandem nominat sacramentum patibuli. Innumera ejuscemodi loca ab aliis dudum sunt annotata.

§. 2. Quod verò Allatius ait, nullum in antiquitate vestigium apparere, quo tempore unum ex his Sacramentis de novo in Ecclesiam introductum, & institutum fuerit, ideoque eorum originem ad prima tempora Christi & Apostolorum referendam. Ad id variè responderi potest. Primò: nullum omninò in antiquitate vera & primitiva appareret vestigium, introductum fuisse aliquod Sacramentum Pontificium: neq; etiam Ecclesia antiqua de novo voluit Sacramenta propriè sic dicta introducere; introductio igitur illa nititur auctoritate saltem proximorum, sub barbarie jacentium sæculorum, in quibus Pontificibus haud difficilè fuit, de novo multa invehere in Ecclesiam, de quibus dixeris: Olim non erat sic. Qua ratione verò sensim & paulatim, cum dogmatibus Papalibus aliis, antiquitati incognitis, numerus Septenarius irrepserit, docebit te, & vestigia monstrabit Chemnitius. Per verò est ridiculum statuere, id, cujus vestigium non apparet, quo tempore in Ecclesiam sit introductum, statim ad Christum & ad Apostolos esse referendum: si enim hoc intelligas de tempore determinato, certo temporis momento & articulo, seminatio Zizaniorum quoq; ad Christum & Apostolos referenda erit, hora enim & punctum seminationis Zizaniorum definitè non designatur: sin intelligas de tempore indefinito, dicitur, id nocte contigisse, dormientibus & non advertentibus operariis, sicuti etiam servi Zizania non prius conspexerunt, quàm cum jam adoleviſſent. Fateris, numerum septenarium apud Antiquiores expresè nusquam legi, sed respondes, non propositum fuisse illis numerum Sacramentorum recolligere, cum in dubium non vocarentur, ideoq; eos modo plura, modo pauciora recensuisse Sacramenta, suo instituto inservi-

servientia. At verò, si quis diro anathemati subjacere debet, si vel pauciora Sacramenta credat contra traditiones Patrum, debuissent sanè Patres hunc numerum recolligere, aliâs malè vos ad Patres provocaretis, quasi ex dictamine eorum, pharetra anathematum quoad hoc caput ferè esset exarmanda. Arcudius tuus, quo cum idem dicis, ait, *Sacramentorum numerum propterea non esse apud Patres definitum, quia tum nulli fuerint Sacramentarii.* Concord. p. 5. Verum quidem est, malitiam hæreticorum ex accidenti occasionem persæpè dedisse, accuratius de variis articulis loquendi, scribendi, definiendi: plurima tamen absque interventu hæreticorum in Ecclesia extiterunt expressè definita. Et quid nî expressè in Ecclesia constitissent, duo tantùm esse Sacramenta propriè sic dicta. Lege Apolog. 2. S. Justini Martyris, in qua capita fidei Christianæ, ritus item & cerimonias diligenter exponit, & deprehendes, duorum tantùm sanctissimum Virum facere mentionem: neq; id propterea, quasi instituto reliqua non inservirent, sed quia plura tùm quidem temporis seculo nimirum secundo, non reputab. ntur esse propriè sic dicta sacramenta: cùm enim sibi proposuerit, integram fidem Christianorum apud populum Romanum explicare, cumq; Baptismi & S. Cœnæ expressè meminerit, quæ erit ratio, ex qua reliquorum non pariter injicere debuisset mentionem? Augustinus, qui nomen Sacramenti ad res plurimas extendit, pro Sacramentis tamen propriè sic dictis, Eucharistiam tantum & Baptismum habet, eaq; primo & præcipuo loco ponit. Lib. 3. de Doctr. Christ. c. 9. scribit: *Pauca pro multis eaq; factu facillima, & intellectu augustissima, & observatione castissima, ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina: sicuti est Baptismi Sacramentum, & celebratio Corporis & Sanguinis Domini.* De matrimonio, pœnitentia, ordine, innumera mota fuerunt dubia, nihil tamen invenias de formali ratione Sacramenti, cùm occasio non defuisset. Modo plura, modo pauciora recensuerunt Patres quam Septem, concedo; si autem plura etiam quàm septem numerarunt, tùm obtinui istud, quod Patres interdum generalius vocem istam usurparint. Idq; eo magis ipsis licuit facere, quod vox Sacramenti est ἄγιον ἀγαθόν, cui quidem respondet vocula mysterii, quam Paulus tamen etiam de resurrectione mortuorum usurpat, 1. Cor. 15. 51. in ipsa autem versione La-

tina vocabulum Sacramenti variis rebus attribuitur, e. g. Incarnationem vocat Vulgatus Interpres magnum pietatis Sacramentum. 1. Tim. 3. 16. Nuda igitur appellatio Sacramenti, nec in editione vulgata, nec vox mysterii in Græco textu, nec utraque vocula apud Scriptores Ecclesiasticos indidem recurrens, constituet tibi Sacramentum propriè sic dictum, multò minus numerum definitè septenarium. Quæ verò definitionem Sacramenti alicujus propriè sic dicti investigandi sit ratio, id pete ex aliis. Concludimus ergo, cùm nullus Patrum, nulla Syn. ante Florentinam, ante duo sæcula habitam, numerum definierit Sacramentorum, qua quæso audacia Sess. VII. Conc. Trident. pronunciat, se consensui Conciliorum & Patrum adhærendo, decernere & sancire omnes eos anathemati esse devotos, qui pauciora esse dicant Sacramenta quàm Septem?

§ 3. Nondum satis objectionum Allatianarum. Examinabimus igitur etiam reliquas. Citaveram verba Doctissimi Dallæi, asserentis, hoc dogma esse Græcorum recentiorum, Jo. Damasceno nondum cognitum, unde nec Goar Simeone Thessalonic. & Matthæo Blastari vetustiorem testem edere potuerit. Respondet Allatius: *Quicquid alii dixerint. Sit novum Græcorum dogma, nulla apud Græcos septenarii ante millesimum mentio habeatur. Concludo secundùm Dallæum, ab anno millesimo ad hæc tempora in hoc numero Sacramentorum, inter Græcos & Latinos consensionem fuisse.* Concludit Allatius, ab anno millesimo consensionem fuisse inter Græcos & Latinos? quid inde? Egregia consensio in novo dogmate, per decem priora sæcula incognito. Habet tamen consensum? habeat, non invidemus in re, quæ post discessionem à germana antiquitate, noviter demum invecta fuit, quamvis etiam hoc in capite dissensum liquidò comprobaverim. Chemnitium, quem Arcudius forsitan non legit, sed ex Bell. T. 3. l. 2. de effic. Sacram. c. 25. tantùm reprehensionem istam rusticanam mutuatus est, satis explicavi & vindicavi, nihilque ab Allatio est repositum. Synodum Cypriam, sub Germano summi Græcorum in Cypro Antistitis diu ante Concilium Florentinum habitam, producit Allatius: Synodum sanè perobscuram, probatis auctoribus innominatam; cujus etiam verba ab Allatio non citantur: Synodum à Græco homine habitam, sed homine,

qui

qui in Latinorum verba jurare jam fuerat coactus. Ne autem aliquis putet, me hariolari duntaxat, & hoc comminiſci, age dum, hiſtorias illius temporis replicemus. Nihil de hoc concilio habet Carranza, nihil Spondænus, nihil Bzovius, nihil Petrus Crabbe, nihil Laur. Surius, nihil Sev. Binius, nihil Regia editio Concil. Pariſ. excuſa, nihil Labbeus in hiſtorica Synopſi omnium Conciliorum, eorundem proximæ editioni præmiſſa, nihil Simon Starovolſcius, *in epitome Conciliorum, tam generalium, quam provincialium in Græca & Latina Eccleſia celebratorum*, Romæ An. 1653. edita. Cum igitur nec Eccleſiaſticarum rerum Scriptores, nec Conciliorum editores diligentiſſimi, omnes Pontificii, quicquam ſciant de hoc conciliabulo, cur quæſo Allatius nominatione ejuſdem tantoperè ſibi placet? cur decretum ſynodicum non communicavit? latet anguis in herba, ſi Canones illius Concilii in Bibliotheca Vaticana tantùm latent. Cum itaque iſta ab Allatio laudata Synodus magnis auctoribus ſit incognita, accedam ad Odoricum Raynaldum, qui ad A. C. 1260. n. 36. ſeqq. nonulla de contentionibus Græcorum, & nominatim hujus Germani recenſet in hunc modum: *Exarſerat gravis controverſia inter Germanum Græcum, & Nicoſienſem Latinum, in Cypro Archiepiſcopos, de auctoritate in Cyprios Græcos, cùm Germanus ſe legibus creatum à Græcis Epiſcopus Innocentii Pontificis edicto contenderet, ſeque adeptæ dignitati aſſerere niteretur; negaret Nicoſienſis Archiepiſcopus, unamq; tantùm eſſe metropolim, à Cœleſtino inſtitutam, à qua tum Latini, tum Græci jura peterent, objiceret: atque vi Germanum, ut vitio creatum, archiepiſcopali gradu deturbaret. Pluribus itaque injuriis affectus Germanus, ad ſedem Apoſtolicam provocavit.* Rationes Germani ibidem producuntur, quod nimirum *auctoritate Pontificia per Legatum Apoſtolicum, Epiſcopum Albanenſem, hanc dignitatem fuerit adeptus, & potitus poſſeſſione pacifica, injuria vexaretur à Nicoſienſi.* Exceptiones Nicoſienſis contra Germanum ibidem leguntur, inter quas eminet illa: *cùm auctoritate felicis recordationis Cœleſtini Papæ, prædeceſſoris noſtri, qui Inſulâ Cypri propter inobedientiam, & perfidiam Græcorum expoſuit Latinis Catholicis occupandam, fuerint ibi ejecti: exinde Græcorum ſedibus, quatuor Pontificales*

Latinorum ſedes erectæ, quarum Pontifices in decimis, & aliis eccleſiaſticis juribus, quæ Græci Epiſcopi in eadem habuerant Inſula, ſucceſſerunt, & earum unam Nicoſienſem videlicet, idem Cæleſtinus cæteris prætulerit poteſtate, ut in tota eadem Inſula per dignitatem metropolitan. aliis Eccleſiis præmineret; ac poſtmodum dictus Albanenſis Epiſcopus ſuæ legationis auctoritate ſtatuerit, & ſtatutum ejus fuerit per Sedem Apoſtolicam confirmatum, ut in tota Inſula prædicta quatuor Epiſcopi Græci tantùm eſſent, & certa ſedium haberent loca intra diœceſes Latinorum, qui utique poſtea Nicoſienſi Archiepiſcopo tanquam metropolitano ſuo, & Epiſcopis Latinis, in quorum erant conſtituti diœceſibus, ſe obedientiæ vinculo adſtrinxerunt; evidenter apparet, quod Metropolitanus præter Nicoſienſem Archiepiſcop. in eadem Inſula, quæ una eſt Provincia, nec potuit nec debuit ordinari. Diſceptata & ventilata lite Germani injuria à Latino affecti, Pontifex Alexander IV. ſententiam tulit, *Græcorum ſedes debere eſſe ſub Nicoſienſi Latino Metropolitano; electionem quidem novi Præſulis Græci, in locum alterius ſurrogandi, concedendam Clero Græco, ſed Confirmationem pertinere ad Epiſcopum Latinum, qui à noviter ordinato Græcorum Epiſcopo, juratoriam obedientiæ profeſſionem in hanc recipere formam debeat: Ego . . . Epiſcopus de Solia Nicoſienſis diœceſis, ab hac hora, in antea fidelis ero, & obediens ſancto Petro, ſanctæq; Rom. Eccleſiæ, dominoq; meo N. Archiepiſcopo Nicoſienſi, ejusq; ſucceſſoribus canonicè intrantibus. Non ero in conſilio, nec in facto, ut vitam perdant, aut membrum, vel capiantur mala captione. Conſilium quod mihi aut per ſe, aut per nuntium, vel per literas manifeſtaverint, ad eorum damnum nulli pandam. Papatum Rom. Eccleſiæ, ac Pontificatum Nicoſienſis Eccleſiæ, & regulas Sanctorum Patrum adjutor ero ad defendendum, retinendum, ſalvo ordine meo, contra omnes homines. Legatum ſedis Apoſtolicæ, quem certum eſſe cognovero, in eundo & redeundo honorificè tractabo, & in ſuis neceſſitatibus adjuvabo. Sic Deus me adjuvet, & hæc ſancta DEI Evangelia.* Plura deinceps recenſentur capita, in quibus Græci Latinorum in ſe auctoritatem & poteſtatem recognoſcere debeant, inprimis mandatur ipſis, *ut obedienter accurrant à Latinis ad Synodum convocati.* Tandem, ne Germanus cauſa ſua juſtiſſima prorſus excideret, concluſum eſt, *ipſum à Nicoſienſis poteſtate debere eſſe exemtum quoad viveret, verùm, poſt obitum Germani, Archiepiſcopa-*

scopalem dignitatem à Græcis ad Latinos ita migraviſſe, ut Eccleſia Græcorum regni Cypri, nationis ſuæ Metropolitanum in poſterum non ſit habitura. Hæc ex Raynaldo, qui Concilii tamen à Germano celebrati non meminit. Sed celebraverit ſanè, quæ miſellis Græcis relicta fuerit poteſtas in Cypro, abunde ex hiſce conſtat.

§. 4. De Codice Euchologii, & aliis vetuſtis in Monaſteriis Monachorum latitantibus libris, nos parum ſumus ſolliciti, qui noſtram ſententiam firmamus ex Scriptoribus antiquiſſimis, probatiſſimis, & utrinq; minimum à vobis receptis, quorum ampliſſimæ auctoritati non præjudicare poſſent detriti quidam à neſcio quibus obſcuris hominibus ſive ſuppoſiti, ſive ad genium monachalem conſcripti codices. Non enim, quod ſecreto unusquisque inconſideratè coquit, hic auctoritatem obtinere poteſt, ſed quod ex genuina, à ſapientioribus & pluribus eruitur Antiquitate. Altercationes Pontificiorum, in quæſtionibus de Sacramentis mutuò ſeſe exagitantium, ad laudem referri, nunc primùm audio: quod ſi hoc Apoſtolus Paulus ſciviſſet, laudaſſet etiam citra dubium Corinthios, de præeminentia Doctorum ſuorum, de cœna Dominica, de Reſurrectione, mutuò ſeſe exagitantes, & altercantes: ſed ipſe pacem & in conſenſum in omnibus magis probavit. Scholaſticorum, Jeſuitarum, Dominicanorum, aliorumq; digladiationes atrociſſimæ, ſæpiſſimè ipſa ſubſtantialia fidei Pontificiæ lædunt, hinc adeò fit, ut variarum hæreſeωn ſe invicem inſimulent, ipſoq; facto declarent, Eccleſiam Papæam non Unam eſſe, nec indiviſam in ſe, ſed quàm maximè diviſam in varias ſectas, quarum quælibet ſuam tenet & tutatur hæreſin, niſi quod promittat, judicio Papæ, ſe ſuaq; omnia ſubmittere, quod verò non eſt diſſenſum & hæreticas opiniones ex animo tollere, ſed tolerare. Idem aſſero de concertationibus Latinorum & Græcorum in negotio Sacramentario. Peſſimo, ais, jure perſtringi à Dallæo Arcudium & Goarem, meque pro more prætervehi illud de diſſenſu in ſubſtantialibus. De more meo & tuo in ſuperioribus ſufficiat dixiſſe. Si evolviſſes peritiſſimum Dallæum, tùm animadvertere potuiſſes, ipſum lib. 2. de Confirm. c. 18. invictè probare, hanc Unctionem apud Græcos à Presbytero & nunc miniſtrari, & ſemper miniſtratam eſſe: cùm autem Miniſter Sacramenti ſit de ejus eſſentia, ut, niſi à legitimo

ministro collatum, non valeat, apparet, Græcos à Latinis in essentiali requisito dissentire. cap. 19. exagitat lepidam cavillationem Arcudii, qui aliter evadere nequit, nisi ut dicat, Presbyteros Græcorum esse extraordinarios chrismationis ministros, Episcopos verò ordinarios. *Nonne iste ludibrium omnibus debet*, regerit Dallæus, *qui quod passim, ac ferè semper, in tota Ecclesia Græcanica fit, id extraordinarium dicit? ordinarium, quod rarò ac ferè nunquam? Tum si extra ordinem Græcorum Presbyteri hanc potestatem habent, à quo, quandò, ubi, id juris extraordinarii, petiverint, flagitarint, impetrarint, acceptarint?* L. 2. c. 20. doctissimi operis de Extr. Unct. à Dallæo editi p. 145. invenisses, Græcos sanis etiam & benè valentibus conferre hoc, quod vos vocatis Sacramentum exeuntium: qui sanè abusus partem essentialem definitionis hujus Sacramenti destruit. Sed adi modo ipsum Dallæum c. 21. qui optimè sese defendere potest, immò antequam tu ipsum oppugnares, validissimè præmunivit, ostendendo, non ministrum, non materiam, non objectum, non formam, non finem, non effecta, adeoq; nihil ferè commune habere Græcorum Εὐχέλαιον cum aliptica Latinorum. Quod quidem antea nobis quoq; est demonstratum.

Artic. IX.

De aliis erroneis dogmatibus.

Synopsis.

Triumphus Allatianus de consensu Idololatrico, cum parodia festivitatum Allatianarum. Chytræus de imaginibus sculptis à Stev. Goare, Metroph. defensus. Græcorum Artolatria. De ligno Crucis, & particula panis fermentati ex mensa Christi residua. Depellitur accusatio à Luthero, de contemtu Scripturæ & Mosis, & retorquetur in Papæos. De capitali supplicio hæreticorum.

§. 1. Succedunt in Exercitatione nostra, alia capita, quæ nos inter illa retulimus, quorum propugnatio apostasiam quandam à veteri orthodoxa Ecclesia Græcanica innuit, utputa: Idololatria, Artolatria, Oeno-

Oenolatria, Staurolatria, Hagiolatria, Angelolatria, Lipsanolatria, & præcipuè Mariolatria, Monopolium Episcopale in Electione Ministrorum Ecclesiæ, Liberum Arbitrium, immane encomium vitæ monasticæ, ac denique transsubstantiatio. *Parva ne sunt hæc?* quærit Allatius. *Auctore opponente, Ecclesia Græca & Latina eadem sentiunt* &c. Hîc tantùm non triumphare mihi videtur Allatius. Quid si ita sibi applaudat:

Ite triumphales circum mea tempora laurus,
Incidit in casses præda petita meos.

Vide, quàm gratuletur sibi socios in Idololatria Allatius? Ita olim Judæi idolorum cultui dediti de conspiratione gentium vicinarum sibi gratulabuntur. Euge, conveniatis modo pulcherrime in omni specie Idololatriæ, non invideo, miror magis & misericordiæ visceribus commoveor, sed ad rem propius. Si homini Græco, Manueli Calecæ, licuit *perditos quosdam* notare, *qui imaginem Salvatoris Latinis inscriptam literis adorare renuant*, & istiusmodi factum *inter errores Græcorum* numerare, cur mihi non licuit ex hoc facto patefacere, Græcos iis quoque in rebus, in quibus vobis accedunt, dissensum aliquem testari. Sed cur dissensum colligere vis inde substantialem? id ego non volo, sed Allatius tantum vult me id velle. Non enim videt quod est, sed quod cupit. Sicut de Sabinis dicitur, quod volunt, id somniant. Quod damnum unioni afferre potest, si alius atque alius munera nondum consecrata, hoc est, nudum panem & vinum, creaturas meras, summo divinitatis cultu, nimirum adoratione latriæ, prosequatur, nam id etiam à quibusdam Pontificiis docetur. Istiusmodi larvas de furfure & luto fingere deberet luteus quidam & furfuraceus Hercules, cum quibus exanguem pugnam pugnare posset, non vero eruditiss. adversarius noster, monstra locum, in quo extet, hoc unionem procurandam lædere. præclarum interim est, quod ritum ab Arcudio pro idololatrico proclamatum, non excusat tantum, sed idem tenere Pontificios pronunciat. Quid si Latini quoque ὑπερφιλοθεοτόκον nuncupentur, & tantum honoris divino Numini subtrahant, quantum contra Scripturas Beati Virgini deferunt? quid si Græci, *devotiores*

tiores quos vocat Goar, hoc est, *stulti* secundum Allatium, credant sub frustulo panis contineri corpus B. Mariæ? quid aliud elicitur, nisi gratulatio de societate Stultorum, & novum quoddam transsubstantiationis monstrum, quo panis in corpus Mariæ transelementatur. In ovo jam jacet novum miraculum, accedat modo qui calore suo excludat, & partum habebimus. quæ enim non insana commenta de transsubstantiatione & cultu B. Virginis amplectimini? Quid si plebs & Magistratus excluditur! error est monopolicus, canonibus antiquis contraveniens. Quid si Jeremias C. A.am refutare nequeat! quid immane elogium vitæ monasticæ, nisi *superstitio* ex mente Allatii? Quid quatuor monachorum genera? non esse scil. tot Sectarum diversissimarum, ut in Papatu, agmina & greges. Quid prævaricatio Canonum? nisi tumultuaria monachorum & regularium promotio, iterum ex mente Allatii, loco in Exercit. citato. ubi nihil de paucis sciolis reperio. Quid exæquatio monachat⁹ & baptismi nisi blasphemia? quid si Schismatici in monte Atho sunt laudatissimi? quid si appendendo panem in muro ab instituto Christi longissime discedant? Quid, si verba Domini inviolata servant, precum cæterarum usus tam rigide examinatur? quid ætas Damasceni & Theophylacti ad primævam antiquitatem? Quid tot aliæ ex cœnosa colluvie ineptiæ recollectæ, nisi dogmata hæc omnia, à nobis improbata, Allatio laudata, ex cœnosa eorum hominum colluvie profluxisse, qui fontem aquæ vivæ dereliquerunt, & cisternas sibi foderunt; cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Jer. 2, 13. ex quibus lutulentis cisternis eandem colluviem in sua scripta derivavit Allatius, ex quibus in nostram quoq; manarunt exercitationem, non ut sitim restingueremus, sed ut ex harum cisternarum comparatione, salubritas aquarum in vitam æternam salientium magis innotesceret, appetereturq;.

§. 2. Silentio tamen non omnino prætereundæ quæstiones duæ: prima; an sculptas Græci venerentur imagines? altera; an attolatriæ sint rei? De prima pro Chytræo aliquid dicendum est, ut videas fidem me ubique liberare. Ex fide testium oculatorum in oratione sua recitaverat Chytræus: *Magna pars vulgi & sacerdotum, pietatis summam in cultu Mariæ virginis & imaginum (quas non sculptas, sed pictas solummodo*

modo habent) collocat. Hîc Allatius duo ſculptarum imaginum facit genera: *unum quod per ſe vel ſuo corpore ſtat: alterum quod in ſolido corpore inciditur. Prius genus* ipſemet Allatius P.C.3.15,16. dicit eſſe *varum, in altero vero genere id aliter ſe habere. Et tu, Chytræe, audes tam aperte mentiri, aſſererequeGræcos non habere ſculptas imagines?* Inſtitutum Chytræi, de quo ſupra, animum mentiendi ab optimo Viro alieniſſimum fuiſſe, ſatis evincit. Si mentitus eſt Chytræus, cur Poſſevinus maledicentiſſimus obtrectator eum propterea non redarguit? Cur Stevartius pag.470. ad Calec. poſt Chytræum narrationem Chytræanam confirmavit? Cur Goar, qui tot annos in Græcia vixit, & diligenter omnia ſcrutatus eſt, etiam poſt libri tui lectionem, ſcripſit, *Græcos à ſculptis imaginibus tanquam idolis abhorrere, mediam tantum planamque ſculpturam, eo quod ad picturam accedat, eos admittere*, non protuberantem, uti tu dicis. Cur igitur vel tu, Stevarti, cur tu, Goar, audes tam aperte cum Chytræo mentiri, aſſererecq; Græcos non habere ſculptas imagines? vel cur tu Allati tam aperte audes mentiri, habere Græcos ſculptas & protuberantes imagines. Tu fortaſſis loqueris de Italo Græcis tuis; de ſtatuis, non quas ipſi in templis collocant, ſed quas unus alterve, pauciq́ue adeo privatim poſſident, vel quæſtus gratia vobis divendunt; adde intra ſpatium 80. ferè annorum ſculptilium adorationem introduci potuiſſe, quæ antea in uſu non fuerat. Sed pro Chytræo jam reſpondit Goar; ſuoſque Græcos hac in parte conſuetudinem Eccleſiæ veteris obſervare ſatis aperte innuit, c.15. Metroph. Critopulus, Græcus æque atq; Allatius diutius inter Græcos enutritus, quam Allatius, Patriarchalis quondam Protoſyngelus, quod Allatius non eſt, Papa Alexandrinus, quod Allatius nunquam fuit, Τύτων ἓν εἰκόνας ἡ ἐκκλησία ἐτοίει ἀ γλυπτὰς, ἀδὲ λαξευτὰς, ἀλλὰ γεγραμμένας μόνον &c. *Horum itaque* (Chriſti, B. Virginis, & Angelorum) *imagines Eccleſia non ſculptiles faciebat, neque exciſas, ſed pictas tantum, quemadmodum addiſcere licet ex Euſebio & Irenæo, Viris antiquiſſimis, nec non multis aliis S. Patribus Eccleſiæ primitivæ.* Sed in re levi quid nos & alios moramur, neque enim vel conſenſum vel diſſenſum Græcorum hîc curavit Chytræus, pag.14. ſeq. docens; *adorationem ſtatuarum & imaginum Beatæ Mariæ, ſive à Græcis, ſive à Latinis fiat, cum*

Scriptura, & prima puriore Ecclesia Græca & Latina pugnare. adducit locum Epiphanii: T. 2. hær. 79. *quis Prophetarum præcepit hominem adorari, nedum mulierem? est honoranda Maria, sed nec Maria, neq; quisquam Sanctus adoretur. Si enim Angelos adorari non vult, quanto magis Annæ filiam. Hoc antiquissimæ Græcæ Ecclesiæ* (verba sunt Chytræi) *testimonium, quia cum norma veritatis divinæ congruit, sequentium sæculorum consuetudini palam idololatricæ, sive in Græcis sive in Latinis templis servetur (neque enim firmamenta & præsidia fidei nostræ à Græcis vel Latinis, sed ex unica verbi & veritatis divinæ norma petimus) longe anteferendum esse, omnes sani faterentur.* p. 74. integrum & prolixum repetit locum Epiphanii ex T. 2. hær. 79. associat Hieronymum, *Quis, insanum caput,* (Vigilantium alloquitur) *Martyres aliquando adoravit, quis hominem putavit Deum? Nos ne Angelos quidem aut Archangelos adoramus; & serviamus creaturæ potius quam creatori?* O mi Hieronyme, Latini hodie non Martyres tantum adorant, sed & *in adorationem imaginum sunt promptissimi,* quæ vox est Allatii P. C. 3, 15, 13. Imo imago crucifixi, eo cultu, quo ipse crucifixus Salvator, latriæ scil. juxta Thomam in Tert. sum. qu. 25. art. 3. & 4. & receptam hodie sententiam est adoranda. Totum Psalterium Davidis ad cultum Mariæ est detortum. Ubi semel invocatur Deus, ibi decies invocatur Maria, tanquam mater misericordiarum, Filio tanquam rigido judice, qui tamen in Scriptura propitiatorium, & ipsa misericordia, & mansuetudo audit, postposito. Allatius quidem ab ipsa Evangelii prædicatione, Apostolorum traditione, & subsequentium PP. consensione cultum imaginum arcessere cupit: sed puto hominem Evangelia non legisse, si serio hoc affirmat. Quid PP. senserint, dixerunt Epiphanius & Hieron. Inaudita certe & stupenda est hominum Pontificiorũ cœcitas, si modo cœci sunt, qui hæc & alia apud PP. volunt videri legisse, & nihilominus oculos occludunt, dicta clara de studio obscurant, idola idolis accumulant, & dicta spississimorum idololatrarum palliant, quemadmodum nuper quidam Seplasiarius Scheffferus, horrendis de Josepho Deificato vocibus, & strumis idololatricis impudenter juxta & imperitè malagmata injicere, & Ecclesiæ Evangelicæ crimen idololatriæ infrunitissime intentare non erubuit.

§. 3.

§. 3. Artolatriæ reos esse Græcos hodiernos plurimis & accuratis commonstrat argumentis P. Arcudius Conc. 3, 19. seqq. quam ipse ita describit: *In liturgia, quando ex ara minori ad majus altare sacerdotes sacrificantes, deferunt dona, h. e. panem & vinum nondum consecratum, tunc populus passim in Græcia quidem valde demisse se inclinat, in Russia vero prosternit se, terram fronte percutit, ac veluti præsentem in ea oblatione cælorum Regem alloquitur, & adorat. Sic enim communiter populus credit.* Hanc idololatriam excusare conantur Allatius & Goar, sed conantur tantummodo, nequaquam vero argumentis Arcudii satisfaciunt. Primo igitur diss. de Missa Præsanct. §. 8. & 9. Allatius Arcudio, quem quidem non nominat, respondet: *Falsum esse quod Græci consecrata & non consecrata eodem venerentur cultu. Nam adorationem illam populi in præsanctificatis, sive panem deferat sacerdos sive diaconus, optime jureq; merito pani exhiberi, qui consecratus est. nec ideo quia simul cum illo pane calicem & vinum adorat, idololatriam Græcos committere dicendus est. intentio namque illius primo fertur in rem consecratam, & quamvis postea aliquem quoque cultum impertiatur calici, non ideo tamen cultus ille latriæ erit; sed rei, licet non benedictæ, commixtione corporis postmodum sanctificandæ, venerationem aliquam præbet.* Secundo: *Nulli dubium esse debet, vino illi nullis precibus benedicto, quæ illi post Dominici corporis contactum debetur, adorationem, ante illum contactum deferri posse. Quænam autem illa sit, aliorum judicium expecto. Nos certe ob solum contactum corporis Christi, crucem adoratione latriæ adoramus. Et certum est, idololatriam non committi sine expressa intentione adorandi pro DEO id, quod revera Deus non est. Ac proinde qui adoraret non consecratum, apprehendens cogitatione sua, ibi Christum esse, idololatriam non committeret.* Tertio; *Nulla potest afferri causa, quare honor iste & reverentia non debeatur pani illi & vino, quæ non multo post consecranda sunt, & cultus non ipsi pani ut pani, sed Regi totius universi, sub eo à Christi fidelibus recipiendo, defertur. Cultus E. ille, non pani, sed Christo futuro, tribuitur.* Quarto; *Si dicant, populum pereleganti illo cultu ac magnifico decipi, motumq; ea veneratione, panem & vinum, minime adoranda, plus æquo adorare, ideoque panis & vini latriam imperite nimis committere; dicerem tunc, populum corrigendum, non ritum & cerimonias*

immutandas. Jac. Goar in not. ad Euchol. p. 134. etiam dissentit ab Arcudio, quem quidem hoc loco *virum in Græcis ritibus expertissimum*, mox autem pag. 154. *de ritibus Græcis parum peritum* vocat, ita tamen ut fateatur, *externâ illa pompa oculos mentemq; simplicis populi perstringi*, ad excusandos interim Græcos hæc obvertit: *Eam non esse communem Ecclesiæ Orientalis fidem, aut privatam cujuscunque doctoris opinionem, ut Christi præsentia sub speciebus illis certa & indubitatâ asseveretur, sed ad summum præcipitatam venerationem esse, & exuberans devotionis argumentum, quo consecratio prævenitur, & res jam DEO dedicata, ob imaginem vel crucem ipsi insculptam, aut typum mente sola percipiendum distincto quopiam honore digna judicatur. Quem si ex eo idololatricum asserat Arcudius, eodem crimine condemnet Catholicos quosvis, qui viso Christi vultu depicto, simili cultu quasi præsentem quoque venerantur, & sæpius, ô Domine JESU, velut audienti exclamant. Erudienda est certe rustica illius plebis fides, devotio nusquam extinguenda. At superfluus est cultus. Compescatur certe, & resecetur quod abundat, excessum & superfluam honoris copiam reprimere, corripere, & omni studio Græcorum pastores tenentur præpedire, & ineruditam plebem de vera Ecclesiæ mente docere. Quod vero æquum est & à majoribus acceptum, quodque Pontifex Romanus aut approbat aut tolerat, laudetur, excipiatur, sartum tectumque asservetur. In cultu siquidem exteriori non corporis gestus, sed animi demissio; non apparens humilitatis specimen, sed interna fidei agnitio metienda est & pensanda.* Hæc Goar. Ad quæ animus non est ex veris Sacrarum Literarum principiis nunc respondere, cum Arcudius ex hypothesibus pontificiorum, tum Allatianas, tum Goarinas excusationes fortiter repulsarit: ut igitur tam mutuus conflictus Doctorum Romanensium, quam utriusque Ecclesiæ dissensus, hîc quoque mente percipiatur, jubebimus Arcudium sua expedire arma. Ad primum itaque argumentum Allatii respondebit, illud prorsus esse ἀπροσδιόνυσον, *non enim disputatio nunc instituitur de pane in Missa Præsanctificatorum consecrato: quippe in Præsanctificatis verum corpus sacerdos in patina defert, meritoque populus humi procumbit, atque adorat. In aliis vero sacrificiis, dum hæc oblatio fit ante conse-*

consecrationem, longe secus se gerat oportet. Regerit Allatius: *In iisdem tamen Præsanctificatis actus divinus defertur non pani tantum consecrato, sed etiam vino nondum consecrato.* Obviam contra it Arcudius: *In liturgia Præsanctificatorum debet patina imponi capiti, honoris causa, cum in ea Christus existat sacramentaliter: Calix vero, qui simplex vinum, minimeq; consecratum continet, non in capite, sed infra manu gestandus est, ne videlicet adoretur.* In secundo argumento quot non absurda cumulantur? Vino nondum benedicto eam habere asserit adorationem, quæ eidem post contactum corporis Dominici debetur; & tamen nescit adhuc quæ & qualis ei debeatur adoratio. Propositionem vel conclusionem format ex sua ignorantia cui alicunde lumen affundi cupit. Id quod nulli dubium esse debet, Allatio ipsi non modo dubium, sed prorsus etiam ignoratum est. Gentes ab idololatria absolvit, se vero & Ecclesiam Romanam eo crimine implicat. *Cultus latriæ convenit non nisi naturæ intelligenti, & quidem excellentissimæ, qualis solus est Deus.* Quippe *res inanima*, dicente Arcudio pag. 179. b. *non est capax hujus adorationis, nisi analogice, & valde imperfecte:* Est igitur Allatius crucilatra: gentiles vero in Scriptura perperam idololatriæ postulantur, nemo enim ex ipsis nisi oppido insanus & Choræbo stultior, professus est, se habere expressam intentionem adorandi pro DEO id, quod revera non est DEUS. Reticeo alia quæ ex παραλογίαις Allatii elici possent inconvenientia. Arcudii vero responsum c. 20. Philadelphiensi datum, in Allatium tam pulchre quadrat, ut nihil supra. *Sed mira est in hoc genere impudentia Gabrielis* (Allatii) *Philadelphiæ Archiepiscopi. Qui cum videat clarissime, populum communiter versari in hoc errore, non est imitatus sanctos PP. & Ecclesiæ Doctores, qui ubi errorem aliquem in animis hominum altis defixum radicibus animadvertissent, ut eum funditus extirparent, ac evellerent, è diametro plane se opponebant; ac ne quidem bona & laudabilia, modo errori annexa fuissent, concedebant, ne vel minima in re communicare cum hæreticis viderentur. Sed homo si quis alius* φιλοδοξότατος, *& popularem auram mirum in modū captare studens, minime offenso neq; admonito populo, ut ab ista* ἀρτολατρείᾳ *&* οἰνολατρείᾳ *desisteret, nobis nonnullis Græcis fidem Romanam*

profitentibus, & hoc ipsi objicientibus, novam Theologiam obtrudit. Duo inter se plane contraria, quæque invicem penitus se destruunt, novus patrator miraculorum facile conjungit & consociat. Concedit enim in ea oblatione nondum esse verum corpus Christi, & tamen eam adorationem adhibendam esse summopere contendit. Sed quoniam hæc manifesta est contradictio, negat, hanc summam populi religionem colendi illa munera, cultum esse λατρείας; Non quia non sit, sed quia αὐτὸς ἔφα. Neque enim majore honore externo, immo & interno prosequuntur, vel prosequi possunt Sancta Præsanctificata, atque faciunt illum panem benedictum, ut aliquod discrimen appareat inter illas λειτουργίας προηγιασθείσας, & istas quotidianas. Negat item esse aliquam communem observantiam, qua veneramus alias res sacras & imagines, sed quid medium ac præstantius lepidissimum caput excogitavit. Et hæc non tantum contra Allatium, sed etiam contra Goarium militant. Tertia Allatii ratio evertitur per ea quæ Arcudius iterum contra Philadelph. p. 196. seqq. profert. Enunciat Philadelphiensis: *Orientalis Ecclesia veros suos filios sancta dona in ingressu adorare, honoribusq; prosequi, ac dicere docet, Memento mei Domine in regno tuo.* Respondet Arcudius: *Quod certe nihil aliud est, quam ea dona supplicter invocare. Ex his facile intelligas, sitne Philadelphiensis ὀρθόδοξος, an formaliter quod ajunt hæreticus, & αἱρετίζειν, qui credit, nullum esse peccatum, eam rem inanimam invocare, ubi non sit, ut ipse quoque fatetur, Iesus Christus Filius DEI vivi, præsertim illis verbis, quæ alteri nemini, præterquam Christo Domino convenire possunt. Quocirca negat quidem ille verbis adorationem latriæ, sed reipsa eam exhibet pani non consecrato. Ut autem hanc suam chimæricam doctrinam simplicioribus facilius suadere valeat, colligit non nulla testimonia PP. quin etiam ex ipso Missali Romano, ubi sacri Dd. panem & vinum sacrificio destinata, nec dum tamen consecrata, vocant ἅγια, θεῖα ἄῤῥητα καὶ ἀχράντα μυστήρια. Sancta, divina, ineffabilia, & incontaminata mysteria.* Inculcat vero Philadelphiensis p. 200. seqq. *panem hunc cultui divino esse dedicatum, sacrificio destinatum, & debere transire in corpus Christi, indeque omnem suam habere excellentiam. At hæc,* reponit Arcudius, *non efficit, ut substantia panis debeat adorari, neque per se cultu latriæ, neque per accidens, ut species sacramentales, cùm non contineat Christum. E. longe alio cultu minore. Quia*

etiam

etiam post consecrationem substantia panis desinit esse; dicere, panis iste adorandus est, quia corpus Christi futurus est, esset plane dicere, panis iste adorandus est, quia futurus non est. Quippe desinit esse, & non est amplius panis. Unde quemadmodum ineptissimus esset, si quis aliquam vilem materiam magni æstimaret, quia ingeniosissimus artifex admiranda quædam solet ex ea parare; ita etiam superstitiosissimi, & minus religiosi, ne dicam gravius, viderentur mihi Græci, si panem adorarent, quia Christus Dominus eum in corpus suum mutare solet. At non propterea Græci passim adorant, quia panis est futurus corpus Christi; sed quia vere credunt, ex imperitia esse verum corpus Christi, quando adorant. Quartum quod monet Allatius, & cum eo Goar, corruit ex hisce Arcudii verbis: *Quem divinum cultum, huic rei minime debitum, Græci, inter quos reperias quandoque doctos, vel saltem δοκησισόφους, adeo tenaciter imbiberunt, ut si quis velit eos verum docere, atque ab hac corrupta consuetudine dimovere, omnino ipsis execrandus iste sit, & detestabilis ac velut hæreticus habeatur.* p. 191. quam suavis hæc est animorum & voluntatum conjunctio, quam pulchra sententiarum convenientia, quam bella inter preces votorum consociatio! p. seq. *Iste secundus error, summæ nimirum in ea pompa adhibitæ religionis, non est populi, sed cleri, tam enim diaconus, quam sacerdos imperitam plebem ad eam δεησιολατρείαν & οἰκολατρείαν invitant.* pag. 193. *Verum ad confutandum hunc errorem, nullæ rationes in medium sunt adducendæ. Nam populus versatur in summa ignorantia, & non est capax ut eum à quocunque intelligat. Quippe statim hominem suspectum habet, præsertim cum Romana Ecclesia in unitate fidei conjunctum. Unde nemo est, quicum ratione contendas. Possent autem ac deberent Græcorum antistites diligenter monere populum, & utique concordes multum proficerent; sed quoniam vel & ipsi laborant eodem morbo, & ex ignorantia in eodem errore versantur; vel si verum non nulli vident, timent pauci plurimos, timent terrenam perdere gloriam, & humanos favores; verentur ne instar hæreticorum nomen ipsorum à vulgo conculcetur, propterea & ipsimet, saltem externa specie, cæterorum errorem egregie imitantur, altoq; silentio omnia prætereunt, ac dissimulant. Ita cæci cæcos ducunt, & omnes in foveam cadunt.* Ficulnea Goaris folia Arcudius p. 199. ita dissipat: *Et quidem si centum ex populo, vel mille homines hoc essent imbuti errore; nihil*

hil sane diceremus, quippe minima pars toti genti haud præjudicaret. Nunc cùm totæ civitates, Provinciæ, ac integra regna, hoc est, tota Græcia, Russia, Moschovia, Moldovia, Bulgaria & aliæ non paucæ Orientis Provinciæ hac labe sint infectæ, & ab externo cultu istum errorem imbiberint; merito eum cultum externum hîc & nunc abrogandum, vel certe valde moderandum esse contendimus. Et in exemplum adducimus serpentem æneum, quem Ezechias Rex fregerat, & comminuerat, ne idololatraret populum. 4. Reg. 18. Hoc igitur illud est, quod Græcis objicimus. Quia Græci passim eam oblationem nondum verbis Dominicis consecratam imprimis interiore *cultu latriæ adorant. Neg; enim negant interrogati. At enim dices, esse nonnullos, qui constanter negent se cultum latriæ illi oblationi præbere. Equidem fateor esse, sed valde paucos. Et illi quidem verbis istud fatentur: reipsa vero contrarium profitentur.* P. 196. *Et nos quidem Catholici ante imagines invocamus Christum & Sanctos quos imagines repræsentant, non autem ipsas imagines. At panem benedictum, nondum tamen consecratum, stulte & impie invocaremus.* Quam rem de adoratione imaginis & panis benedicti, ejusque magno discrimine cap. 23. & 24. plene discutit. Atque sic apparuit, Allatium & Goarem conatos Græcos Pontifici Romano nulla in re obsequibiles, excusare, tantummodo conatos nequaquam vero crimina ipsis ab Arcudio intentata depellere quitos fuisse.

§. 4. Cùm de πυρολατρεία ageremus p. 41. Exercit. castigaveramus cruentam Allatii vocem, qua edixit, hæreticos fabellam ibi enarratam, non exosculantes, ad rogum esse condemnandos. Sævitiæ comitem dederat Allatius falsiloquentiam, calumniando, nos negare verbum DEI, pro instruenda hac calumnia, novas calumnias in subsidium vocat, ac tum ex Luthero, tum ex quibusdam sectariis, ipsius Lutheri hostibus nonnulla confercit, quæ nemo, nisi παχύδερμος sit, & elephanti corio contectus, sufferre potest: propulsanda igitur erit atrocissima injuria, qua nostram Ecclesiam, & Lutherum μακαρίτης ἡ αἰωνίστης μνήμης virum onerat adversarius malignissimus. Repetenda idcirco erit elegans fabella, pro qua Allatius tam ferociter decertat. De cruce Christi epistolica velitatione egerant versatissimus Bartoldus Nihusius, & Thomas Bartholinus, Vir toto orbe celeberrimus; hic vero scripserat: *pro monstro esse, lignum crucis Christi ad nostra usque tempora servatum*

tum duraſſe: ideoque quosdam finxiſſe, eam ex cedro & cypreſſo, quæ ligna cariem & ſenectutem non ſentiunt, fabricatam fuiſſe; hac addita exclamatione: *pudeat miſeros tandem Chriſtianos tam ſultæ credulitatis.* Hæc cùm aliquis familiarium Allatii legiſſet, in hunc ſermonem ira incenſus: *quæres? ait, unum me hominem, nullius prope dignationis, tot antiquis & ſanctiſſimis, & Eccleſiæ Doctoribus, Chryſoſtomo, Bedæ, Anaſtaſio Sinaitæ, Alexandro Monacho, Nicolao Corcyrenſi, Michaeli Pſello, univerſæ denique Eccleſiæ Græcæ male loqui.* Attende, quam accenſi & accurati ſimul ſint homines familiares Allatii; ſecundum enim hos, Chryſoſtomo, & aliis antiquis Eccleſiæ Doctoribus, qui ante aliquot ſæcula vixerunt, maledicit, qui negat, crucis lignum ad noſtra uſque tempora perduraſſe. anne Chryſoſtomus, Pſellus alii, de noſtris temporibus loquuntur?

§. 5. Qua vero ratione mitiſſimus Chriſtianorum Allatius furorem amicorum ſuorum compeſcit? hoc modo: *Sed Hæretici negant. Quid ad nos? negant verbum DEI, negant SS. PP. dicta, negant traditiones Eccleſiæ. Ideone & illa nobis neganda ſunt? quis eos judices noſtræ fidei fecit? quis eos religionis noſtræ regulam conſtituit? Apage ineptias. Ideo credenda, quia ipſi negant. Nam ſi ipſi crederent, non eſſent hæretici. Stulta eſt noſtra credulitas, quia credimus, quod ipſi inficiantur? certe eorum ἀπιστία multo ſtultior atque væſanior fuerit, ſanguine & ignibus expianda. Sed, inſaniant licet hæretici, nobis modo quærendum eſt, quomodo ex his tribus lignis crux illa confecta fuerit.* συμμικτ. part. 1. p. 224. Bellarminus, homo alias ſatis in nos acerbus T. 2. l. 2. de Imag. c. 27. de ligno crucis ait: *Quod autem ſcribit Beda in ſuis collectaneis & floribus, crucem factam ex quatuor generibus lignorum, ex Cedro, Pino, Cypreſſo, & Buxo; & quod ſcribitur in hiſtoria Scholaſtica, de ligno eruto ex probatica piſcina &c. non habent veterum teſtimonia, nec videntur probabilia.* Quæro nunc ex te & amicis tuis, Allati, num etiam Bellarminus ſit hæreticus, & inſaniat? quæro, cur tantopere adverſus nos fremas, cùm tamen ipſe fatearis, *homines nugaces alia atque alia de ligno crucis garrire?* jubetne Chriſtiana fides & manſuetudo, ut inſanos & extremo ſupplicio afficiendos, eſſe pronuncietis eos, qui garrulis & nugacibus nolunt credere? Interim cave tibi, ne quam in alios ſtatuis inanem pœnam, ipſemet quoque juxta oris tui pronuntiatum ſubire cogaris. Nam diſſ. 2. de libb. Eccl. Gr. p. 219. refutas

ſeptimum Triodii errorem, & in eo tria diverſa, *quorum tertium eſt impudentiſſimum, quod conſecratio in azymo tanquam mala in illo Triodio rejiciatur, ac illi reprehendantur, qui ſimili modo conſecrant.* pag. ſeq. *Aliquorum impudentiam non prætermittendam eſſe* autumas, *qui ut in hoc negotio, cum reliquis omnibus ſe cernerent deſtitutos, habere viderentur aliquid, quod latinis opponerent, inter alias reliquias, venerandæ ſcilicet crucis, coronæ ſpineæ, ſandaliorum Chriſti, clavi, faſciarum quæ in ſacrario Palatii Conſtantinopolitani erant, Panis quoq; particulam ex eo ipſo, quem tradens diſcipulis Dominus dixit, Accipite & manducate, &c. conſervatam fuiſſe narrant, quam ubi vidiſſent Latini, eandem cum pane fermentato, argumenti ejusdem evidentia convictos obmutuiſſe. Hæc omnia Georgius Corcyr. non ſe tantummodo, ſed etiam Cardinalem Pontificium Benedictum, Epiſcopum item Albetanenſem, & Bethlemi Hypopſephium, & alios quosdam ſuis oculis vidiſſe, præſertim vero panem illum in vaſe quodam aureo, Margaritis & lapidibus pretioſis onuſto, & inſcriptione rem indicante* munito, *conſpexiſſe.* Credit ne hæc Allatius? *ſed hujus narrationis*, ſubjungit, *fides ſit apud auctorem.* ἐγὼ γὰρ οὐ ταχοπειθής. *Ego enim non tam facile ſum credulus. Vellem dilucidius expoſuiſſet, quibusnam oculis poſt tot annorum centurias, panem illum, ut veroſimile eſt, exiccatum, contractum, colore immutatum, & niſi literæ indicaſſent panem materiam illam eſſe cognoviſſet, fermentatum ab azymo ſeceevit? ex quonam poſtmodo habuit, Chriſtum ultra tunc diſcipulis panem diſpenſandum, alium etiam qui ſupereſſet conſecraſſe: ut ſcilicet eo poſt tot annos Latinos aliter ſentientes convinceret? ſed quid fuerit ineptire, ſi hoc non eſt? Verba Evangelii clariſſima habeo, & nugas quæro?* Quæ reſponſio totum reliquiarum Papiſticarum apparatum & pompam, præſertim vero fabulas de lacte B. Virginis, & ſanguine Chriſti aſſervato, & pluribus in locis, rixantibus inter ſe Pontificiis, adorato, disjicit & in nihilum redigit. Quid ſi vero Georgius Corcyræus in hunc ſermonem ira incenſus reſponderet: *quæ res? unum ne hominem, nullius prope dignationis, univerſæ Eccleſiæ Græcæ male loqui. Sed hæretici latini negant. Quid ad nos? negant verbum Dei &c.* Ego interim facile pati poſſum, ut tuo abundes ſenſu, hocque emblemate tuo fabellas veſtras exornes: ſtulta eſt noſtra

cre-

credulitas, quia credimus, quod Lutherani inficiantur. Concedo totum. Sed mittam hæc, Allatium examinaturus, num vere enunciaverit, nos qui cum Cl. Bartholino Augustanæ confessioni sumus addicti, negare verbum Dei? *sed Lutherus rejicit Mosen.* Ubi hoc faciat, adversarius non dicit. Accusatur aliàs B. Lutherus, quasi male, traditionibus insuper habitis, ex sola scriptura, tanquam unica norma fidei, controversias omnes dijudicatas voluerit: qua igitur ratione is qui verbum Dei pro fidei regula unice agnoscit, illud ipsum verbum negaverit? An is, qui fremente & exæstuante toto Papatu, verbum Dei omnibus fidelibus, etiam laicis, legendum, meditandum, memoriæ imprimendum esse docet, & in illorum gratiam ausu Herculeo & labore immenso illud in vernaculam linguam transfundit, verbum Dei rejicit? Nequaquam igitur in personam Mosis, nequaquam in ipsius libros invehitur, sed contra justitiarios Pontificios, ex lege salutem quærentes, demonstrat, justitiam coram Deo valentem ex lege Mosis non obtineri, conscientias turbatas tranquillitati per legis fulmina non restitui, sed salutem & vividam consolationem ex fonte Evangelico hauriendam esse. Legatur modo præf. Lutheri in Vetus Testamentum, ut de aliis locis innumeris nihil moneam, & Luthero suus constabit honor. Legantur illa quæ contra Antinomos, legis Mosaicæ hostes, egregie disputavit, & dispalescent omnia, qnæ contra Lutherum maligne excogitantur & producuntur. Castalio, Müncerus, (quem Starovolscius non semel Münsterum perperam vocat) Georgius Davidis, C. Schvvenckfeldius, nostri non sunt, & à nostris non solum improbati, sed & refutati sunt gravissime, tanquam pestilentes fanatici. Vel igitur excalumniandi libidine, vel ex turpi admodum rerum nostrarum insciti, sententias hæreticorum mihi opponit Refutator: Tam enim istius farinæ homines, cum nostro Orthodoxo cœtu permisceri non debent, quam in primitiva Ecclesia, deliria & impietates Valentinianorum, Gnosticorum, & intemeratæ fidei confessoribus adscribere non conveniebat. Ita quoque non tenemur respondere ad verba Caroli Molinæi, Jcti Gallici, quem inter hæreticos sine cautela collocare non debuisset Allatius, cùm ex narratione P. Massoni ad Pontificiam suptemo vitæ tempore redierit Ecclesiam. Verba quædam

bonum patiuntur sensum,& commodam explicationem,verum iste nihil ad nos. Nullus itaque Lutheranorum negat verbum Dei,sed auctoritatem, perfectionem, Majestatem, dignitatem ejus contra Pontificiam hæresin constantissime omnes defendimus. Quod si vero scire cupis, quinam verbum Dei negent, vel conviciis proscindant, recensebo tibi aliquos, ex tuis. *Verbo Dei non magis credendum quam Tito Livio*, scripsit G. Baile. *Sacram Scripturam esse fontem hæresium, & scaturiginem confusionis Babylonicæ*, blasphemavit Tannerus *fabulis Æsopi* comparat Hosius: *naso cereo*, Pamelius. Et quæ alia ex Gnosticorum penu desumta sunt in Sacram Scripturam dicteria, nota & ubiq; trita, & nulla ulteriori indicina indigent; inter quæ excellit blasphema vox Nihusii tui,qui in contemtum & opprobrium, & ad imminuendam authentiam scripturæ, purulento ore despumat: *Scripturam à facinorosis hominibus esse conditam.*

§. 6. Nunc ad id, quod minatur, ἀπιςίαν hæreticorum sanguine & ignibus expiandam esse. Circa quæstionem an hæretici capitali supplicio sint afficiendi, provide agunt nostrates, & omnes difficultates sic expediunt: primo affirmant, hæreticos à Magistratu esse compescendos: mitius interim agendum cum seductis quam cum seductoribus: capitis vero supplicium non irrogandum nisi vel aperte in Deum blasphemis, vel Theologiam naturalem impugnantibus, hoc est, Atheis professis, vel seditiosis, & quietis publicæ turbonibus, perque cædes & homicidia grassantibus. His præmissis excutiemus citata Allatii. Si Constantinus contentus fuit Arium seductorem cum sociis in exilium mittere, quî miseros seductos capitali subjecerit supplicio? Testimonium Nicephori Callisti, ubi non est munitus auctoritate scriptorum melioris notæ, à doctis parum curari nosti ipsemet. Theodosius, Valentinianus, Marcianus Imperatores varias constituerunt pœnas, non omnes & omnibus capitales. Et si quoque Theodosius, Valentinianus & Marcianus in omnes promiscue hæreticos capitali supplicio animadvertere mandassent, Constantini tamen exemplum, quod propius ad verbi divini ideam accedit, sequi mallemus, quam sanctiones illorum Imperatorum, minime quidem à nobis damnatas: Nullus tamen ex laudatissimis hisce Principibus hoc fecit: de Theodosio testatur

Sozom.

Sozom. 7, 12. ipsum magis terrendi causa capitalem in hæreticos legibus latis statuisse pœnam, quam ut eandem etiam exequeretur. Cùm vero agminatim seditiosi variorum hæreticorum greges Ecclesiæ incumbere cœpissent, ad reprimendam tum violentiam tum fraudulentiam eorum pœnæ exasperatæ fuerunt: sicut in edicto Theodosii & Valentiniani, 32. monstrosæ & prodigiosæ recensentur hæreses: quas enim infandas turpitudines, (e. g. ex semine humano cum farina mixto sacramentum vel rectius ex acramentum conficere,) quamq; immania scelera alia perpetraverint Manichæi, notum est ex historia Ecclesiastica. Istiusmodi igitur nebulones non tam rogo vel capitis supplicio fuerunt addicti propter errorem intellectus in rebus supernaturalibus, quam ob blasphemias, cædes, nefandas impuritates, & alia inaudita flagitia. In horum censum si furiosissimus quidam Scioppius nos referat, omni infamiæ genere ipse erit notandus. vid. præclarissimi quondam in Academia Argentorat: Antecessoris Justi Meyeri tractatum insignem contra sanguinarium classicum Scioppii, & Cl. Philologi, M. Berneggeri tubam pacis. Pœnam capitis in V. T. hæreticis Idololatris fuisse irrogatam non negamus: Sed de alia re nunc quæstio est, an videlicet hoc judiciale, ad forum & politiam Judaicam pertinens, in N. T. nos quoque obliget? Generale & morale, hæreticos compescendos esse perpetuum est, specialis vero illa supplicii capitalis determinatio nos non obligare judicatur: sicuti perpetuæ obligationis est, liberos inobedientes puniendos esse, speciale illud supplicium lapidationis, in republica Christiana est abrogatum. Crimen idololatriæ longe gravius est & conspectius, quam nota hæreseos; illud impingit in lumen naturale, in clarissimum & expressissimum Dei mandatum; cum hæresis nuda præ cœcitate mentis non satis sese expedire possit ex rationibus, glossis, consequentiis, quas sibi finxit & pinxit, vel cito nimis & à tenera institutione imbibit. esto, sæpissime id fieri, ut nolit sese extricare, cùm posset, si morem gerere vellet; de ista tamen αὐτοκτηρσία nobis non constat, qui certo pronunciare non possumus, hæreticum tam sufficienter esse convictum in conscientia sua, quam certo Phærisæi αὐτοκατακρισίας fuerunt

revicti à CHRISTO. Sed ipsa quoque mentis obfirmatio, cæteris paribus, corporale supplicium non meretur. Decervicatio diaconi per Theodoricum Afrum, factum arguit, non jus. Cyprianus quidem commemorat factum Mathathiæ, præceptum Dominicum exequentis, id vero neutiquam ita accommodat, quasi statueret, gladium stringendum esse in hæreticos, sed tantum idololatriam fugiandam esse adhortatur, cùm illa in veteri testamento tam severe fuerit prohibita. Placet nobis sententia Sancti Cypriani, quam habet epist. ad Antonian. p. m. 81. *Quantus arrogantiæ tumor est, quanta humilitatis & lenitatis oblivio, arrogantiæ suæ quanta jactatio, ut quis aut audeat, aut facere se posse credat, quod nec Apostolis concessit Dominus, ut zizania à frumento putet se posse discernere, aut quasi ipsi palam ferre, & aream purgare concessum sit, paleas conetur à tritico separare. Cumque Apostolus dicat: In domo autem magna non solum vasa aurea sunt & argentea, sed & lignea & fictilia; aurea & argentea vasa videatur eligere, lignea vero & fictilia contemnere, abjicere, damnare; quando non nisi die Domini vasa lignea divini ardoris incendio concrementur, & fictilia ab eo cui data est virga ferrea, frangantur.* Optatus Milevitanus non probat factum Macarii, sed excusat qualitercunque, tum quia ex zelo juxta exemplar Mosis, Phineæ, & Eliæ, tum Donatistis lacessentibus fuerit patratum. Quando vero ex sua mente loquitur optatus Milevitanus, tum negat hæreticos esse occidendos, sed eorum exterminationem Christo Judici relinquendam, quæ etiam sententia est Constantini Magni apud eundem Optatum. Non poterant autem tempore Optati de injuria & vi sibi illata conqueri Donatistæ, qui per circumcelliones suos omnium primi sævire cœperant in Orthodoxos; horum igitur furor vi & armis in catholicos grassans, vi & armis reprimendus erat: de his nos non loquimur, sed de hæreticis pacate viventibus, præsertim quando transactiones publicæ acceserunt. In homiliis varia sæpe flagitia morte digna esse pronuncian-tur, neque tamen statim pœnas istiusmodi dictamus: ideoque etiam Imperator Nestorium non morte mulctari, sed in exilium deportari jussit. Zelus populi apud Evagrium an fuerit secundum scientiam

& au-

& auctoritatem adhuc disputatur; licentia furoris plebeii nullum jus constituit. Exustio Basilii medici facta est Anno 1118. hic inter alia negavit Trinitatem: DEUM dixit humana forma præditum; Michaelem Archangelum fuisse incarnatum; mundum esse ab angelis malis creatum: Mosis libros rejecit, nullam esse resurrectionem docuit: in hunc utique severius licuit animadvertere. Quam vero suavis es ex Heisterbachio scribens, Coloniæ hæreticos fuisse combustos; idem de Albigensibus & Waldensibus, de Lutheranis superiori sæculo exustis varii historici scribunt, E. Allatius habet jus ipsum, quia factum habet? Cùm anabaptistæ sese gesserint ut latrones & seditiosi turbatores, recte ex judicio Melanchthonis armis erant cohercendi. Potuisses autem hîc iterum parcere labori exscribendi Schlüsselburgium, qui cùm non fuerit Calvinianus tantum describit supplicia hæreticis illata apud Calvinianos, qui hoc in capite à nobis dissentiunt, unde & Beat. Gerhardus in LL. CC. Tom. 6. de Magistr. Pol. §. 314. seqquent. & D. D. Dannh. in hodomoria Spiritus Calvin. phantasm. 6. & alii, Calvini, Bezæ, & asseclarum sententiam rejiciunt & refutant. Præmissum autem est à nobis, aperte blasphemos & blasphemiæ præsertim formalis sufficienter convictos, si insuper pellaces sint & seditiosi, capite puniri posse: Talem autem fuisse Servetum, scribunt Calviniani, & alii quidam ex eorum narrationibus, quos ut hoc in loco inprimis quando de hæreticis in genere sermo est, defendam, nec ipsi nec alii à me flagitabunt. De loco Mosaico supra jam vidimus. plura si desideras, consule Gerhardum. Tibi vero ulterius magna incumbet probatio, qua demonstratum eas, Evangelicos Confessioni Augustanæ addictos esse hæreticos materialiter & formaliter, esse blasphemos in DEUM, esse turbones tranquillitatis publicæ, esse de ullâ hæretica opinione legitime & ad αὐτοκατάκριτον convictos: cumque omnia, quæcunque Sacra Scriptura nobis tradit, & symbola adversus hæreticos confecta exponunt, sanctissime credamus, illud unum vitio nobis vertitur, quod Romano Pontifici eum deferre nolumus Vicedeatus & Vicariatus honorem, quem

hære-

hæretici & assentatores Hildebrandini omnium primi eidem deferendum esse, non gladio oris, sed ore gladii sanciverunt. Interim nos non ita sumus ab auctoritatibus Patrum denudati, ut non confertam nubem eorum testium repræsentare possimus, qui omnes nobis adstipulantur, hæreticos, igne, rota, gladio, non esse extirpandos. Dabo ex magno numero aliquos. Vetustissimus Irenæus, *miserandos esse & vitandos hæreticos* scribit. pag. 95. Tertullianus, quem suæ causæ Patronum ex loco perperam intellecto scisscit Pamelius, Christiano imperat, *ut ne judicet de capite alicujus* &c. *neque damnet* &c. *neque vinciat, neque recludat aut torqueat.* de Idol. c. 17. & 19. seqq. & l. 1. de coron. mil. c. 11. Audi quid de tui similibus sanguinem sitientibus pseudoreligiosis scribat Hieron. in apolog. adv. Ruffinum. pr. *Antequam respondeam epistolæ tuæ expostulare tecum libet: venustissime monachorum, bone presbyter, imitator Christi, fratrem tuum potes occidere: quem si tantum oderis, homicida es? Hoc à Salvatore didicisti, ut verberanti maxillam præberes alteram? sic ipse respondit percussori suo? si male locutus sum testimonium perhibe de malo: si bene, quid me cædis? mortem minaris, quam & serpentes inferre possunt. Mors omnium est, homicidium pessimorum. Nonne in religione etiam liberi à parentibus: & conjuges à maritis salva pietate dissentiunt? Vos si ita habetis ut habemus, cur nos odistis? si aliter creditis, cur vultis occidere? An qui à vobis dissenserit, occidendus est? Hoc est verum dilemma tuum: non ex dialectica arte quam nescis, sed ex carnificum officina & meditatione prolatum.* Semel adhuc loquetur Hieronym. in ep. ad Theophil. adv. error. Joann. Hieros. T. 2. oper. *Nuper nobis postulavit & impetravit exilium: atque utinam implere potuisset: ut sicut illi voluntas imputatur pro opere, ita & nos non solum voluntate, sed & effectu coronam haberemus exilii. Fundendo sanguinem, & patiendo magis quam faciendo contumelias, Christi fundata est Ecclesia. Persecutionibus crevit, martyriis coronata est. Aut si isti soli juxta quod legimus amant rigorem, & non noverunt persecutionem sustinere, sed facere, sunt & hic Judæi: sunt variorum dogmatum hæretici; & maxime impurissimi Manichæi, cur eorum ne verbo quidem quempiam audent lædere? Nos solos expellere cupiunt? Nos soli qui Ecclesiæ communicamus, Ecclesiam scindere dicimur?*

mur? Oro te, nonne aqua est ista postulatio, ut aut illos nobiscum expellant, aut nos cum illis teneant? Gregor. M. Pontifex Romanus l. 3. mor. 20. ait: *aliquando hæretici contra nos etiam suppliciis sæviunt: aliquando nos solis verbis persequuntur: aliquando quietos lacessunt: aliquando si nos tacentes videant quiescunt: & mutis amici sunt, loquentibus adversantur. Et si per nos mali corrigi negligunt*, scribit de iisdem hæreticis c. 17. *dignum tamen est, ut à nobis non ex sua nequitia, sed ex nostra benignitate amici nominentur.* Claudat agmen antiquorum S. Augustinus, hæreticos quoq; *malo suo verus membris Christi prodesse* scribens: *Inimici enim omnes Ecclesiæ quolibet errore cæcentur vel malitia depraventur: Si accipiunt potestatem corporaliter affligendi, exercent ejus patientiam: Si tantummodo male sentiendo adversantur exercent ejus sapientiam: ut autem etiam inimici diligantur, exercent ejus benevolentiam, aut etiam beneficentiam, sive suasibili doctrina cum eis agatur, sive terribili disciplina* L. 18. L. D. c. 51. per terribilem autem disciplinam intelligit severiores correctiones, uti non solum excitato textu, sed ex toto cap. colligitur. Idem fratribus suis l. 1. cont. Ep. Petil. inculcat: *diligite homines, interficite errores, sine superbia de veritate præsumite, sine sævitia pro veritate certate. Orate pro eis quos redarguitis & convincitis.* Et contra Ep. Fundam. T. 6. c. 2. *Illi in vos sæviant, qui nesciunt cum quo labore verum inveniatur, & quam difficile caveantur errores.* consensus demonstrandi gratia, opponoetiam Jerem Patriarchæ responsum: Ἐξεῖναι ἀρχιερεῦσι κακέργους καθὰ νόμους κολάζειν, ἢ κεφαλικῶς ζημιοῦν, πολεμεῖν τε καὶ στρατηλατεῖν, ὅτε ἡμᾶς ὅτε νόμοι, καὶ καιρὸς διορίζουσι. *Pontificibus licere maleficos punire ex legibus, aut supplicio capitali afficere, & belligerari, exercitusq; ducere, id neq; nos, neq; leges & canones exprimunt* pag. 113. Ex una eaq; brevi periodo quam multa in Pontificiis reprehendi possunt. His & aliis momentis probe libratis, Impp. & Reges aliquot glorioſissimi conscientiis imperare noluerunt. Verum hac vice hæc sufficiant, ubi ad Paulum te prius etiam relegavero Gal. 3. ℣. 29. qui persecutionem patientes ita solatur;

Sed quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum Spiritum: ita & nunc.

SECTIO VIII.

De Pertinacia.

SYNOPSIS.

MEthodus disputandi, & explosa insolentia Allatii aliquoties. Excussis XI. istis capitibus erroneis, pertinaciam denique notaveramus in Græcis, præsertim in negotio cum Theologis Tubing. conspicuam. Hîc quædam dimittit Allatius, quædam admordet. Verba mea sunt: Rectius Græcos de nobis judicasse, & plura exemplaria petiisse, patet ex epistolis ultro citroq; missis: Respondet Refutator: *adeantur verba Jeremiæ* &c. ego repeto verba Jeremiæ, qui p. 200. respondet: *Mediocritas nostra cum aliis multis lætatur, tum non minimum hoc, quod in multis vestra doctrina cum nostra consonat Ecclesia. Faxit vero idem, qui omnia perfectione ad bonum dirigit Deus: ut in cæteris quoque in quibus discrepamus, pie consonemus.* pag. 263. *Cum in præcipuis fere omnibus concordemus: non oportet vos quædam Scripturæ dicta secus intelligere & interpretari, quam lumina Ecclesiæ, & œcumenici Doctores interpretati sunt.* pag. 347. *Epistola vestra plurimarum rerum bonarum velut conciliatrix nobis extitit. Quippe consolationem molestiarum attulit sapientem & magnificam: omnibusq; hominibus demonstravit: non in rebus secundis tantum, sed in adversis multo magis, conservandam esse amicitiam firmam & veram* &c. Annon hoc est recte de aliquo judicare? Mirificus vero est Allatius disputator, qui ex eo colligit nunquam rectius de nobis judicasse Jeremiam, quia in fine Resp. III. de controversiis amplius noluit agere, in quo quidem responso omnium prolixissime de processione Sp. S. occupatus est. Mirificus est dum negat unquam plura exemplaria petiisse Græcos, quia finem disputationum optavit Jeremias? Cavillatur Refutator, dum ita me inducit, quasi dixerim, Gręcos antiquis suis opinionibus valedixisse. Ubi hoc legisti? ubi vidisti? οὐκ ἴδεν ἀλλ' ἐνόμισεν ἰδεῖν διὰ νύκτα σελήνην. Sępe putat aliquis lunam se per nubila vidisse, cum suas tantum sibi obversantes habeat videatq; imagines. An quia Zygomalas inops & mendicus, ideo inglorius?

rius? Duo Zygomalæ epistolicum commercium cum Crusio exercuerunt, unus Joannes, Rhetor Patriarchæ, alter Theodosius: Protonotarius Ecclesiæ Constantinopolitanæ, Patriarchæ familiares: ergo inter suos non inglorii: etiamsi gloriam mundi in regno Pontificio resplendescentem non fuerint aucupati: Alias tu ipse P.C.3, 8, 6. inter eos, qui dignitatibus conspicui, Patriarchæ, ex parte dexta assident, numeras protonotarium: & Arcudius Theodosium (Joannem nominare debuisset) Zygomalam vocat *virum, qui nostra ætate in Constantinopolitana Ecclesia floruerit, & officio magni Rhetoris ex antiqua consuetudine functus fuerit.* Concord. pag. 371. a. An quia Zygomalas pauper & mendicus, igitur fidei nullius? At bonæ mentis sororem esse plerumq; paupertatem, sapientes non tam ex Petronio, quam experientia edocti dixerunt: plerisque causa paupertatis probitas, inquit Curtius. Tu, cui totius orbis religio lucrum tuum est, paupertatem contemne, habet illa tamen innocentiæ suæ assertores. Tu ne mendiculo & miserrimo non credes, potissimum in negotio religionis? homo scilicet in aula & culina Pontificia educatus, cui ut sub sordido palliolo nulla veritas, vel probitas lateat, absurdum videtur. Verum cave tibi ab examine mendicantium monachorum, ne ex decreto Patrum conscriptorum ista mendicabula in te irruant, quibus in religionis potissimum negotio fidem derogare ausus es. Nisi autem esses Eruditissimus ille Allatius, propemodum dixissem nulli disputatori minus cum arte ratiocinandi convenire, quam tibi; quæ enim te ratio ita docuit argumentari; opponens ait: *Esto, re infecta confusi sint Tubingenses, idem accidit Apostolis, quoties pulverem de calceis excutere cogebantur.* Ergo opponens secundum logicam Allatianam dixit, *reformatos esse Apostolos, cum q; opponens non explicet cujus,* sint Apostoli, sagax homo conjicit, *esse Apostolos Diaboli*; sed opponens de disciplina non bona Allatio à præceptoribus radita conqueritur, creditque Refutatorem juxta Enniani Neoptolemi præceptum philosophatum esse paucis. Nimis etenim acutè concluditur: qui dicit sibi accidisse quod Apostolis acciderit, is asserit se esse Apostolum: Jam accidit Allatio apud quam plurimos, ut dissensum potius Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis declarasse judicatus fuerit, quod etiam accidit Arcudio. Ergo Allatius est Arcudius. Ego nollem

me adeo ingeniosum & acutũ natum esse, quia haud raro nimis subtiles, nimis quoq; futiles esse deprehenduntur. Non sumus Apostoli, sed cõsanguinitate doctrinæ Apostolis conjunctissimi: idcirco & cum illis tanquam hæretici *maledicimur & benedicimus: persecutionem patimur & sustinemus. Blasphemamur, & obsecramus.* 1. Cor. 4. Quam vero iterum nõ ex dialecticorum, sed invidorum regula concludis: *cujus libri exemplar curiosius etiam ab Allatio indagatum, non potuit ad manus Allatij pervenire, is in nullo pretio est habitus sed abolitus:* atqui librorum tuorum haud pauci curiosius à me hactenus fuerunt indagati, hæcque ipsa tua refutatio curiosissime à me indagata, ægerrime ad manus meas pervenit, hoc ne E. est signum, in nullo pretio haberi tuos libros, imo aboleri prorsus: ego contrarium potius colligerem asservari libros rariores instar cimeliorum in Bibliothecis non publicis modo, sed privatorum quoq; hominum. Quot hodie libri curiose indagantur, ex nullo tamen nihilominus angulo extrahi possunt, quos nemo propterea diceret in nullo pretio habitos vel abolitos. Jesuita Labbeus ad omnes per universum orbem Christianum eruditas literas in Syn. Concil. direxit, curiositatem suam in indagandis tum editis tum ineditis conciliorum decretis declarans, & tamen Synodus tua Cypria ad manus ipsius non pervenit. Conclude ex Allatio, E. in nullo fuit pretio habita unquam sed abolita. Sed quidquid sit, scripserit Allatius ad Magnates mendicantium in Græcia; sit liber confessionis qui in magna copia ad Græcos nunquam transmissus est, post seculum fere integrum abolitus; sit igne crematus, quod quidem ex actis publicis nondum percipere potui, scripturæ sacræ fatum experta est confessio nostra. Solari interim poterunt pii & pro salute Græcorum flagrantes viri suos labores pio isto & eleganti S. Justini M. dicto: Κἂν ὀλίγες δὲ πείσωμεν τὰ μέγιστα κερδήσωμεν ἔσομεθα ὡς γεωργοὶ γὰρ ἀγαθοὶ ἀπὸ τῦ θεσπόζοντος τὴν ἀμοιβὴν ἕξομεν. *Atq; hoc etiamsi paucis persuaserimus, maximum tamen inde feremus lucrum: nam ut boni agricolæ, amplam à Domino capiemus mercedem.* Apoc. 2. pro Christian. ad Antonin. Pium Imp. p. 64. neque tamen dubitandum est, hoc semen alicubi fructum protulisse. Cur vero curiosissimus noster Allatius non etiam ad magnates imperii Japonici scri-

scribit, ad impetrandum exemplar librorum à Pontificiis in istud imperium adportatorum, sed metuit, ne in nullo pretio habiti, dudum sint aboliti? Possevinus in dedic. lib. contra Chytræum, Regi Suecorum significat, *Catholicos suos ingentibus exantlatis periculis ista omnia transmisisse, ut fides Catholica in antiquam suam sedem etiam isthic (quod denique omnino futurum sit) restitueretur.* Sed confusus recessit Possevinus, quamvis multa sibi pollicitus; neque per divinam id clementiam unquam futurum est, ut Idolomania Papistica in regnis septentrionalibus restituatur. Sed quid si in Græcia etiam Vrbanus VIII. & Petricea confusi fuissent? & certe fuerunt, nam Parthenius homo *Pontificiæ religionis*, ut ipse fateris, *hostis*, post Berhoensem qui professionem fidei ad Urbanum misisse, & obedientiam spopondisse dicitur, thronum Patriarchalem conscendit. Confusus apud Græcos fuit etiam Pantaleo Ligarides Chius, tuus popularis, de quo tu ad Nihus. p. 2654. scripsisti; *eum Roma Constantinopolin secessisse, fidei Romanæ in illa natione propagandæ causa. Sed certo nuncio significatum esse, res illius per Patriarcham in eam sedem ab hæreticis intrusum, nutare.* Confusus fuit sæpius tibi laudatus amicus tuus Jo. Matth. Cargophilus, qui *cùm inter Græcos vitam non posset tuto ducere, Romam reverti coactus est.* Perp. Conf. 3, 7, 14. In illo vero & Cyrillus & Alexandrinus Patriarcha, & Allatius ex odio adversus nos nimis credulus, mentitur, Tubingenses *multa pollicendo, comminando, violenter instando*, Græcos in suas partes pellicere voluisse, *Crusium q. tot iteratis literis* (habet hoc P. C. p. 1244.) *id procurasse, ut Lutherani in Ecclesiam Græcam inserererentur*, extant acta & scripta publica, fideliter & sine ullo affectus præjudicio, ut cuilibet legenti patebit, consignata, ex quibus narratio Allatii penitus deformata cadit. Producat Allatius unicum locum ex responsis Tubingensium & Ieremiæ; item ex Turco-Græcia Crusii, ex quo unum horum ἐγκλημάτων probari possit, & vicerit. Quando igitur unus & alter contra fidem Actorum publicorum, sine teste & actis publicis quidpiam affirmat, vel negat, nemo nisi incaute vel malitiose credulus fidem derogabit publicis, habebit privato.

SECTIO IX.

De Roboratione per mutuam Anathematizationem.

SYNOPSIS.

GRæci à Latinis excommunicantur. Defensio Cauci, conciliatura multotiens incassum tentata.

§. 1. Græcos à Papis multotiens excommunicatos esse nemo ambigit, hodieq; quotannis excommunicari testis est Thomas à Jesu p. 28. ubi propositio prima est: *Græci ab Ecclesia Romana sunt separati & schismate divisi. Nam ut divus Antoninus III. part. hist. tit. 22. c. 13. §. 1. & 2. scribit, præcipuas orientis Ecclesias, & maxime Constantinopolitanam duodecies ab Ecclesiæ Rom. sede & potestate seipsas subtraxisse: & certe, publice & aperte ter Græci ad Ecclesiæ Rom. unitatem rediere; scil. in concilio Later. Lugd. & Florentino. Postea vero ad schisma reversi, ac perinde excommunicati permansere, excommunicatione majori, quo omnes schismatici in Bulla cœnæ Domini feriuntur. Et ideo ab Ecclesia Latina & Catholica divisi in statu damnationis æternæ versantur.* Thomam à Jesu, auctoritate sua, qua Prosp. Fagnanus pollet, maxima roborabit, Comm. in l. part. V. lib. Decret. de schism. c. Quod â Prædecessore p. 228. n. 11. seqq. scribens: *Schisma diffinitur esse illicitus ab unitate fidei, vel universitate recessus, secundum Hostien. Goffred. & Raymun. in summ. de schism. & Socin. supra in rubr. num. 1. Quæ quidem unitas in duobus consistit, videlicet in commistione, seu communione membrorum Ecclesiæ ad invicem, & in ordine omnium membrorum ad unum caput. Hoc autem caput est Christus, cujus vices gerit Roman. Pontifex, Clemens I. de jurejurand. Unde qui subesse renuunt summo Pontifici & qui membris Ecclesiæ communicare recusant scissuram facientes, valde proprie dicuntur schismatici. Dupliciter autem potest contingere, ut aliqui ab hac unitate recedant. Primo cum Ecclesiam Rom. non agnoscunt, sed aliam sibi Ecclesiam & caput constituunt, ut faciunt Græci Schismatici: & hi absq; dubio sunt ipso jure excommunicati cap. Nulli, 19. dist. & determinat hic Innoc. num. 2. in ver. Irritas, Hostien. n. 2. vers. Illi autem schi-*

schismatici, Io. Andr. n. 2. in ver. subjacere, Butr. n. 4. vers. Numquid autem quilibet schismaticus sit excommunicatus. Qui enim extollunt se contra Rom. Ecclesiam & ab ipsa se separant, hæretici dicuntur, & hi, qui principales sunt hæresiarchæ, ut hic, ac proinde excommunicati sunt, ex cap. Excommunicamus. Credentes sup. de hæret. secundum Hostien. d. n. 2. Qui amplius dicit, talem sententiam excommunicationis ferri seu potius innovari à quolibet Episcopo in sua consecratione, quem consecrator interrogat dicens, Anathematizas omnem hæresim, subaudi, non solum errantem in fide, sed etiam extollentem se, adversus hanc scil. Romanam sanctam Catholicam Ecclesiam; & is, qui consecratur respondet Anathematizo, ut in libro Pontificali. Quod multo clarius vendicat sibi locum in Græcis Schismaticis nostri temporis, qui non solum nolunt agnoscere Summum Pontificem pro Christi vicario & capite Universalis Ecclesiæ; sed etiam ita credunt sentientes Ecclesiam Orientalem & Constantinopolitanam non esse inferiorem Romano Pontifice, ut patet ex actis Florentini Concilij, sub Eugenio IV. Hi enim sunt formaliter hæretici, ut per Abb. supra in rubr, n. 1. Quoniam habent errorem in fide cum pertinacia contra articulum unam sanctam Ecclesiam, cap. Inter hæresin. cap. Qui in Ecclesia, & cap. Qui aliorum, 24. 8. 3. Archid. in cap. Hæresis, n. 1. eadem caus. & quæst. Sylvest. in verb. Hæresis, l. n. 1. Hæc Prosp. Fagnanus. at quantus vir! genere vitæ non umbraticus, sed gravissimis consultationibus per annos quinquaginta in Urbe, & sacris congregationibus adhibitus, doctrina, auctoritate & experientia rerum Ecclesiasticarum apud suos valde illustris, Papæ carus & commendatus, cujus etiam jussu & mandato opus grande, in LL. Decretal. privilegiis, Papali, Imperatorio, Gallicano, Veneto, & Sabaudico, amplissimaque approbatione munitum, impressum est Romæ 1661. expensis Jo. Casoni, Hic autem tantus Vir totum Allatii ædificium funditus subvertit, ut non habeam quid debeam cogitare de illa Allatii Gloriatione qua p. 295. jactat: *Opus suum contra Hottingerum à Romanis censoribus approbatum, & ab Alexandro Papa humanissime exceptum fuisse:* mihi enim homini pro gentis candore minime callido, perdifficile imo ἀδύνατον esset, aliquid excogitare, quo dissonantissima hæcce consona reddi, & dedecus apertissimarum contradictionum à sede Pontificia depel-

depelli posset. Sed nunc de excommunicatione Græcorum reciproca.

§. 2. Antonius Caucus hær. VI. ait: *Græci negant, Romanam Ecclesiam veram & Catholicam esse Ecclesiam & caput omnium Ecclesiarum; suam vero illi præponunt; & propterea Rom. Pontificem, Præsulesq; omnes Latinos, in die cœnæ Domini anathematizant tanquam hæreticos & schismaticos.* Allatius respondet, *hoc esse calumniam acerbissimam & impudentissimam, qua Vir silice lapide stultior, & qui nunquam habuerit sinciput sanum, Græcos perpetuis temporibus infamare voluerit.* Quid si vero Stevartius, qui Caucum, hominem & Episcopum Pontificium, inter Græcos viventem, *oculatum nequitiarum Græcanicarum testem* nominat, quid si Th. Bozius, qui eundem ut idoneum pertinaciæ Græcanicæ testem, cum Phil. Mocenico conjungit p. I. De Sign. Eccles. pag. 390. quid si, inquam, hi dicerent, sollemnissimum ab Allatio inficiatore pontificio quidem, sed non Episcopo, Græco quidem, sed qui paucos annos vixit inter Græcos, committi mendacium? Vix enim Petr. Stevartius Leodius, Th. Doctor, Profess. & Procancellarius Acad. Ingolstad. quicquam asseverantius pro veracitate Cauci pronunciare potuisset, quàm id quod præf. in Man. Calecam habet: *Cùm rem accuratius perpendo, propriam hæretici & Schismatici judico illam gloriationem: Dives sum, & locupletatus, & nullius egeo. Quid vero DEUS? Apocal. 3. & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper & cæcus, & nudus. Quæ conditiones eximie in hæreticos & Schismaticos quadrant. Omissis nostris novatoribus, de solis Schismaticis Græcis loquar. Quid illis miserius? quid miserabilius? quid cæcius? quid ab omni doctrina, cultu, humanitate nudius? quid pestilentissimis morbis infectius? Et tamen hanc suam egestatem & mendicitatem, hanc suam cæcitatem, hanc suam nuditatem, hanc suam deploratam, semperque deplorandam valetudinem, non modo non animadvertunt, sed & insuper se beatos florentesque reputant; & illis qui opem ferre volunt; insultant, omnemq; aditum occludunt, præsertim Summo Ecclesiæ pastori, Christi vicario, Petri successori, in quem tot conviciis & criminationibus debachantur, ut neque Luthero neque Calvino neque aliis nostri ævi sectariis odii in Papam acerbitate & immen-*

immensitate quicquam concedant, ut testatur testis oculatus Ant. Caucus, & Gennadius. cujus verba idem sonantia attexere nolumus; An incredibile est, eos qui in Pontificem ita debacchantur, eidem quoque anathematis sententiam intentare? Dabimus autem Cauco, Gennadio & Stevartio, asseclam Thomam à Jesu. p. 303. *de pœnis divinitus & mirabiliter Græciæ inflictis* loquentem: *Rursus aliud longe mirabile observandum. Græci nos excommunicarunt, & pro hæreticis omnino duxerunt, Michaele sedente circiter Annum* 1053. *ut ostendimus supra; & post annos quadringentos Constantinopolis capta, anno ut supra. At hic numerus criminum, expiationi remissioniq; datur: ut sciamus ideo Græcos in servitutẽ divinitus Turcis datos, quod crimen adversus Ecclesiam Catholicam patratum non expiarint intra definitum à divinis scripturis tempus.* Sed quoniam ita pertinax es, immittam tibi alios duos oppugnatores validissimos, Henricum Spondanum Episcopum Gallicanum, & Jacob. Sirmondum Jesuitam longe doctissimum; iste Spondanus ad A.C. 1438. n. 25. hoc refert: *Miserunt quoq; Biturim Basilienses articulos errorum Græcorum, super quibus essent isti interrogandi, si Basileum accederent: quos acceptos à solertissimo rerum obstrusarum indagatore eruditissimoq; Iac. Sirmundo S. I. hic ingerere operæ pretium duximus. Ex erroribus istis,* (quorum ibi recensentur quadraginta & unus) *vicesimus nonus est, quod soleant quolibet anno excommunicare Ecclesiam Romanam.* Post enumerationem errorum illorum omnium subdit Spondanus: *En quantæ molis esset Græcorum à tam densa errorum silva, ad rectam, doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ viam reductio! quantæq; gloriæ & meriti fuerit id perfecisse in Synodo Florentina! ac denique quantæ eorum culpæ, ad eosdem subinde recidisse!* Cur præ Cauco, Sirmondo, Spondano, tibi uni credere deberemus, qui paradoxa tua, meris paradoxis probas.

§. 3. Experiemur autem ulterius quid pro Cauco dicere valeamus, ne diffidere velle videar eidem, quem patronum antea habui quam rogavi: inque hoc negotio me iterum Allatii longe dissimillimum præstabo: is, etiamsi videat hinc inde jugulari suos in religione complices & amicos, eos tamen telo rarissime subducit; contra ego meos ex Pontificiis quoque Patronos contra spicula Allatii semper protego. Præter illa maledicta, in exercitatione annotata, alia adhuc

in Caucum vibravit Allatius. *Tantum ne*, ait, *in Archiepiscopali dignitate constituto licere, & parenti optimo* (Rom. Pontifici) *eum ista prologui! An non id ampliter mentiri & calumniari est? saltem finxisset aliquid commode, ut apud incautos fidem promereretur, an mendacio, an scelere, an fraude, an fallaciis, summorum Pontificum gratia demerenda est? O os durum & stygium & non nisi mentiri gnarum!* §. 6. *Calumniator iste insanit* §. 6. *ex cerebro male sano loquitur.* An in Archiepiscopum ita sævire licet? in columnam regni Papalis? quorum amplius narrationibus fidere possumus, si Archiepiscopi, iique inter Græcos degentes Latini nos ita decipiunt? si dicat Caucus, se istiusmodi à Græcis audivisse, addidicisse ex quotidianis eorundem congressibus, quod ipsum facere jubet Allatius, c. 16. §. 6. mox audiet, *esto, è Corcyræis audieris; an quæ Corcyræi effutiunt, reliquis Græcis communia sunt? an male sanis Corcyræorum opinionibus, reliqua Græcorum natio quæ nihil de similibus agnoscit, diffamanda est?* unde vero probatur, reliquam Græcorum nationem nihil de his similibus agnoscere? ostendatur ergo Græcanicam nationem & Ecclesias alias Corcyrensibus qui partem non exiguam Ecclesiæ Græcæ constituunt, aliquando contradixisse, factum hoc improbasse; utq; desisterent, aliquando vel à Patriarcha, vel ab alio Metropolitano, vel ab universa Ecclesia impetratum fuisse. ib. c. 10. 2. Dicet Caucus, *ipso opere anathematizari Pontificem & E. R. quia Græci primatum illius agnoscere nolint:* respondebit Allatius, *non sequi*, scil. directe, at indirecte, & per consequentiam; qui enim vicarium Christi pro hæretico & Schismatico reputat, is eo ipso Papam anathematizat. Quid igitur facere debuisset Caucus? in medium adferre Græcos id asserentes. Forsan Caucus in animo habuit locum illius Matthæi Hieromonachi, & Manuelis Calecæ? *non videndum quid unus alterve faciat, sed quid universa Ecclesia, neque argumenta petenda sunt à contentiosis, insulsis, & ab iis, qui compotes animi non sunt.* Universam Ecclesiam producere debet Caucus, an singulas? istud fieri non potest; an eos, qui eam repræsentant, antistites & Patriarcham? neutro modo aliquid obtinebit, statim enim regeret; an Jerem. vel alius Patriarcha Schismaticus, sive solus, sive cum Doctoribus & collegis suis est Ecclesia Græca hodierna? quid si Caucus ad auctoritatem Synaxarii

rii provocaret? audiet, non legi illa apud omnes Græcorum Ecclesias, nulla auctoritate à sciolis edita esse, nec reperiri in MSS. at cur licentiam & temeritatem Venetorum qui ediderunt non cohercuerunt inquisitores, satis aliàs in his negotiis industrii? quæ autem horum sit auctoritas, addisci potest ex Allatio ipso, de ll. eccl. Gr. Bene meritissimus Theologus D. Petr Haberkornius disp. 2. vindicati Anti-Foreri p. 459. respondet: *sufficit ipso Allatio concedente illud synaxarium alicubi in Græcorum Ecclesia usurpatum, atque ita Latinos cum suo Pontifice quotannis excommunicatos fuisse, maxime sub Andronico illo Palæologo qui Pontifici Romano acriter restitit ob dogmata Græcæ Ecclesiæ plane adversantia, teste ipso Allatio. p. 758. 759. 782. 1328. unde ipse etiam ex Gennadio Scholario asserit, in civitate una, quam tamen non nominat, Synaxaria illa eo modo in Triodio assuta se habere, p. 1331. Atque hinc reliquarum etiam Ecclesiarum Græcarum sententiam de Latinis facile colligere licet. Etiamsi enim formula illa non omnes usæ fuerint, non tamen illas ei contradixisse, aut eam damnasse, Allatius ipse dicere potest. Aliud enim omnino est formulam aliquam non usurpare, aliud eam damnare una cum Ecclesia illam adhibente.* Audiet porrò, *ibi agi de iis, qui azymum offerunt ea mente, ut unam tantum in Christo naturam ponant,* quales erant *Iacobitæ & Chatzitzarÿ.* Hæc si in Synaxario illo legerentur, aliquid diceret Allatius; sed audiet semetipsum de his verbis Synaxarii, de lib. Eccles. Græcorum, p. 219. *In quibus tria considerandа* monet *quæ contra Latinæ Ecclesiæ* (non dicit Jacobitarum vel Chatzitzariorum) *decreta dicuntur 1. Christum in celebratione Paschatis non expectasse diem statutum, 2. in fermentato consecrasse. 3. illud impudentissimum, consecrationem in azymo tanquam malam rejici, reprehendique eos, qui simili modo consecrant.* non lubens tot contradictiones in viro tam erudito annoto, sed cum ipse pro lubitu modo fingat, modo refingat, veritas animadversiunculas interdum extorquet, quæ sine dubio grande mihi apud Allatium odium pariet, ut verear, severiori adhuc interdicto congregationis prohibitum iri, ne exterorum ulli, scripta Allatii, & congregationis, divendantur. Quare vero lucem fugiunt? ne opera eorum, & tot crimina falsi arguantur. Joh. 3. *Errorem autem oppositum dicentium inde manasse puto* (ita Allatius) *quod putarent, quemadmodum Ecclesia*

Latina, eo die legit bullam, in qua hæretici omnes excommunicantur ita & Græcos simile quid conari. Quod tamen aliter fit, eo enim die & seqq. de dominica passione, cæteris silentibus tractant. Illo enim tempore, quo Christi summa mansuetudo erga hostes etiam furiosissimos, ὑπὲρ ἐκείνων sua emicuit, Græci laudabiliores & mitiores hac in re Romanis, diversum quid à se sentientes diris devovere nolunt. *Nec tamen laudatissimum Ecclesiæ Rom. ritum negligere viderentur etiamsi hæreticos omnes excommunicant, sed Dominica Orthodoxiæ, quæ est prima Quadragesimæ.* Quis autem non miretur adeo diram, adeo ferinam eorum insitam esse pectoribus sævitiem; quibus alias non sufficit discipulos vocari Christi, sed vicarii etiam & socii audire volunt ejus, qui ab exemplo suo mansuetudinem disci voluit, qui probris affectus non est recriminatus, qui Latronibus suis ignovit, qui etiam, si primo Papæ, Apostolo Petro fides est habenda, nostros mores suis conformari jussit moribus, inque hac ipsa lenitate exemplar nobis reliquit, horum, inquam, quis non miretur sævitiem, qui eo maxime tempore quo Christus agapen instituit, nil nisi diras & ignes in hostes suos evomunt?

§. 4. Atque his ita disputatis, in promtu est colligere, tua ne an mea conclusio vero sit propior? Tu asseris, Græcos confusionem vobis propter oblationem azymi imprecantes, idem cum Latinis tenere, iisque consentire: minime verum hoc mihi videtur esse; nisi etiam David Psal. 407. 15. cum inimicis & persecutoribus suis idem tenuerit, iisque consenserit, quando eos ita execratur: confundantur & pudefiant simul, qui quærunt animam meam, ut perdant eam. Istiusmodi imprecationem ab anathematizatione ego parum differre credo. Habes ergo nunc ex confessione aliorum Papistarũ excommunicationem; ex tua, confusionem & pudefactionis imprecationem, quam num tecum alii quoque consensionem sint interpretaturi, denuo multum ambigo. Næ profecto per totam tuam disputationem in te convenit illud: βέλω, βέλω πλανᾶν, καὶ πλανᾶσθαι.

§. 5. Et heîc refutando nunc subsistit vir Doctissimus, sicut vero in iis, quæ examinavit, capitibus, plurimas à me objectas difficultates ne digito quidem tetigit, ita de desertione, de tentata in concilio Florentino, sed repudiata conciliatione, nihil movet, quæ tamen jactatam consen-

sensionem quàm validissime concutiunt. Totiens enim votis expetita, variis modis tentata, in speciem, & ad breve tempus adornata & extorta, semper tamen rejecta, vel rescissa conciliatio, omnimoda desertio, & in hunc usque diem perseverans scissura, hominibus non obstipis loco argumenti robustissimi esse potest, consensum perpetuum esse somnium merum. Innocent. IV. in Constitutione Episcopo Tusculano missa, definitionem quorundam articulorũ, circa ritus Græcorum Pontifici subjectorum, sic exclamat: *Osi Orientalibus Oriens ex alto lucret, & sui luminis illustratione, ipsos ad Catholicam reduceret unitatem, ut cum reliquis Orthodoxis in unius aulæ collecta gremio, de matris Ecclesiæ ubere fluenta doctrinæ salutaris haurirent. Tunc ipsi Ecclesiæ proveniret magnum & desiderabile salutare, tunc ejus uterus sobole geminata concresceret, tunc Orientalibus oriretur superna illuminationis aurora, tunc ei clarescceret Lucifer veritatis &c.* hæc suspiria num sint perpetui consensus indicia, valde dubito. Est hæc bulla edita A. 1254. & reperitur T. 1. p. 126 Bullarii magni. Eodem animi affectu aliam an. 1272. emisit Gregor. X. Bullarii Magni T. 1. p. 176, insertam, in qua *nec lachrymas comprimere, nec suspiria continere, nec singultus cohibere, nec planctum declinare potest, eam ob causam, quod populus Græcorum à sedis Apostolicæ devotione ac obedientia se subtraxerit, quos nunc in devio positos grandis culpæ mors afficiat, universalis autem Ecclesiæ corpus per dispendiosam illius membri subtractionem sit mutilatum; pro reductione igitur errantium, & redintegranda ejusdem fidei unitate Concilium Lugdunense indixit.* Inepte, quid Lachrymaris? quid pro consensu restaurando moliris? nonne spiritu Prophetico prævides, exoriturum post aliquot secula aliquem Leonem Allatium, qui te ineptitudinis tuæ redarguat, demonstretq; Ecclesiam Græcam à devotione & obedientia sedis Apostolicæ se nunquam subtraxisse? Quid in altera constitutione, *qua Michaelem Palæologum Imp. ad obedientiam Rom. Pontif.* in Concil. Lugd. a. 1274. *rediisse declaratur*, tibi vis, quando exclamas: *Exultat mater Ecclesia renascentis prolis fœcunditate jucunda. Exultat & jubilat gaudenter, attendens, se drachmam deperditam invenisse, immensa lætitiæ rore perfunditur, dum ruinas, quas in ea schisma multiplicarat antiquum, impleri per tuum, aliorumque reditum ad ipsius Ecclesiæ unitatem, sine stragis cujusque periculo, solo pacis auctore prævio intuetur.*

Idem tamen Michael, paulo post unioni renunciavit, quapropter Martinus IV. A. 1281. hac bulla è cœtu fidelium eum exterminavit: *Michaelem Palæologum, qui Græcorum Imp. nominatur, tanquam eorundem Græcorum, antiquorum schismaticorum, & in antiquo Schismaticorum, & in antiquo Schismate constitutorum, & per hoc hæreticorum, nec non & hæresis ipsorum, & schismatis antiqui fautorem, de fratrum nostrorum consilio denunciamus præsente fidelium multitudine copiosa, excommunicationis sententiam latam à Canone incurrisse, ac ipsius fore sententiæ vinculo innodatum &c.* T. 1. Bull. pag. 182. nimis rigide! Debuisses Martine Ritualia, Euchologia, professiones fidei, inspicere, tumque animadvertisses, eandem tecum fidem tenere Græcos, & proinde nequaquam esse hæreticos, præsertim cum fateantur & agnoscant, se sub uno capite visibili, hoc est, Pontifice Romano, militare, dum enim recipiunt 7. Concilia generalia, eorum decreta, SS. Doctorum doctrinam, & damnant omnia, quæ ab illis damnantur, in illis vero aperta voce reboatur, Pontificem esse Caput Ecclesiæ, & quæ alia dicit Allatius, hæreseos à te postulari non debent. Vides igitur Allati, quàm pútidum sit asserere, propterea statuminandum esse consensum, quia Græci hucusque tenacissime decretis antiquis inhæserint; nam inhæserant illis etiam tum, cùm propter schisma & hæresin ipso facto à diversis Pontificibus excommunicarentur: quam vero injuste id esset factum, si eo ipso tempore omnia Pontificis placita approbarunt. Vel enarret nobis Allatius, quænam tum superfuerit consentiens Ecclesia, cum fulmina sua in Græcos expedirent. Pontifices Romani. Imperatores, Patriarchæ, Episcopi, Presbyteri, Laici, istis constringebantur vinculis omnes sine discrimine, non pauci tantum hæretici vel schismatici; Ecclesiam tamen semper mansisse Romanæ Ecclesiæ consonam persuadere cupit Allatius. Quo fine Græcorum in urbe à Gregorio XIII. fuerit institutum collegium in exercitatione retulimus. Ipse Gregor. T. 2. Bullar. Magn. 409. finem istum ait esse, *ut Episcopi, Presbyteri, Laici Catholicorum dogmatum ignari, & ab Orthodoxorum religionis semita, & S. R. E. omnium matris & magistræ obedientia, recedentes, inque varios errores, & Schismata prolapsi, per suos alumnos ab erroribus & schismate removerentur, & ad salutarem Orthodoxæ fidei veritatem reducerentur: atque ita divina favente gra-*

gratia sperari possit, ut sana & integra fidei prædicatio & doctrina in ipsa Græcia & totius præterea Orientis partibus, aliquando restituatur. Hæc sollicitudo & cura Allatianam jactantiam penitus dissipat. Nisi forsan etiam Italorum & Hispanorum collegia Romæ sunt fundata, in quibus pueri eum in finem instituuntur; ut populares suos ad fidem & reverentiam Papæ invitent? quæ omnia cùm sint evidentissima durantis adhuc schismatis & dissensus signa, mirum est, virum alias satis oculatum in mera meridie cœcutire, neque cœcutire modo, sed aliis etiam videntibus oculos, imo & cerebrum exterebrare velle. Et ne aliquis excipiat; hæc nimis vetusta esse, recentissimum sistimus hujus pertinaciæ & dissensionis in hunc usque diem testem auritum & oculatum, Jac. Goarem, Missum ex ordine FF. prædicatorum Apostolicum, annis octo in oriente versatum, dolorem suum & vota animi in procœmio ad Lect. minime dissimulantem, dicentemque; *Ecclesiam quæ spatiis & usibus (utinam non animis) à nostra dissita videtur, ex uno tamen Salvatoris effosso latere olim profluxit, describendam suscipio. Non ita namque hæc ab illa, vel Orientalis Ecclesia à nostra discrepat, (de primæva illius ætate, vel de sana quæ tempore hoc restat parte, heu modica licet loquor) ut ubiq; in iis, quæ ad omnimodam fidei unitatem & conformem religionis observantiam pertinent, non conveniat cum ea.* Interjectis quibusdam: *Vtinam (ajo) manens in sua vocatione Græcus modernus, pari benevolentia Latinorum nomini consuleret, qua Latini Græcorum existimationi plurimum tribuunt, & si quem humanæ fragilitatis lapsum in eis advertant, utique tamen pro viribus & industria excusant.* Votum Goaris, voto suo sic in approbatione operis juvat F. Jo. de Rechac: *Quæ* (illa scil. quæ continentur in hoc Euchologio) *cum mihi certiora sint, quippe qui fuerim in Oriente Missionarius, & nec dum auritus, sed testis oculatus eorum omnium, quæ in hoc libro continentur, dignum maxime censeo præsens opus, quod in lucem edatur, universumque percurrat orbem, ut omnes sciant Ecclesiam Orientalem & Græcam suos adhuc primævos ritus fideliter asservasse, nec ad ejus splendorem aliud deesse, quam Romanæ fidei unitatem & cum Romano capite adeo peroptatam unionem: Quod annuente Iesu Christo capite seu Romanæ, seu Græcæ, præstabit istud opus.* Audin' Allati, tu inculcas vehementissime & acerbissime, Græcam Ecclesiam in unione

ne

ne & consensione Romanæ Ecclesiæ perpetuo adhæsisse amicus tuus Goar, quem in edendo Euchologio MSS. codd. juvisti unà cum fratre suo ex ordine prædicantium, illachrymatur dividiæ, optatq; unionem adhuc futuram. Tu clamas, Græcos Papam demisse venerari, ille hoc ipsum duntaxat in votis adhuc habet. Tu hac exceptione sæpius ingeminata nos obtundis: paucos & nequam homines inter Græcos à vobis dissentire: illi ipsam Orientalem & Græcam nominant Ecclesiam immensis ut habet Goar, spatiis diffusam, modica tantum parte sana permanente. Accedunt hisce vota quoque Laur. Foreri, celebris illius socii, qui in tract. German. de indifferentismo p. 194. in quem nonnulla ex Allatio non sine animi lætitia transcripsit, arbitraturq; se reperisse non quod pueri in faba, tamen judicat: *Allatium ex bono & Christiano zelo putare, utramque aliquatenus dissidentem Ecclesiam ita* (mediis sive commentis ex Allatio sæpe à nobis ostensis & confutatis) *denuo posse conciliari; optandum vero esse, Deumque orandum, ut ista reconciliatio rursus possit omnimode confecta reddi: istiusmodi enim conciliaturam longe præstantiorem fore, quam Anglicanam illam à Ioh. Duræo frustra tentatam.* Atque sic de fide & auctoritate patroni sui, quem in hac causa tanti facit, non parum demit. Petrus Arcudius in præf. opusc. aur. f. *videt fore ut aliquando agnita veritate, fraudibusque detectis, & illi, quem falsò colunt,* (Palamam scil.) *valedicere debeant, & duras ad hunc diem cervices, suavissimo Ecclesiæ Romanæ, hoc est, Christo jugo lubentissime subdant.* O Stolide Arcudi, obloquetur Allatius, quid tu futurum prævides? ec quando enim illi, qui perpetuam cum Ecclesia Romana aluerunt concordiam, cervices suas suavissimo ejusdem jugo subtraxerunt? Epilogus. Postremum quod in calce capitis mihi objicit Refutator, est juventus, sed de illa ex Psalmista & Hieronymo supra jam dixi, sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum. Nemo adolescentiam tuam contemnat, ait Paulus 1 Tim. 4. 12. *Neque ingenium quasi vinum annis probandum est; quia homines sumus, & interdum contra annorum maturitatem, puerorum vitiis labimur: si me autem vis corrigere delinquentem, aperte increpa, tantum ne occulte mordeas,* monet S. Hieronymus ep. ad Rusticum Monachum T. 1. p. 49. c. f. Hic ipse tamen Hieronymus impatienter admodum tulit, se senem à Juvene Augustino in quibusdam re-

eprehendi,ut inde acriter pro vehementia ingenii sui S. Augustinum insectetur,& inter alia T.3.p.m.351.eidem occentet: *puerilis esse jactantia,quod olim adolescentuli facere consueverunt, accusando illustres viros, suo nomini famam quærere*: & in alia ep.p.352. ad Augustinum scribit: *nonnulli familiares mei suggerebant, non simplici animo à te factum, sed laudem atq; rumusculos & gloriam populi requirentem: ut de nobis crescerres,ut multi cognoscerent,te provocare, me timere: te scribere ut doctum, me tacere ut imperitum: & tandem reperisse,qui garrulitati meæ silentium modumq; imponeret.* Hæc tamen & alia durissima Hieronymi dicta, Augustinum ejusdem licet communionis , cujus Hieronymus Presbyter erat,Episcopum,non deterruerunt à scriptione,quo minus lapsus Hieronymi castigaret,rescriberetque: *etiam à minore quolibet non refugiendam vel dedignandam esse correctionem.* ibid.p.367. placeat quibusdam eam quam semel imbiberunt animi sententiam non aliter retinere, quam claudi pilam solent: magis tamen placere debet Augustini moderatio,in ep. ad Auxentium profitentis, *se senem licet à juvene,Episcopum tot annorum , à collega nec dum anniculo,edoceri paratum esse*: quæ sententia Gratiano digna fuit visa,ut c.23.q.8.in Jure Canon.conspiceretur.Quid me ad conscribendam exercitationem impulerit,aliàs jam indicavi; hinc est quod nullas tibi debere velim gratias, quando crimina maledicentiæ &c.quæ in me non agnosco, ignoscere cupis. Quam tu sis maledicus,quamque vix ab ullo Jesuitarum, ipso etiam Nihusio, in jaciendis dicteriis,te patiaris vinci,plaustra conviciorum,in Græcos, Pontificios,Reformatos,Lutheranos,te natu majores, pluresque jam denatos,emissa,luculente comprobant. Sed ego tibi illa omnia facile condono non nescius,senes quosdam instar puerorum facile irasci,istique ætati loquacitatem esse familiarem, ut habet Macrob.l.7.Saturn. c.2. Adversarios conviciis proscindendi, vel etiam acrius jure talionis mordendi,iterum testor & profiteor à me esse alieniissimum, sed cum & formicæ & serpho sua insit bilis,virulentissimum tuum Nihusium,nobile familiæ Plautinæ columen, suaviter excipere non potui. p.12.26. Exercit. Interim publicè profiteor, me Allatium inter Doctissimos hujus sæculi,& in antiquitate Græca Latinaque versatissimos viros,reputare,aliis quoque,qui communionis sunt Romanæ,eruditionis Lau-

dem neutiquam invidere, licet eos in rebus fidei ab Orthodoxia longissime abesse non possim non firmissime credere. Cùm autem alias *nullus pudor sit, ad meliora transire*, quod olim Valentiano Imp. scripsit S. Ambrosius ep. 31. non tamen placet mihi permutatio Glauci: ad populum igitur phaleras, ego te & Religionem Papæam, intus & in cute novi. Quod denique non me tantum, sed etiam meritissimum de Ecclesia Orthodoxa Præceptorem meum, D. D. Dannhawerum, Refutator simul configere studet: in eo voluit *homo peritissimus*, (mutuor verba Hieronymi) *ut veteranus miles uno rotatu gladii percutere utrumque:* verum:

Et nos tela Pater ferrumq́, haud debile dextra
Spargimus, & nostro sequitur de vulnere sanguis.

Ignosce autem de istis tuis aculeis usurpanti illud: te hîc scorpium referre, cujus venenum, in cauda latet. Atque sic vale, Allati clarissime, & in posterum non tam secure, sed magis provide & consideratius res tuas age.

DEus, cui Laus, Honor & Gloria, Ecclesiam suam conservet in Pace & veritate.

FINIS.

In-

Indiculus auctorum quorum præcipua fit mentio, ab alio adjectus.

Gabriel Albaſpinæus. p. 34. 66.
Leo Allatius. paſſim.
Ambroſius. 258.
Andreas à S. Tereſia. p. 54.
Chriſtophorus Angelus. p. 135.
Apologia Græcorum. 164. ſſ.
Petrus Arcudius. paſſim.
Arethas Cæſar. Cappadoc. Epiſcop. 44.
Antonius Arnaldus.
Auguſtinus. p. 23. 81.
Petrus Aurelius.
Theodorus Balſamo. p. 25. 31. 36.
Barlaamus. 188. 190. 191.
Cæſar Baronius. p. 10. 79. 107. 120.
Paulus Barrius. 184.
Thomas Bartholinus. 232.
Martinus Becanus. p. 57. 124. 147. 180.
Robertus Bellarminus. p. 10. 13. 23. 39. 44. 57. 58. 74. 75. 77. 79. 88. 100. 109. 123. 126. 144. 147. 157. 233.
Severinus Binius. 219.
Matthæus Blaſtarius. p. 14. 24. 31.
Joh. Henricus Bœclerus. p. 50.
Thomas Bozius. p. 79. 119.
Joſephus Bryennius. p. 40. 173.
Joh. Buxtorffius. p. 82. 84.
Manuel Caleca. p. 35. 39.
Georgius Calixtus. p. 124.
Canones Eccleſiæ univerſalis. 159.
Johannes Capnio. 170.
Antonius Caucus. p. 12.
Martinus Chemnitius. p. 32. 87. 122.
Laertius Cherubinus.
David Chytræus. 148. ſſ. 224. 225.
Clemens VIII. p. 22. 77.
Franciſcus de Combefis. p. 131.
Concilium Lateran. 13.
Concilium Tridentin. p. 18. 32.
Hermannus Conringius. p. 66.
Georgius Coreſius.
Georg. Corcyrenſis. 173.
Melchior Cornæus. p. ſ. 81. 145.
Cornelius à Lap. p. 79. 123.
Franciſcus Coſterus.
Metrophanes Critopulus. 155. 197. 203. 210. 215. 225.
Cyprianus. 238.
Cyrillus. p. 59. 102. 107. 122.
Joannes Dallæus p. 23. 210. 221. 222.
Joh. Conradus Dannhawerus. p. 49. 56. 74. 76. 81. 86. 121. 239.
Joh. Georg. Dorſcheus. p. 123.
Georgius Douſa. p. 108.
Abraham Ecchellenſis. p. 69. 111. 112. 140. 194.
Vitus Erbermannus. p. ſ. 38.
Euchologium paſſim.
Euſebius, Catena in S. Lucam. p. 101.
Honoratus Fabri. p. 21. 75. 80. 89. 90. 91. 111. 204.
Proſper Fagnanus. p. 11. 211. 246.
Georgius Fhelavius. p. 135.
Joh. Bapt. Ficklerus p. 88. 89.
Laurent. Forerus. p. 90. 91.
Fratres Prædicatores. 168.
Gabriel Philadelphienſis. p. 20. 22. 51. 127

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747224897/phys_0291
DFG

Gabriel Sionita. p.113.139.
Georgius Corcyr. Metrop. p.25.
Joh. Gerhardus. p.38.23.239.
Stephanus Gerlachius. p.59.193.
Jacobus Goar. passim.
Bartholom. Gramondus. p.124.
Gregorius M. p.18.101.
Jacobus Gretserus. p.39.64.79.81.
Hugo Grotius p.49.
Amadæus Guimenius.
Petrus Haberkornius p.98.99.147.203.
Hieronymus. p.2.4.34.
Stanislaus Hosius. p.89.160.
Joh. Henricus Hottingerus. p.78.82.84. 85.108.112.
Nicolaus Hunnius p.63.
Jeremias Patriarcha Const. passim.
Innocentius IV. p.47.
Job. Monachus. p.22.
Irenæus. p.80.
Isidorus Pelusiota p.80.
Justinus Martyr. 217.224.
Philippus Labbe. p.67.
Johannes de Launoy. p.76.
Martinus Lutherus. p.120.
Macrobius. 258.
Johannes Maldonatus. p.88.
Petrus de Marca. p.52.
Marcus Ephesius. p.14.24.35.38.127.
Maximus Margunius. p.56.
Justus Meierus.
Meletius Patriarcha. p.108.
Metrophanes Critopulus. p.24.47.51. 59.108.155.
Moguntini Jesuitæ p.96.
Ludovicus Montaltius. p.49.121.184.
Joannes Morinus. p.114.
Nicolaus Mylonius. 152.
Bartholdus Nihusius. p.88.195.
Optatus Milevitanus.
Lucas Osiander. p.50.
Dionysius Petavius. 164.
Angelus Petricca. p.102.
Edoardus Pockockius. p.83.
Antonius Possevinus. p.22.33.77.78. 109.148.ss.158.245.
Odoricus Raynaldus. 189.191.219.
F. Joh. de Rechac. 255.
Cœlius Rhodiginus.
Neophytus Rhodinus. p.128.
Nicolaus Rigaltius. p.66.67.
Joannes de Salas. p.49.
Alphonsus Salmero. p.124.
Salvianus. p.3.
Edwin Sandis. 152.
Claudius Sarravius. p.30.124.
Caspar Scioppius.
Johannes Seldenus. p.68.83.
Sylvester Sguropulus. p.16.24.73.131.
Simeon Thessalonicensis. p.21.31.51.127
Gabriel Sionita. 139.
Jacobus Sirmondus. 249.
Sozomenus.
Henricus Spondanus. p.10.
Simon Starovolscius. 160.
Petrus Stevartius. p.25.35.58.248.
Synesius. 159.
Tertullianus.
Theophylactus. p.85.
Thomas à Jesu. passim.
Turrianus. 157.
Gregorius de Valentia. 179.
Valerianus M. p.109.
Bernardinus Vettweiss. p.26.79.96.97
Vincentius Lerinensis. p.3.
Gottefr. Adolph. Volusius. p.99.
Wilhelmus Wendrockius. 185.
Zonaras. 159.

In-

Index Rerum Præcipuarum.

A.

ABusus sanguinis Dominici sacratissimi impius p.48.

Accusatio de contemptu Scripturæ & Mosis depellitur à Luthero & retorquetur in *Papæos*.p.235.236.

Adiaphora quando dissensum generent, quando non? p.8. ostenditur hoc ex doctrina S.Pauli, & condemnatione Quarta decimanorum. p.9.10.

Additio particulæ Filioque in Processione Spiritus Sancti. p.53.seqq. pag. 72.seqq.

Allatii novum malitiæ contra Adversarios disputandi genus p.4. Ejusdem injusta censura methodi refutandi Adversarios.p.13. Ejusdem audacia negantis Græcos statuere *Proc*essionem Spiritus Sancti à solo Patre. p. 55.Ejusdem Laus & laudatores. p.1. 2.vid.Laus.Ejusdem injustum & iniquum postulatum ab Hottingero præstandum. p.5. Allatius schismaticis connivet.10. Allatiani scripti occasio,p.1. Allatius in omnibus solus sapit.p.94. Allatius ubi vitam maxime contriverit? p 95.Allatius ipse testatur de dissidio Græcorum & Latinorum Primatus Papæ Oecumenici. p.110.Allatius & Arcudius contradicentes. p.131. Allatius in transsubstantiatione sua multis absurditatibus premitur.p.142.143. Ejusd.de Præsanctificatis inconstantia. p.146. Allatius inconsideratus Chronologus.p.165.166. Allatius Clementem Alexandrinum hæreseos nota infamat.p.168. Idem ex hypothesibus *Græ*corum vult consensum in artic. de *Pur*gatorio monstrare.p.164.Idē turpissima hariolatione deceptus. p. 166.Allatii disputatio de consequentiis. ib. Ejusd. contradictio de animarum liberatione ex igne sempiterno notatur.p.180.seqq. Allatius Ritualium auctoritatem sollicitat. p. 200. Idem nititur scriptis suppositiis & ab iisdem frustratur. p.206. seqq.Idem disputat ex libris ineditis. p.221.Idem frustra contra *Chy*træum de Sculptis imaginibus disputat. p. 225. Allatius ex Bellarmino & ex seipso facit Hæreticum q.233. Allatius Schüsselburgii exscriptos.p.239. Allatii insolentia & methodus disputandi aliquoties explosa.243. Allatii de pane Azymo & Enzymo mirifica disputatio committitur cum Vettvveisfio,Thoma à Jesu. Arcudio.26.27. Allatii furor in *Chy*træum.148.149. Allatius seipsum, *Goa*rem, *Cal*lecam & alios plurimos facit heterodoxos. p.162.

Amodo Apoc.14.13. quid? p.43.expositio Arethæ hujus dicti.p.44.

Anathematizatio mutua *Græ*corum & Latinorum. p.248.

Anima mulieris cujusdam post mortem in quarto quodam loco.p.184.185.

Apologiæ *Græcorum* de *Purgatorio* quis fuerit author disquiritur. p. 165. 171. plurimis & invictis argumentis demonstratur Allatium turpissima hariolatione deceptum esse. p. 166.
De aquæ calidæ granis. p. 30. seqq. hujus ritus ratio ex Euchologio exponitur. p. 31.
Arabes quid de religione Pontificiorum sentiant. p. 83.
Arcudius de rebaptizatione Græcorum p. 13. Idem ab Allatio in immediata Chrismatis cum baptismo conjunctione indefensus relinquitur. p. 17. Idem valdè occupatus in tollenda difficultate de confirmationis ministro extraordinario. p. 18. Arcudii inconstantia de ministro confirmationis exagitatur. p. 19. Ejus pervicacia retusa. p. 20. Arcudius de ritualibus p. 68. Idem de confirmatione Græcorum contra Allatium disputat. p. 199. seqq. Idem Arcadius de Zygomala judicium fert. p. 243. Arcudius respondet *Goari* & Allatio de Artolatria p. 228.
Arnoldi relatio de exercitatione, & contra eam ab Allatio instituta refutatione. p. 4.
Articuli fidei in scriptura sint fundati. ex August. ostenditur. p. 23.
Artolatria Græcorum probatur ex Arcudio. p. 227. hanc frustra excusat Allatius. ibid. Arcudius respondet Allatio & *Goari*. p. 228.
Auctorum inanis farrago in Panychismo animarum ab Allatio producta. p. 38.
Azymum panem Græci non admittunt p. 25.
Azymitæ i. e. Latini excommunicantur p. 25. in Synagario Triodii damnantur. p. 28. 29.

B.

Baptismi ritus ex intentione. p. 12.
Baptismum *Græci* immediatæ Christi institutioni adscribunt. p. 197.
Barlaamus monachus contra Latinos de processione Sp. S. scribit. p. 59.
Barlaamus damnatur. p. 190.
Baronius de Excommunicatione Asianæ Ecclesiæ. p. 10.
Barcii fabula de muliere quotidie imaginem B. Virginis salutante. p. 184.
Basilii medici exustio. p. 239.
Becanus de descensu Christi è cœlo in Sacramentum Eucharistiæ. p. 124.
Bellarm. glossa in Apoc. 14. 13. frivola p. 43. 44. Bellarm. de cerimoniis dissidium parientibus. p. 10. de rebaptizatione Græcorum. p. 13 de cultu reliquiarum. p. 187. de missis solitariis. p. 144.
Bellarminus agnoscit *Græcos* statuere *Processionem* Spiritus Sancti à solo Patre p. 75. 77. Idem dissensum Græcorum & Latinorum Allatio in *Primatu* Papæ Oecumenico monstrat. p. 109.
Bibliotheca Pforzhemensis. p. 166.
Hier. *Bignonii* laus. p. 30.
Blastarius de rebaptizatione Græcorum. p. 14.
Th. Bozius contra Allatium citatur. p. 119.
De Bonis operibus eorumque meritis Græcorum sententia. p. 192. 193.
De Brevitatis studio p. 3 quâ ratione licitum & non licitum sit. p. 5.

Bryen-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747224897/phys_0294
DFG

Bryennii ſententia de interceſſionibus Sanctorum. p.174.175.
Bulla Innocentii IV. à Græcis ſpreta. p.20.
Bulla Gregorii IX. diſſenſum Gr. & Latin. in *Primatu* Papæ Oecumenico monſtrat. p.114.115.
Bulla Pii IV. de diſſenſu Græc. & Lat. in veneratione Pontificis Romani teſtatur. p.118.

C.

Calicis & patenæ traditio an ſit de Eſſentia ordinis ſacerdotalis. p.211.
Calvino-Turciſmus Guil. Reginaldi. p. 82.
Canon. Trullan. de jejunio Sabbati. p. 35.36.
Carolus Moronus exercitationem refutandam Allatio ſuo tradit. p.1.
Caſus quidam ſingulares apud Græcos in adminiſtratione S. cœnæ. p.136.
Caucus de rebaptizatione Græcorum. p.12.13. Idem contra Allatium adducitur. p.197. Idem Anton. Caucus contra Allatum defenſus. p.203.205. Idem diſputans contra Allatium de Excommunicatione mutua *Græcorum* & Latinorum defenſus. p. 248.
Cenſura Allatii iniqua de methodo diſputandi & refutandi adverſarios. p.3
De Ceremoniis poſt aſcenſionem Chriſti. p.9.
Chriſmatis immediata cum baptiſmo conjunctio. p.17. ſeqq. Arcudius eam habet pro falſa & hæretica. p.17.22. vid. Unctio. inunctio. Chriſmatis è numero Sacramentorum eliminatio, & ejus rationes. p.21.22.23.
Chytræus quis? p.148. præter meritum & inſtitutum acerbe ab Allatio tractatur, ejus innocentia vindicatur. p.148.149. Chytræi in ſcripto ſuo propoſitum & inſtitutum p.150.
Chytræi de miſſis privatis innocentia aſſeritur, & Allatii fraudulentia detegitur. p.176. ſeqq. Chytræus reſpondet Allatio in *Poſſevino*. p.177. Idem de imaginibus ſculptis à Stevartio, Goare, Metroph. defenſus. p. 224.
Circumciſio poſt Aſcenſionem Chriſti cerimonia liberæ. p.9. ſub opinione neceſſitatis à quibuſdam ſuſcepta ibid. Pauli reprehenſio. ibid.
Clerogamia. 154. ſeqq. exigua de hac inter nos & *Græcos* differentia. p. 154.155.
Communio infantum apud Græcos. p. 48. ſeqq. firmatur ex ſim. Theſſal. Jerem. *Gabr.* Philadelph. Nic. Cabaſila, Arcud. & Metroph. Critopulo. p. 50. Communio ſub utraque à Papiſtis in *Concil.* demum Baſil & Conſtant. prohibita p.50.
Communio ſub utraque Publica & privata apud *Græcos* è Chriſt. Angelo, Metroph. p.135. Moſcovitarum & Ruthenorum moribus proponitur. p.136.
De communionis ſub utraque apertæ neceſſitate. p.138. ſeqq.
Communio ſub utraque Græcorum ex ipſo Goare, Arcudio, Abrah. Ecchellenſi monſtratur. p.140.141.
Concilium Lateranenſe de rebaptizatione Græcorum. p.13.
Conſilium Trid. de mixtione aquę calidæ in calice ex Chemnit. & Goare refutat. p.32.33.
Concilium Florentinum contra Allatium

tium adducitur. p.171.
Confessio auricularis Græcorum. p.202 dissensus in hoc puncto ib. Confessio Auric. Papæa quid? p.203.
Confessio Oris Græcorum p.76.
Confirmationis ordinarius & extraordinarius minister quis secundum scholasticos p.18.
Confirmationis Sacramentum à Presbytero collatum an validum. Arcudius ex Greg. M. Conc. Florent. & Trid. &c. ostendit. p.18.19.
Confirmationis & Baptismi perpetua in Papatu oppositio refutatur. p.22.
Confirmationis Sacramentum in Concil. demum Meldensi institutum esse agnoscit Alexander Alensis. p.23.
De confirmatione p.197. seqq.
Veteris Ecclesiæ de confirmatione sensus ex Chemnitio explanatus. p.199.
Confirmatio apud Græcos iterabilis. p.200.
Confusi apud Græcos Pontificii. p.205.
Conringius vindicatur. p.171. Idem iterum vindicatur, & fraudulentia Allatii detegitur. p.175. seqq.
De consecratione Sacerdotum. p.130. 131.
Consensus quid? p.6.
Consensus Græcorum & Lutheranorum in communionis sub utraque necessitate. p.140 seqq.
Consensus Allatianus perpetuus dissensus p..147.
Consensus Idololatricus Græcorum & Latin. p 223.
Consequentia illa, non negant, E. affirmant ventilatur. p.73.74.
Consequentiæ falsæ Allatii de Professione Spiritus Sancti à Patre Filioque p.54.
Consequentiæ quomodo & quando admittendæ. p.54.
Contentio Græcorum cum Latinis de jejunio Sabbati. p.35.
Controversiarum inter Gr. & Lat. Ecclesiam vera & falsa norma. p.6.
Controversiæ Græcorum ritus quosdam spectantes magnum discrimen generant. p.9.10.
Georgius Coresius de fruitione Sanctorum. p.46.
Cornæus à D. Dannhavvero increpatur, quod multa promiserit, pauca præstiterit. p.5.
Corporis Christi præsentia in S. cœna. 133.134.
Corruptibilitas & incorruptibilitas specierum in cœna. 141.142.
Crimen læsæ Majestatis Pontificię grandius, quam læsæ Majestatis Divinæ. p.120.121.
Critopulus de Polygamia successiva. p.47. Ejusdem distinctio inter Sacramenta & mysticas ceremonias. p.198.
Crucis lignum an ad nostra usque tempora servatum duraverit? p.232 233. De quatuor crucis lignorum generibus, ib.
Cultus imaginum Pontificiorum idololatricus. p.226.
Cyrilli Berrhoënsis historia. p.104.105. 106.
Cyrilli Lucaris Patriarchæ Constantinopolitani historia vitæ & mortis. p. 102.
Cyrill. Patriarch. Alexandr. de Primatu Papæ Oecumenico sententia. p.107. 108.
Cyrillus Hierosolymitanus qualem mutationem in Sacramento Eucharistiæ intelligat? p.122.

Dal-

Index rerum.

D.

Dallæus defenſus.p.221.222.
Joh.Damaſcenus negat Sp.S. ex Filio procedere.p.57.Idem transſubſtantiationi Papæ non patrocinatur. p. 122.123.
Defunctorũ ordines quot? ex Stethart. p.38.
Deliberatio Imperatoris Græc. memorabilis de Proceſſ. Sp.S. p.73.
Deſcenſus Chriſti è cœlo in Sacramentum Euchariſtiæ à Græcis rectè negatur. p.121.ſeqq. à Pontificiis verò aſſeritur ex Rhodig. Bellarm. Salmer. Gramond. Becano. p.123. ſeqq.
Diabolicum Papiſtarũ teſtimoniũ ex obſeſſa Sanctos eſſe invocandos. p.86.
Joh.Conr Dietrici relatio ſcripta de ingenua confeſſione cujuſdã Pontificii hominis in Perpet.Conſenſ.Allat.99.
Differentia exigua de Cler ogamia inter nos & Græcos.p.154.155.
Differentia realis apud Græcos operationum & proprietatum divinarum à ſubſtantia Dei.p.187.ſeqq.
Dimiſſio uxorũ an ſit licita? p.159.ſeqq.
Diſcurſus Allat. in epiſt. ad Boinburg. expenſus.p 45.ſeqq.
Diſconvenientia Gr. & Lat. in materia ordinis Sacerdotalis oſtenditur prolixè ex Proſp. Fagnano. p.211. ſeqq. & Dallæo. p.221.222.
Diſputatio ad hominem quomodo ſit comparata? p 80.
Diſſenſiones ortæ ob ceremoniarum diverſitatem p 9.10 11.
Diſſenſus firmatur rationibus.p.12.
Diſſenſus Gr.& Lat.in Jejuniis p.35.
Diſſenſus Gr.& Lat in dogmatibus Eccleſiæ Græcæ propriis. p.36.ſeqq.
Diſſenſionis Allatiana definitio p.37.
Diſſenſus Gr.& Lat.de ſtatu animarum ſeparatarum. p.45.ſeqq.
Diſſenſus Gr.& Lat. de communione infantum. p 50.
Diſſenſus Gr.& Lat. de polygamia ſucceſſiva aliquot argumentis, & teſtimoniis Critopuli, Joh. Morini, Innocentii IV. oſtenditur. p.46.47.
Diſſenſus Gr.& Lat.de proceſſione Spiritûs Sancti à Filio p.52. ſeqq.
Diſſenſus de Primatu Papæ Oecumenico græc.& Latin. firmatur è querela Leonis IX. ex Cyrillo, Patriarch. Alexandr. Meletio, Metroph. Valeriano M.& aliis.p.107.ſeqq. Hujus diſſenſus teſtes Pontificii Bellarm. Valer.M. Poſſevinus, ipſe Allatius, Jac. Goar.&c. adducuntur p 109.110.
Diſſenſus Gr. & Lat. in confirmationis Sacramento oſtenditur ab Arcudio. p.199.ſeqq.
Diſſenſus Gr.& Lat.in numero ſeptenario Sacramentorum monſtratur.197
Diſſenſus Gr.&Lat.in Artic.de Purgatorio. p.162.ſeqq.
Diſſenſus Gr. & Lat. in reali differentia operationum & proprietatum divinarum à ſubſtantia Dei ab Allatio & Petavio agnitus. p.187.190.
Diſſenſus Gr.& Lat.in Confeſſione Auriculari p.202.
Diſſenſio Gr.&Lat.in Extrema Unctione p.208.
Diſſenſus Gr. & Lat. in transſubſtantiatione.p.125. ſeqq.
Diſſenſio Papæorum & Græc. in communionis ſub utraque neceſſitate.p. 140.ſeq.147.
Diverſitas Gr.& Lat.in numeratione Ordinum.p.213.214.
Durandus refutat Gregor.M.p.19.

Ecchellensis execranda de Luthero & ejus Assseclis mendacia. 194. 196.
Ecclesiæ Asianæ & Occidentalis de Festi Paschatis celebratione contentio. 9. 10.
Enzymi panis necessitas ex Jeremia, Metroph. Critopul. Ephes. Leone Bulgaro, Matth Blastar. 24.
Erbermannus multa promittit pauca præstat. 5.
Eucharistiam Græci immediatæ Christi institutioni ascribunt. 197.
S. Eulogii de statu animarum separatarum sententia. 40. Excommunicatio ob diversitatem rituum in Asianos evibrata an sit justa? 10.
Excommunicatio Gr. & Lat. mutua ex Cauco monstratur. 248.
Exercitationis nostræ scopus & brevitatis ratio. 3.
Expositio dicti 1. Cor. 3. Chrysostomi in Apolog. Græcorum à Nostratium expositione est alienissima. 168.

F.

Fabella de muliere quotidie B. Virginis Mariæ imaginem salutante. 184. 185
Hon. Fabri contra Allat. & Ecchell de veneratione Romani Pontificis inter Græcos disputat. 111.
Prosp. Fagnanus de Ritibus Græcorũ. 11.
Fagnanus quis? p. 247. ædificium Allatianum funditus subvertit. ib.
Festorum celebratio post Ascensionem Christi res libera. 9. Dissensus Apost. Pauli hac de re ib.
Festum Paschatis quando sit celebrandum orta contentio. 9.
Fide mortua an Lutherani contenti sint? 193.

G.

Gabriel Sionita quis? 138. 139.
Georgius Metropolita de pane fermentato adhibendo. 25.
Steph. Gerlachii testimonium de sententia Græcorum in Processione Spiritus S. 59.
Germanus Patr. Constant. contra Latinos scribit de Process. Sp. S. 59.
Goar de mixtione aquæ calidæ in calice. 31. Idem testatur de dissidio Primatus Papæ Oecumenici. 110. Idem refutat discursum Allatianũ ex principiis Græcor. & Papistarum. 138.
Goar contra Allatium de Confessione Auriculari adducitur. 204.
Goaris offuciæ de Extrema Unctione 209. 210.
Græci baptismum Pontificiorum invalidum judicant. p. 12. 13.
Græcorum dogmata propria quæ? p. 36. seqq.
Græci hodierni Romanos inungunt. 14.
Græci complures de Processione Sp. S. contra Proculanum scripserunt. 58.
Græci in administratione Chrismatis à Romanis differunt. 20. 21.
Græci quâ fine buccellam panis intingant. 137.
Græcorum de pane Enzymo & Azymo sententia ex Jeremia, Critopulo, Ephesio, Leone Bulgaro, Blastario &c. ostenditur. p 24. seqq.
Græci negant Purgatorium. 162. 164.
An Græci Origenis errorem sequantur. Ubi etiam consequentiis satisfaciunt Græci. 171. seqq.
Græci duo tantum sacramenta Baptismum & Eucharistiam immediatæ Christi institutioni adscribunt, reliqua ab Ecclesia profecta esse statuunt, ex & pro Cauco probatur. 197.

Græci non tantum ægrotos ut Papistæ, sed & sanos inungunt. 208.
Græci an sculptas venerentur imagines? 224. 225.
Græcos à Latinis excommunicatos esse, probatur testimoniis Thomæ à Jesu, Prosp. Fagnani. 246. 247.
Gramondus de descensu Christi è cœlo in Sacramentum Eucharistiæ. p. 124.
Gregorius VII. horribiliter corpore Dominico sumpto abusus est. p. 50.
Guidonis de admixtione aquæ in calice error. p. 30.

H.

Hæreseos insimulantur Græci ab Allatio p. 57. Bellarm. Maldonato, Ficklero p. 88. Hosio, Thoma à Jesu, Hon. Fabri p. 89 90. Casalio. p. 93. Moguntinis & Vettweiss. p. 96.
Hæreticos esse occidendos neq. Christus, neq; Patres voluerunt. 100. 101. v. Supplicium.
Pro Hæreticis habent Græci Romanos. p. 14.
Hebræi an Schismata inter Lutheranos disseminaverint. p. 186.
Hieronymus de amicorum judicio & laudatoribus p. 2. Idem de adversariorum scriptis occultis. p. 4. Idem de veterum vivendi ratione, p. 34.

I.

De Iconoclasia & reliquis breviter disputatur. p. 186.
Iconoclastas Lutherani refutant. p. 186. 187.
Idololatria græcorum p. 222. 223.
Jejunia Græcorum rigidiora, p. 33. v. rigor. Jejunia Veterum in quibus constiterint? ex Alba Spinæo monstratur. p. 34. Jejunia Papistarum longe à veterum jejuniis dissimilia. ibid. Jejunium Sabbathi è Canone Trullano, p. 35.
Jeremiæ Patriarchæ exceptiones & responsiones ad object. de processione Spiritûs sancti à Patre & Filio. p. 56.
Jeremias nominat se Patriarcham Oecumenicum. p. 107.
Jeremias descensum Christi ê cœlo in Sacramentum Eucharistiæ nominat blasphemam doctrinam, p. 122. Idem Missas privatas reprobat. p. 141. Jeremias quid nobis exprobret? p. 186. 193. Idem de peccatorum speciali enumeratione differit. p. 202. Ejusdem judicium de nostra doctrina, & responsionibus Tubingensium Theologorum. p. 242.
Ignis sempiternus est ignis infernalis, p. 179. Exigne sempiterno nulla liberatio. ibid.
Ignis infernalis ab igne Purgatorio à Pontif. Greg. de Valentia, Allat. Becano per sempiternitatem discernitur. p. 179. 180.
Imagines sculptas an venerentur Græci. p. 224. 225.
Immersio trina. p. 11. seqq.
Imperitia Jeremiæ & Allatij reprehenditur. p. 186.
De Infernali mutabilitate. p. 179. seqq.
Innocentij III. error de granis aquæ calidæ, p. 30.
Innocentius IV. de Polygamia successiva. p. 47.
Interitus Imperij Constantinopolitani

& jugi Turcici à Papistis quibusdam negationi græcorum de Processione Sp. S. à Patre & Filio adscribitur. p. 79.
Interpretes Græcorum Auctorum minus fideles. p. 163. 164.
Intinctio Græcorum panis consecrati. p. 139. 140. 141.
Judæorum opiniones in rebus fidei & religionis non attendendæ. p. 80.
Judæorum de animabus fabulæ. p. 84.

L.

Latini Azymitæ nominantur & excommunicantur à Græcis. p. 25.
Latini plurimi contra Græcos in doctrina de Purgatorio scribunt, quibus Græci respondent. p. 162.
Laus & laudatores Allatij, p. 1. 2. 3.
Leonis IX. P. R. querimonia, quod Mich. Cerularius titulum Oecumenici sibi sumserit. p. 107.
Leo IX. Pontifex excommunicatur ob panis Azymi usurpationem. 25.
Liberatio ex igne sempiterno nulla. 179.
Libertate Christiana utuntur alio modo firmatiores, alio modo infirmi. 9.
Libri alicujus interpolationem & assumentum non firmiter arguit unius voculæ absentia vel præsentia. 29.
Licere varia significatio & acceptio ex Hugone Grotio & Joanne de Sala ostenditur. 49.
De Ligno crucis fabella. 232. 233.
Liturgia Chrysostomi an sit ejusdem genuinus fœtus? 29.
Lutheri doctrina de bonis operibus à calumnia Abrahami Ecchellensis vindicatur. 194. seqq.
Lutherus an diabolũ invocaverit? 196.
Lutherus an verbum Dei rejecerit? 235.
Lutherani à Calvinianis in Articulis fidei maximè discrepant. 134.
Lutherani an sanguinem à corpore Christi in S. cœna separent. 144. 145.

M.

Petri de Marca singularis de origine schismatis Græcanici sententia, 52.
Mariolatria Pontificiorũ 184. 185. 226.
Matrimonij insolubilitas, 161.
De Matrimonio, p. 2. 5. seqq.
Matrimonium quomodo possit vocari Sacramentum? ibid.
Meletij de Primatu Papæ Oecumenico assertum. 108. 109.
Menæum quale scriptum? p. 69.
Methodi Allatianæ consideratio. 4.
Methodus ab Allatio præscripta & hujus methodi annexa refutatio. 6.
Metrophanes quis? 59. 60. Ejusd. de Processione Spiritûs sancti sententia ibid. Ejusdem de Primatu Papæ Oecumenico assertum. 108. 109.
Opt. Milevitanus de facto Macarij. 238.
Missa Præsanctificatorum à Bellarm. & Becano reprehenditur. p. 147.
De Missis solitariis & privatis Primitivæ Ecclesiæ incognitis. 147. 153. 154.
Mixtionis aquæ calidæ in calice modus & rationes ex Euchologio, Goare, &c. 31.
Monsorius horribiliter hostia sacra abusus. 50.
Mortui in Domino Ap 14. ℣. 13. qui? 43.
Moscovitæ tenent communionem sub utrâque. 136.
Mutabilitas infernalis Græcorum, 179. seq. 184.

N.

Necessitas communionis sub utraque apud Græcos, p. 138. seq. ostenditur.
Nomina prisca sæpè obliteratis plane eorum

eorum significationibus remanēt. 66.
Petr. Numag. Trevirensis contra Allatium testis producitur. 78.
De Numero septenario Sacramentorum, 197. Dissensus in hoc numero inter Græcos & Latinos monstratur ibid. Quando hic numerus cœperit? Disquiritur. 216.
Particula NUNC quomodo in visione beatifica â Græcis explicetur, & Allatij ob hanc expositionem exagitatio. 41. 42.

O.

Ode ad Hirnum processionem à Patre Filioque non probat, contra Allatium, 55.
Odium quomodo Luc. 14. ℣. 26. sumatur? 101.
Oecumenici titulus â Leone IX. improbatus. 107.
Omnipræsentia carni Christi concessa. 133.
Opera bona an prohibeant Lutherani? 194. 195.
Operationum & proprietatum Divinarum â substantia Dei realis differentia. 187. seqq.
De Ordine, p. 210. seqq. Magna difficultas & disconvenientia de materia ordinis ex Fagnano. 211. Numerum septem ordinum non observare Græcos ex Goare & Arcudio monstratur. 213. 214.
Orichovius Græcus ad Pontificios transit. 159. 160.
Originis error. 172.
Ostentatio vana & ridicula Operum & scriptorum Allatianorum occultorum, 194. 195.

P.

Palamas ab Arcudio refutatus, 188. è numero S.S. ejicitur. 188. 189. Palamitica controversia recensetur. 190. 191. Palamas an fuerit condemnatus? 190. 191.
De Pannychismo seu pervigilatione animarum. 36. seqq. Dissensus ex Bellarmino, Gretsero, Caleca, Thoma, F.F. Prædic. probatur. 39. Animæ Sanctorum an post vitæ terminum statim gloria sempiterna fruantur? sententia Allatij, Andr. Cæsaris, Concil. Ferrat. 39. 40 41.
Parthenius de processione Spiritûs S. à solo Patre. 60. seqq.
Pathenius Romanorum inimicus, Allatio est veræ pietatis cultor. 170.
De Particula panis fermentati ex mensa Christi residua. 234.
Patres Græci â nobis non vilipendentur. 7.
Patrum loca ab Allatio in Artic. de Ordine impertinenter adducta. 210. 211.
Patriarchis de processione Spiritus S. auctoritas sua asseritur. 64. 65.
Paulus de rebus adiaphoris. 9.
Peccatorum enarrationem qualem Græci in confessione exigant? 202.
De Pentecostariis Allatij judicium. 70.
De Permissu Ecclesiæ Romanæ in additione particulæ ex Filioque. 76.
De Pertinacia Græcorum. 242. seq.
Philosophia Allatiana prorsus nova & inaudita. 49.
Picturæ Græcorum. 39.
De Pœnitentia. 202. quatenus à nobis recipiatur. ibid.
Polygamia successiva, 46. seqq.

Pontificij scriptores simpliciter ânobis non rejiciuntur. 7. Iidem tamen Allatio scilicet contradicentes ab eodem rejiciuntur. 7.

Pontificiorum incertæ & inconstantes de rebus Græcanicis relationis. 138.

Pontificiorum scriptorum inter se dimicationes & dissensiones ostenduntur. 91. 92.

Pontifex Romanus an possit in eligendo ministro confirmationis dispensare? explicat se Arcudius. 19. 20. 21.

Pontificis Romani inter Græcos venerationem nullam esse ex ipso Allatio 3. exemplis adductis ostenditur. 110. 111.

Possevinus testatur de dissensu Græc. & Lat. in Primatu Papæ Oecumen. 109

Possevinus à Chytræo notatur. 151. 152.

Possevinus mendaciissimus homo. 152. 153.

Possevinus exscriptor & plagiarius Gesneri, ibid.

Possevini frustraneus conatus in regn. Suecico. 245.

F.F. Prædicatorum expositio dicti Paulini. 1. Cor. 3. p. 168. 169.

Præsanctificata cur in numero plurali dicantur? sententia Cornæi, Nihus. Allatij. 145. 146. sententia Græcorum. 47.

In Precibus controversiæ non tractantur. 61. Controversia Preces Græcorum pro liberatione animarum à tenebris, mœstitia, tormentis, pœnis &c quid sibi velint? 178. In Precibus his falsum ab Allatio factum additamentum. 178.

Presbyter an sit confirmationis minister ordinarius, an verò extraordinarius Arcudius probando mirifice se torquet. 18. cujus inconstantia exagitatur, & pervicacia retunditur. 19. 20. 21

De Primatu Papę Oecumenico Græcorum Nili, Barlaami, Jeremiæ sententia. 106. seq. Dissensus firmatur ex Cyrillo, Meletio Metroph. Ex Bellarm. Valeriano, Possevino, Allat. Goare, ex Bulla Gregor. IX. &c. 107. seqq.

Principis cujusdam de perpetuo consensu Allatiano judicium. 99.

Processionem Sp. S. Græci à solo Patre non à Filio statuunt. 52. exponitur sententia eorum per aliquot sæcula. 56. seqq.

Proto-Syncellus demonstrat ex Patribus Latinos non rectè esse baptizatos. 16.

Mich. Psellus Processionem Sp. S. à solo Patre factam contendit. 57. 58.

De Purgatorio 161. seqq. Purgatorii negatio astruitur ex auctoribus probatis, duabus imprimis Synodis Cyrilli Berrhoensis & Parthenij in qua posteriori interpres Latin. de mala fide revincitur. 162. 163. 164.

Q.

Quarta-decimanorũ condemnatio. 9.

R.

Odoricus Raynaldus de contentionibus Græcorum. p. 219.

De Rebaptizatione Pontificiorũ passiva p. 12. ex Cauco & Innocent. III. Arcud. p. 12. 13.

Neophytus Rhodinus depravatus & corruptus. p. 128. 129

Card. Richelii judicium de 3. viris in orbe ad stuporem eruditis p. 29. 30.

Nic. Rigaltius de morum & consuetudinis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747224897/phys_0302
DFG

dinis hodiernæ Eccleſiæ Rom. cum vetuſtis moribus compoſit. p. 67
Ritualium librorum auctoritas quæ? p. 66. 68. Ritualium corruptio, p. 68. Ritualium additio falsò Græcis aſſignata, p. 68. 69
De Rituum diverſitate in genere, p. 8. ſeqq. non ſunt de fide quidem, interim quędam continent, quæ fidem propius attingunt, ib.
Ritus in adminiſtratione non variant quidem eſſentiam, interim tamen ſæpius oritur in ritibus diſcordia, p. 15. In rituum mutatione jus Eccleſiæ Romanæ, p. 18.

S.

Sacramenti cœnæ horribilis abuſus exemplis oſtenditur. p. 50. Vox Sacramenti quomodo apud Patres ſumatur? p. 217. Sacramenta tantum duo eſſe. Primitiva Eccleſia certò ſtatuit. ibid. Sacramenta tantum duo Baptiſmũ & Euchariſtiam Græci Chriſti immediatæ inſtitutioni, reliqua verò Eccleſiæ inſtituto imputant 197.
Salmaſi laus, p. 29.
Salmeron de deſcenſu Chriſti è cœlo in Sacramentum Euchariſtiæ p. 124.
Salvianus de judiciis amicorum p. 3.
Sanctos invocandos eſſe Papiſtæ diabolum teſtem producunt p. 86.
Sanguinis Chriſti illicita cum atramento mixtura p. 48. defendit hanc impietatem Nihuſius & Allatius, ib.
Schiſma Græcanicum conſiſtit in diverſitate rituum, p. 8.
Schiſmatis Græcorum origo & occaſio. p. 52. 72.
De Schiſmatis Græcanici in hæreſin tranſitu, p. 87. ſeqq.
Scripturæ ſacræ quinam honos apud Græcos deferatur, p. 185. 186.
Scriptorum occultatio à S. Hieronymo reprehenditur, p. 4.
De Septenario Sacramentorum numero in genere. p. 197. ſeqq.
Sguropolus an vocet Latinos ἀβαπτίστους p. 16. falſitas Allatii in hoc ipſo redarguitur. ib.
Simonis Conſtantinopolitani ſententia examinatur. p. 55.
Simonia Græcorum & Papæorũ. 92. 93
Simoniã Romanenſes extenuant. p. 93.
Specierum corruptibilitas & incorruptibilitas. p. 141. 142.
Sim. Starovolſcius notatur. p. 160.
Status conjugii Pontificiis impuriſſimus ſtatus. p. 157.
De Statu animarum poſt mortem. p. 39. 40. an ſtatim poſt vitæ terminum fruantur ſempiterna gloria? ſententia Allat. Cæſaris, Conc. Ferr. expenditur. p 39. 40. 41.
σαυρολατρεία Græcorum. p. 232.
Petrus Stevartius pro veracitate Cauci contra Allatium pugnat. p. 248.
Suffocati abſtinentia judaizans. p. 30.
De ſupplicio hæreticorum capitali contra Allatium diſputatur. p. 237. 238. v. Hæreticus. Hujus pœnæ apud veteres ratio. p. 237. Patrum teſtimonia hæreticos capitali ſupplicio non eſſe puniendos. p. 240.

(28.

Synaxarium Triodii damnat Azymitas.
Synaxariorum Triodij & Pentecoſtarij auctoritas elevatur. p. 28.
Synodus Calixti in controverſia de proceſſione Spiritus S. impertinenter adducitur. p. 52. 53.

Syno-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747224897/phys_0303
DFG

Synodi Cypriæ auctoritas. p. 218. 219.

T.

Teſtimonia Turcica & Judaica quomodo & quando valeant? p. 79. 80.
Teſtimonium diabolicum an ſit audiendum. p. 85. 86.
Theodoretus Cyrilli Adverſarius in art. de Proceſſione Sp. S. à Patre. 57.
Theodoretus quando hanc quæſtionē moverit? p. 57.
Theodorus Papa impiè abuſus eſt ſacratiſſimo ſanguine Dominico. p. 48
Theophylactus Proceſſionem Spiritus Sancti ex Filio inficiatur. p. 58.
Thomas à Jeſu de erroribus Græcorum p. 26. 27.
Traditionum Synodicarum nimia apud Græcos exaltatio. p. 185.
De translatione & lectione Bibliorum in lingua vernacula. p. 205. 206.
Translocationē accidentalem corporis Chriſti Pontificii ſalvis eorum hypotheſibus ſtatuere coguntur. 123. 124.
Tranſſubſtatiationi Damaſcenus non patrocinatur. 122.
Tranſſubſtantiationis dogma ἄτοπον & ἄγραφον. 124. 125.
Tranſſubſtantiatio Græcorum diverſiſſima à Latinorum tranſſubſtantiatione. 125. ſeqq. 132.
Tranſſubſtantiationis Papææ abſurda. 141. 142.
Tridentinum fulmen de confirmatione. 18.
Trinitas creata Andr. à S. Tereſia. 54.
E Triodiis multa hæretica eſſe eliminanda vult Allatius 69. 70.
Triumphus Allatianus de conſenſu Græcorum & Latinorum Idololatrico, cum parodia feſtivitatum Allatianarum. 222. 223. 224.
Tubingenſium Theologorum negotiū cum Jeremia Patriarcha non fruſtraneum fuiſſe Allatio oſtenditur. 242.

V.

Valerianus M. de Primatu Papæ Oecumenico. p. 109.
Vettvveiſs. Lutheranos Eccleſiæ amplitudinem & antiquitatem â Græcis deſumentes exagitat, & refellitur, 97. Vettvveiſſij ſcriptum Summar. demonſtrat. Schiſm. & Hæreſ. Græc. â pluribus Pontificiis ſcriptoribus commendatur. 98.
Vettvveiſs Græcorum de Azymo doctrinam tanquam falſam refutat. 26
Victor P. R. Quarta-decimanos tanquam Schiſmaticos & Hæreticos excommunicat. 9
Vincentius Lerinenſis de ſtudio brevitatis. 3
Unctio Græcorum in Romanis ex Macario, 14. Marco Epheſio. ib. Oſtenditur ejus neceſſitas è Sim. Theſſ. Job Monacho, Jeremia. 22 Gabriel Philadelph. utilem quidem, non autem neceſſariam ſtatuit, 16 pro hæretica opinione Arcudius agnoſcit. ib. quam etiam Clemens VIII. vetat ibid. v. Chriſma.
Unctionis vocabulum quomodo apud Auguſtinum & alios Doctores Eccleſiæ ſumatur? 23 De Unctione extrema plura vid. 226. ſeqq.
Unctio Jacobæa quomodo ſit intelligenda. 27
De Unctionis fine diſceptatio, ibid.
Urbani VIII. Literæ ad Cyrillum de Veria Patriarcham Conſtantinopolitanum. 203. 204.
Uxores an dimittere liceat? 159. ſeqq.

Z.

Zygomalas pauper Allatio nullius fidei, refellitur in hoc puncto Allatius, & jubetur ſibi cavere à monachis mendicantibus. 243.
De Zygomalis duobus epiſtolicum commercium cum Cruſio exercentibus. 243.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747224897/phys_0304
DFG

ERRATA.

Pag. 5. lin. 17. pro compondi, lege, compendi. p. 6. pro sapius: sc. leg. sapius sc. p. 13. leg. Lateranense. l. 16. l. 14. pro imminuete, l. imminuere. p. 17. pro redire, l. rediret. p. 24. pro leoni, l. Leone. p. 25. pro Azymitos, l. azymitas. p. 29 pro qui, leg quia. p. 40. pro error, l. errore. p. 40. l. 13. pro seperatur, l. Sseparatas. p. 61. pro Romani, l Romanus. p. 68. pro ignavi, l. ignari. p. 71. pro immisuerit, l. immiseuerit. p. 79. pro conspicasse. l. conspirasse. ib. conferre minat. l. conferruminat. p. 96. pro Germanicam, Græcanicam. p. 102. damnata mem. Eccl. Const. Antist. debebant hæc minusculis literis excusæ esse. p. 143. l. ἐν ἀρχῇ αἰτεῖσθαι. p. 146. l. ult. pro obtinente, l obnitente. p. 150. pro donum, leg. domum. p. 159. l. mascule. p. 163. seq. l. προφάσει. p. 166. l. Weilerstadium.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747224897/phys_0305
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747224897/phys_0307
DFG

mere nugacibus libellis ad faſtum, non a
compoſitis, verborum monſtris (ipſe
Metſter Wörter) omnia involvens, diſ
cem ipſi prætulit *Bartholomæus Sclei*, q
ſeculo in Polonia minore vixiſſe inſcrip
univerſalis oſtendit. Horum fanaticas
ſtrinas, & prodigioſam mixturam, poſtm
novitate rei decepti, propagarunt. Qu
rari meretur fanatica fœmina *Antoniett*
Rüſſeliæ in Flandria nata, quæ nihil ſe
ſe, aut ſi quæ legerit, hæc cuncta per i
mediatas revelationes ab ipſo Deo accepiſ
Quæ ſi vera ſunt, non ſatis capio, quan
tias omnes, artes, Academias, alto ſupe
nens, omnium cujuſcunq; religionis D
ptis nugaces Pſeudo-Theoſophi Böhmii
rendos opinetur.

XXXVI.

Antiquiſſimam eſſe hypotheſin de t
eſſentialibus Hieronymus indicat tribue
cleonitis, de quibus Lambertus Danæus
Auguſtini de hæreſibus teſtatur, quod *h*
ci natura & eſſentia conſtare dixerint, *co*
quodam tertio. Eandem opinionem Ra
Gerhardus Tom. VIII Loco de morte §.
partem eſſentialem Enthuſiaſtarum plu
ratione demum accedere, pleriq; â prim
ſed peccato ſuffocatam per regenerati
tari ſomniant; Swenckfeldiani, Weigeli
ſtæ eſſentiam hominis intrinſece conſtit
ſubſtantiam quidem eſſe fatentur, ſed â